

CIÓN G

THEOLOGY
DOGMATIC

1

2. PARTIE

BX1751

J4

1852-1854

v.1

t.2

c.1

230



1080042270

6#2-6#41



THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS.

Dr. Benavides.


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

230



230



RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS.

TOMUS PRIMUS.

DE RELIGIONE.



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

LUTETIÆ PARISIORUM

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.


4. VIA DICTA DE BUSSET.

1852.

EXCUDERANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.



230



RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS.

TOMUS PRIMUS.

DE RELIGIONE.



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

LUTETIÆ PARISIORUM

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE BUSSET.

1852.

EXCUDERANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.



37756

BIBLIOTECA PÚBLICA
ESTADO DE NUEVO LEÓN
53206


BX 1751

J4


v. 1

1852-54

± 2



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON



TRACTATUS
DE RELIGIONE

AUCTORE R. P. IGNATIO NEUBAUER S. J.

SS. THEOLOGIE DOCTORE EJUSDEMQUE

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI


PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

CONTRA

ATHEOS, QUI NEGANT OMNEM RELIGIONEM.
POLYTHEOS, QUI ADSTRUUNT FALSAM RELIGIONEM.
MAHUMETANOS, QUI TENENT IMPIAM RELIGIONEM.
THEISTAS, QUI NEGANT REVELATAM RELIGIONEM.
JUDÆOS, QUI NEGANT CHRISTIANAM RELIGIONEM.
SECTARIOS, QUI NEGANT CATHOLICAM UNICE VERAM RELIGIONEM.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS



DIRECCIÓN GENERAL

DISSERTATIO I.

DE DEO.

SECTIO I.

DE DEO EXISTENTE, ET OBJECTO RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Si Deus non est, Auctor et Rector Mundi hujus; vanum in Mundo nomen Religio est. Religio est ac dicitur summi amoris et obsequii cultus ei, cui debetur, præstitus; cumprimis ergo investigandum est, an sit et quis ille, qui hunc sibi cultum jure deponat. Cum vero summum esse oporteat, cui summum amorem et obsequium creaturæ deferant; Ens supremum et perfectissimum, vel ex notione Religionis, omnis natura rationalis cognoscit. Res plane stupenda, quod suam Enti supremo existentiam (quam non homines modo, sed brutæ animantes, resque omnes creatæ licet mutæ innumeris vocibus prædicant) complures hodie Increduli detrahare audeant, et in ipsis adeo terris Christianis, quod nec Roma, nec Athenæ mediis in tenebris ausæ fuerant. Equidem hæc vesaniæ ac proterviæ portenta validissime confutatum Philosophorum tum Theologorum copiosa de Deo pertractatio; ad nostrum tamen institutum asserendæ Veræ Religionis apprime facit, eorumdem perversitatem revincere, sed ex ipsis Ethnicorum de Deo sensis, quo sit probrum majus Christiani Nominis deprædatorum.

Sunt vero illorum Argumenta vel Moralia, ex auctoritate hominum, ex hominum utilitatibus, ex interiore voce naturæ, ex historiarum fide: vel Physica ex rerum, quibus constat mundus, naturis, operationibus, dispositione et constantia: vel Metaphysica ex mentis nostræ conceptibus et ideis desumpta. Esse Deum ceu Ens supremum, cujus numine et procuracione cuncta regantur, cum summa vi et auctoritate suadent Argumenta Moralia; sed quia parum explicant Naturam Divinam, vulgus hominum, non etiam rerum physicarum ac metaphysicarum contemplationi intentum, circa Dei naturam et virtutem multoties cespitavit. Argumenta Physica ad clariorem ducunt cognitionem Dei, quem illa ostendunt esse totius universitatis Artificem solertissimum, totius naturæ diffusionem suæ virtutis Rectorem et quos

dammmodo Animam, atque ipsarum etiam substantiarum omnium Creatorem et Adminiculum. Demum Metaphysica interiorem Dei notitiam præbent, ut qualis in se sit, intelligamus. Ex his summa duntaxat capita sat erit delibare.

§ II. THEMA.

Existere Deum ceu Objectum Religionis, summa et prima Veritas est, quæ invictis argumentis demonstratur.

PROBATIO I. Nulla Natio ut ut barbara extitit unquam, quæ agnitione et Religione Numinis penitus careret. Quippe omnibus retro seculis et ubivis terrarum mortales universi, in quibus natura non esset omnino depravata, Deum supplici adoratione reveriti sunt, in prosperis laudantes, in periculis adversisque Deum implorantes, in malefactis metuentes summum Vindicem, in benefactis expectantes summum præmiatorem. Hinc erectos tollit ad sidera vultus, et nativo quodam instinctu homo fertur in Deum ceu Legislatorem, Judicem et Finem Ultimam; et quamvis impius in corde suo percipiat, nullum esse Deum, punitorem scilicet suorum criminum; persuasio tamen mentis, sensus intimus et remorsus conscientie adversus reprobis cordis vota evincunt, eum esse, quem timet. Igitur Deum existere, prima et summa Veritas sit, necessum est; sin, summa falsitas (nempe ineluctabilis error de existentia Numinis, quod reipsa non existit) basis ac norma foret honestatis, Religionis ac Felicitatis; id quod Deus et Natura solis Atheis hominum impiissimis revelaverint, sapientes vero et probos omnes celaverint; quo nihil absurdius excogitari potest.

Proin verissime pronuntiat SENECA de incredulorum fortissimis: « Mentiuntur, qui dicunt, se non sentire, esse Deum; nam etsi tibi affirmant interdum, noctu tamen et soli dubitant. » Et de EPICURO, Incredulorum antesignano, CORTA apud TULLIUM: « nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret, mortem dico et Deos. »

II. Pulcherrimus Megacosmi ordo, consensus et inviolabilis constantia; admirabilis Microcosmi structura, mentisque humanæ existentia et intelligentia; creaturarum varietas, fecunditas et perfectio; cælum et terra et quæ iis continentur, totidem sunt disertissimæ linguæ, quæ summum Artificem, et Mentem divinam universis annuntiant. Si enim horologium affabre factum, excellens pictura, oratio eximia, aut machina quæcumque nitide ac præstanter elaborata suum continuo artificem commendat: hoc profecto Universum Opificem sapientissimum ac potentissimum, videlicet Deum, clarissime prædicat.

« Nemo sane tam rudis est, ait LACTANTIUS, qui tametsi nesciat, ejus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur; non aliquem tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. » Idem Oratione 34. non longe ab initio elegantè eloquitur GREGORIUS NAZ.

III. Demum existentia entis contingentis, et possibilitas entis necessarii fere geometrica certitudine probant, existere Deum ceu Ens a se, necessarium, æternum, immensum, omniscium, atque in omni genere perfectionis illimitatum. « Omnia quæcumque sunt, vel creata sunt, vel increata. Quod si creata sunt, omnino sunt mutabilia: quorum enim esse a mutatione cœpit, hæc mutationi plane subjecta erunt, sive corrumpantur, sive voluntate mutantur.... et si mutabilia sunt, prorsus ab aliquo condita sunt. Oportet autem Conditorum increatum esse: nam si etiam ille creatus est, omnino ab aliquo creatus est, donec ad increatum aliquid procedendo perveniatur. Increatus ergo conditor plane est et immutabilis. Hoc vero quid aliud potest esse, quam Deus? » Ita S. DAMASCENUS L. 1. de Fide orthod.

Adde, quod si Deus non existat, et quidquid est in hoc Universo, a fortuito atomorum concursu pendeat, non nisi materia sit in Mundo; quod manifeste pugnat cum phænomenis Prædictionum, Miraculorum et Exorcismorum, quorum nihil esse potest a materia; sed omnino Ens aliquid omniscium, omnipotens, et substantiis quibuslibet superius ea præsupponunt.

§ III. COROLLARIA.

Sapere supra vulgus affectant Increduli, qui vel negant Deum, vel de Deo dubitant; at frivole et insipide. Nonne enim plus sapit is, qui cum tenenda est sententia de geminis una, eam præferat, quæ minus difficultatis habet? Multo autem facilius percipiet sapiens, horologium ab artifice intellectu prædito, quam a se ipso conditum fuisse; materiam potius a principio, quam sine principio motus ad hunc vel illum motum determinari; fuisse hominem primum, a quo alii continua serie prodierint, quam fuisse infinitas hominum series, quæ semper extiterint sine ullo existendi principio. Qui Deum negat, omnibus hisce difficultatibus adeo intricatur, ut motum sine principio, artefactum sine artifice, sapientiam sine mente, ordinem, pulchritudinem et veritatem sine ratione adstruere, ac infinitæ divini Conditoris sapientie et bonitati fortunam, temeritatem, errorem, vanitatem surrogare cogatur. Quanta mentis aberratio animique abjectio in sapiente Philosopho et spiritu forti? Sapientis est et Philosophi, ex consideratione pulchritudinis et magnificentie rerum, animum suum perficere et amplificare; sapientiam et beneficentiam Conditoris perspicere et admirari; accommodare res naturales, quantum in se est, ad Conditoris gloriam, et suam aliorumque felicitatem.

Pura in hanc rem suppeditant Cl. HOOKII Tomus I. de Principiis Relig. Nat. et Rev. Parisiis 1754. S. A. de LIGUORI *Verità della Fede* P. I. 1767. ANTIQUARIUS Gardin. de POLIGNAC. BERNARDUS NIEUWENTYT in egregio opere intra tres fere annos quater recuso: *L'existence de Dieu, démontrée par les merveilles de la nature*. P. ROBERTI PERSON, S. J. *Wegweiser der Menschen*, Augustæ Vindel. 1761. P. HERMANNI GOLDHAGEN, S. J. *Noethiger Unterricht in den Religionsgründen*, Manhemii 1769. Demum Philosophi nostri Morales, præsertim Viennenses.

SECTIO II.

DE DEO CREANTE, ET AUCTORE RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Sunt et fuere ex Atheistica gente, quibus visum est, non sat proterve a se negari Supremi Numinis, a quo conditus hic Mundus fuerit, existentiam; nisi Mundi ipsius aut aeternitatem aut fortuitam coalitionem contra divinum rerum omnium auctorem objicerent. Quantumvis autem hæc vanissima opinio, aliorum omnium et initium et finem Mundi asserentium multitudinem opprimatur; non abs re tamen fuerit, eam identidem præsertim ex antiquissimis omnium gentium omniumque temporum Traditionibus sic explodere, ut simul stabiliatur, Deum uti Conditorum creaturarum, ita auctorem esse Religionis, qua creaturæ colant Creatorem, qui propter semetipsum operatus est omnia.

§ II. THEMATA.

I. *Deus, qui solus æternus est, hunc Mundum creavit in tempore.*

PROBATIO. Scriptorum omnium antiquissimus Moses libros suos sic exorsus: *In principio Deus creavit cælum et terram*, definito rerum omnium initio, universi generis humani historiam, serie generationum non interrupta, ad suum usque tempus perducit, nihil dubitans aut disputans ut Philosophus, sed rem nude descriptam ceu omnibus notam cum summa securitate determinans ut historicus; fuit ergo constantissima doctrina vetustissimæ gentis Hebræorum, quin potius communis Traditio omnium hominum, originem generis humani ac Mundi genesis contigisse in tempore. Atque hinc est, quod succenseant Increduli nostræ telluri, inter mille, quas dedit effossas hactenus monetas antiquissimas, nullam plane exhibenti, quæ suam Mosaicæ Chronologiæ fidem detraheret. Concipiunt autem Hebræis Phœnices, Egyptii, Chaldæi, Persæ et Græci, quibus aspectabilis hic Mundus ex rudi et indigesta mole efformatus est.

Mundi nativitatem cecinere HOMERUS, HESIODUS, ORPHEUS cæterique antiquissimi poetæ. Inter Vetustatis Philosophos unus est ARISTOTELES, qui gloriatur, quod omnium primus Mundi aeternitatem asseruerit. Nulla demum Natio, quamvis gentes de antiquitatis prærogativa acerrime inter se decertarent, se dixit aut credidit sempiternam; omnesque omnium gentium origines tam Moses, quam Scriptores græci complexi sunt. Et sane cur de iis hominibus, qui ante sex millia annorum per aeternitatem vixerunt (quamquam aeternitatis posthumæ amore tangamur omnes) nihil, nihil de aeternis gestis memoriæ proditum neque libris, neque inscriptionibus, neque aedificiis? Ecceur, si Mundus semper fuit, æterna hominum inventionem et

laboribus non sunt inventæ et ad perfectionem deductæ artes, scientiæ, leges, civitates, respUBLICÆ, regna et imperia? Numquid, teste Romanorum doctissimo VARRONE, vix ulla ars suo tempore superaverat mille annorum antiquitatem: et ex publica omnium gentium ac monumentorum fide constant illorum omnium, quæ ad pacis ac belli, ad publicæ ac privatæ vite rationem spectant, et initia et incrementa; quæ vixdum sex mille annorum intervallo omnia concluduntur?

II. *Solus Deus hunc Mundum creare potuit et voluit in laudem gloriæ suæ.*

PROBATIO. Vesanium ac impium systema Incredulorum est, quod fortuito casui attribuant, divinæ intelligentiæ, æterno consilio et sapientiæ infinitæ tribuendum, videlicet fabricam hujus Universi pulcherrimam, sapientissimam, præstantissimam. Sive enim cœlorum et astrorum immensas magnitudines, impetus, certos motus, apta intervalla, ratos ordines ac innumerabilem seriem spectes; sive sæcundum Terraquæ sinum, flores, herbas, arbores, fruges, fontes, amnes, fluvios, et universas telluris ac marium divitias ac delicias cogites; sive in organizatis corporibus partium ad invicem miram subordinationem ac dependentiam, membrorum definitos fines et usus, spirituum animalium per nervos, fluxum et sanguinis per venas, pedum rectitudinem, oculorum in capite velut in specula vigilias, oris venustatem ac innumera alia suspicias; sive substantias cogitantes, earumque vim rationis, quæ homini in omnia terrestria sive animata sive inanimata dedit imperium; vim ineffabilem intelligendi, judicandi, discernendi, reflectendi, colligendi, abstrahendi, et penetrandi etiam cœlestia; vim volendi, diversissimosque affectus perpendas; omnia hæc non ab inerti materia, non a fortuito minimarum partium nexu, non a bruta et cæca vi, sed a sagacissima mente et ab omnipotente dextera ad gloriam Altissimi fabricata esse, stipes sit qui non intelligat, et qui tam providæ mentis consilia non adoret, tamque excelsæ dexteræ prodigia non reverearit; inutile terræ pondus, ac monstrum hominis non ferendum, si non, prout cognovit in tam excellenti opere divinam virtutem, det gloriam Deo.

Discant igitur Increduli, quibus ab ore Christiano profluens veritas omnis desipit, ab infideli et Pagano verba veritatis: « Quod si omnes Mundi partes ita constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus, utrumne ea fortuita sunt, an eo statu, quo coherere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, divinaque providentia... Si ergo meliora sunt ea, quæ natura, quam quæ arte, perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione, nec natura quidem expers rationis est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur; aut cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplare, intelligere declarari horas arte, non casu; mundum autem, qui et has ipsas artes et earum artifices et cuncta complectatur, consilii et rationis expertem putare... præsertim cum multis partibus sint illa natura perfecta, quam hæc artium simulata, solertius? » CICERO, L. 2. de nat. Deorum. Tandem concludat ATHENAGORAS: « Satis liquet, quod intuitu

primariæ et universalis rationis, hominem Deus creaverit ob seipsum suamque et bonitatem et sapientiam, quam in omnibus facile perspicias. » *De Resurrect. c. 11.*

§ III. COROLLARIA.

Si Deus est, qui fecit Mundum et omnia, quæ in eo sunt : Si ex uno omne genus hominum inhabitare fecit super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos inhabitationis eorum : Si ipse dat omnibus vitam et inspirationem et omnia : Si in ipso vivimus, movemur et sumus, sicut et quidam gentilium Poetarum dixerunt : *Ipsius enim et genus sumus* ; non aliud contra Incredulos, quam quod contra Ethnicos a Doctore gentium inferri potest ac debet, quærendum esse Deum, si forte attraherent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum ; hunc cœli et terræ Dominum agnoscendum, adorandum ac diligendum esse, qui cum sit conditor hominum in laudem gloriæ divinæ, etiam Religionis uti objectum, ita auctor est. Numquid enim mentem indidit homini ad cognoscendum verum, Deus autem prima et summa veritas est ? Numquid cor immersit corpori hominis ad amandum bonum, summa vero et infinita bonitas Deus est ? Numquid libertate donavit hominem, ut cum possit, libere velit Deum, sicut cognovit, glorificare ? Numquid omnis alia creatura quamvis tot prærogativis destituta, quoquomodo potest, suum dilaudat Conditorum ; cum nulla earum tam sit exilis, quæ non illius magnitudinem commendet ; nulla tam magnifica, quæ se non subdat illius immensæ potestati ; nulla tam abjecta, quæ illius non exaltet infinitam majestatem ; nulla tam sublimis, quæ se non demittat, æternam illius veracitatem ac sapientiam ut eloquatur ?

SECTIO III.

DE DEO PROVIDENTE, ET FINE RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Epicuri de grege sunt, qui humana Diis cordi et curæ esse negant. Deos quidem agnovit Epicurus, sed qui turpi languentes otio nec orbis efformationi præfuerint, nec illius conservationi invigilent, nec entium, ex quibus componitur Mundus, provideant necessitatibus. Hoc nempe impio consilio, ut leges, pœnas, præmia, et cum ipsa honestate omnem exterminent ex orbis terrarum Religionem, quæ tota posita est in divinæ Providentiæ nobis semper invigilantis, rationem habentis meritorum, et vota recte supplicantium exaudientis sensu et persuasione. Quin et inter Providentiam ac Existentiam Dei nexus intercedit arctissimus, adeo ut nullus unquam fuerit, qui admissio Numine, Numinis Providentiam serio negaverit. Inde veteres Philosophi

omnes fidenter asseverabant, quod Epicurus tollendo Providentiam reipsa sustulerit Deos, ac ideo solum Deorum nomen reliquerit, ut facum faceret imperitis, et atheisticæ impietatis infamiam aliquatenus vitaret. His fere succenturiantur vesani quique Philosophastri, qui vel providæ gubernationi Conditoris optimi, sapientissimi ac potentissimi, fatum, fortunam, casum cæcamque necessitatem substituunt ; vel Dei Providentiam solis cœli orbibus includunt, terrena, minutiora et viliora, omniaque individua et singularia eidem subducentes.

II. Per Providentiam divinam intelligimus cum Boetio infinitam illam et efficacem mentis divinæ cogitationem, quæ continet ac determinat ordinem et statum rerum omnium ; complectens omnia tempora, omnia entia, omnes eventus, unamque componens immensam et cohærentem seriem, quam tempus fluendo et labendo perpetuo explicat et in æternum explicabit. Tres habere partes concipitur ; Creationem, de qua hucusque diximus ; Conservationem seu vim illam, quæ perpetuo rerum omnium vires et ipsum esse producit ; et Gubernationem sive illam procurationem, qua Deus illa omnia, quæ sunt conservantia status creatorum, præparat, et quæ sunt noxia, removet. Attributa divinæ Providentiæ sunt, Sapientia seu constans voluntas prosequendi optimos fines per optima media ; Sanctitas, quæ excludit umbram omnem malitiæ, invidiæ, inimiciæ, vindictæ, crudelitatis, injustitiæ, falsitatis, et cujuscumque demum defectus ; Justitia, quæ leges divinas confirmat sanctione pœnarum et præmiorum ; Bonitas seu benigna voluntas communicandi cum suis creaturis felicitatem, quæ si bona dividit non merentibus, gratia dicitur ; si pro malis tribuit bona, misericordia ; si malos tardat punire, longanimitas appellatur. Demum Providentia alia dici potest Naturalis, quam experientia et ratione intelligimus ; alia supernaturalis, quam nobis divinitus accepta Revelatio aperuit, quæ ad restitutionem generis humani in primævum perfectionis et felicitatis supernaturalis statum, Christi mediatione et Spiritus Sancti administratione procedit.

Utemur autem hic sola ratione, imitati S. AUGUSTINUM contra Manichæos. Lucis vero non parum hinc asseremus quæstioni de origine mali ex Revelata Religione, quæ docet mala graviora vitam humanam vexantia non esse ex primo Dei consilio, sed pœnam peccati.

§ II. THEMATA.

I. *Certissima est veritas hujus de Deo sententiæ : Tua, Pater, Providentia gubernat omnia.*

PROBATIO. Deus ut sit perpetuus Mundi rector, ab infinita sua sapientia ita adstringitur, ut hoc Imperio Universi abdicare se non possit, quin ipse se deneget, suamque naturam aspernetur. Nimirum dictante sapientia is debet moderari cuncta, qui fines optimos novit, mediæque ad fines optimos obtinendos aptissima. Sed Deus is est, et nullus alius præter auctorem Mundi satis habet exploratas suæque voluntati subditas rerum naturas, motus cogitationisque principia, ut queat causarum vim suspendere vel dirigere, cordibus hominum consilia seu indere seu evellere, appetituum vim frenare,

primariæ et universalis rationis, hominem Deus creaverit ob seipsum suamque et bonitatem et sapientiam, quam in omnibus facile perspicias. » *De Resurrect. c. 11.*

§ III. COROLLARIA.

Si Deus est, qui fecit Mundum et omnia, quæ in eo sunt: Si ex uno omne genus hominum inhabitare fecit super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos inhabitationis eorum: Si ipse dat omnibus vitam et inspirationem et omnia: Si in ipso vivimus, movemur et sumus, sicut et quidam gentilium Poetarum dixerunt: *Ipsius enim et genus sumus*; non aliud contra Incredulos, quam quod contra Ethnicos a Doctore gentium inferri potest ac debet, quærendum esse Deum, si forte attraherent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum; hunc cœli et terræ Dominum agnoscendum, adorandum ac diligendum esse, qui cum sit conditor hominum in laudem gloriæ divinæ, etiam Religionis uti objectum, ita auctor est. Numquid enim mentem indidit homini ad cognoscendum verum, Deus autem prima et summa veritas est? Numquid cor immersit corpori hominis ad amandum bonum, summa vero et infinita bonitas Deus est? Numquid libertate donavit hominem, ut cum possit, libere velit Deum, sicut cognovit, glorificare? Numquid omnis alia creatura quamvis tot prærogativis destituta, quoquomodo potest, suum dilaudat Conditoem; cum nulla earum tam sit exilis, quæ non illius magnitudinem commendet; nulla tam magnifica, quæ se non subdat illius immensæ potestati; nulla tam abjecta, quæ illius non exaltet infinitam majestatem; nulla tam sublimis, quæ se non demittat, æternam illius veracitatem ac sapientiam ut eloquatur?

SECTIO III.

DE DEO PROVIDENTE, ET FINE RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Epicuri de grege sunt, qui humana Diis cordi et curæ esse negant. Deos quidem agnovit Epicurus, sed qui turpi languentes otio nec orbis efformationi præfuerint, nec illius conservationi invigilent, nec entium, ex quibus componitur Mundus, provideant necessitatibus. Hoc nempe impio consilio, ut leges, pœnas, præmia, et cum ipsa honestate omnem exterminent ex orbe terrarum Religionem, quæ tota posita est in divinæ Providentiæ nobis semper invigilantis, rationem habentis meritorum, et vota recte supplicantium exaudientis sensu et persuasione. Quin et inter Providentiam ac Existentiam Dei nexus intercedit arctissimus, adeo ut nullus unquam fuerit, qui admissio Numine, Numinis Providentiam serio negaverit. Inde veteres Philosophi

omnes fidenter asseverabant, quod Epicurus tollendo Providentiam reipsa sustulerit Deos, ac ideo solum Deorum nomen reliquerit, ut facum faceret imperitis, et atheisticæ impietatis infamiam aliquatenus vitaret. His fere succenturiantur vesani quique Philosophastri, qui vel providæ gubernationi Conditoris optimi, sapientissimi ac potentissimi, fatum, fortunam, casum cæcamque necessitatem substituunt; vel Dei Providentiam solis cœli orbibus includunt, terrena, minutiora et viliora, omniaque individua et singularia eidem subducentes.

II. Per Providentiam divinam intelligimus cum Boetio infinitam illam et efficacem mentis divinæ cogitationem, quæ continet ac determinat ordinem et statum rerum omnium; complectens omnia tempora, omnia entia, omnes eventus, unamque componens immensam et cohærentem seriem, quam tempus fluendo et labendo perpetuo explicat et in æternum explicabit. Tres habere partes concipitur; Creationem, de qua hucusque diximus; Conservationem seu vim illam, quæ perpetuo rerum omnium vires et ipsum esse producit; et Gubernationem sive illam procurationem, qua Deus illa omnia, quæ sunt conservantia status creatorum, præparat, et quæ sunt noxia, removet. Attributa divinæ Providentiæ sunt, Sapientia seu constans voluntas prosequendi optimos fines per optima media; Sanctitas, quæ excludit umbram omnem malitiæ, invidiæ, inimiciæ, vindictæ, crudelitatis, injustitiæ, falsitatis, et cujuscumque demum defectus; Justitia, quæ leges divinas confirmat sanctione pœnarum et præmiorum; Bonitas seu benigna voluntas communicandi cum suis creaturis felicitatem, quæ si bona dividit non merentibus, gratia dicitur; si pro malis tribuit bona, misericordia; si malos tardat punire, longanimitas appellatur. Demum Providentia alia dici potest Naturalis, quam experientia et ratione intelligimus; alia supernaturalis, quam nobis divinitus accepta Revelatio aperuit, quæ ad restitutionem generis humani in primævum perfectionis et felicitatis supernaturalis statum, Christi mediatione et Spiritus Sancti administratione procedit.

Utemur autem hic sola ratione, imitati S. AUGUSTINUM contra Manichæos. Lucis vero non parum hinc asseremus quæstioni de origine mali ex Revelata Religione, quæ docet mala graviora vitam humanam vexantia non esse ex primo Dei consilio, sed pœnam peccati.

§ II. THEMATA.

I. *Certissima est veritas hujus de Deo sententiæ: Tua, Pater, Providentia gubernat omnia.*

PROBATIO. Deus ut sit perpetuus Mundi rector, ab infinita sua sapientia ita adstringitur, ut hoc Imperio Universi abdicare se non possit, quin ipse se deneget, suamque naturam aspernetur. Nimirum dictante sapientia is debet moderari cuncta, qui fines optimos novit, mediæque ad fines optimos obtinendos aptissima. Sed Deus is est, et nullus alius præter auctorem Mundi satis habet exploratas suæque voluntati subditas rerum naturas, motus cogitationisque principia, ut queat causarum vim suspendere vel dirigere, cordibus hominum consilia seu indere seu evellere, appetituum vim frenare,

Imperiorum fata nunc sustinere, nunc inclinare, cavere, ne quid detrimenti ex partium damnis vel erroribus immensa rerum summa capiat, ac efficere, ut ex ipso malo bonum et admirabilis ordo ex ipso discordiæ sinu oriatur. Ipsi proin ac soli Deo divina sapientia commisit imperium universi, ut recte inferat TULLIUS: « Deo nihil præstantius; ab eo igitur necesse est, Mundum regi. » Porro Deus seipsum amat necessario, atque suas perfectiones ipse veneratur et colit; nequit ergo Mundum, qui impressum gerit characterem istarum perfectionum, quas amat et in quibus gloriatur, alienum a se putare, sicut nec architectus suum excellens ædificium. Demum bonus imo optimus est Deus, nulla ratione ad condendum hunc Mundum adductus, quam ex bonitate; ab hac vero bonitate Conditoris divini abhorret maxime, suarum creaturarum nequicquam curare perfectionem ac felicitatem, sed eas omnes fortunæ ac temeritati committere.

Præclare hic AMBRŒSIUS: « Quis, inquit, operator negligat operis sui curam? quis deferat aut destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse; cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit, non curare, quod feceris, summa inclementia? » L. de offic. c. 13. Nec minus scite arguit NEMESIUS: « Si Deus Mundum non regit, causa est vel inscitia, vel impotentia, vel defectus voluntatis: atqui Deo omnipotenti nihil difficile, omniscienti nihil occultum, optimo nulla ignavia est, quæ ne in stupidissimas quidem pecudes cadit; nam et illæ suos fetus curant, nec ita delicatæ sunt, ut viliores aspernentur. »

II. *Provida Dei gubernatio attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

PROBATIO. Summæ inscitæ ac stupiditatis est, Entis supremi atque infinite perfecti vires expendere ad modulum nostræ imbecillis naturæ, cujus cogitatio tantam rerum multitudinem complecti non possit. Longe majus spatium est illud, quod patet ab homine ad Deum, quam id quod ab animantibus ad nos; et plurima tamen facit hominis industria, quæ comparata cum facultatibus animantium videntur impossibilia. Numquid angusta etiam hominis ratio, quæ perexigui corpusculi foramina quædam prospicit, multa simul negotia variis in locis animadvertere, ac sine magna perturbatione et molestia gubernare potest; et quanto magis Deus, ante quem orbis terrarum est tanquam momentum statera et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram; et qui omnibus rebus substantia et virtute præsens est, cum summa facilitate cuncta provideat, et dextera verset ac gubernet?

Vanissimum quoque est, Dei Majestate indignam videri procuracionem terrestrium adeo rerum et quarumvis etiam vilissimarum: quasi vero non sit alienum a bonitate Creatoris, suum denegare præsidium illis creaturis, quæ plus illo indigent ob varias mutationes, quibus terra obnoxia est, et appetituum passionumque procellas, quibus ejus incolæ perpetuo jaectantur? Quasi vero non sint ordinati ipsi cæli et astra ad usum hominum; et æquum non sit, ut magis curetur id, cujus gratia est aliud, quam quod in usum alterius comparatum est? Item cur magis Deo indignum sit minora curare, quam fecisse? Nonne cum grandioribus naturæ partibus ita conjuncta sunt

minora, ut nullatenus possint illa administrari a Deo, quin et horum habeat rationem? Cum nec Imperantes, nec Patres familias, nec navium gubernatores, nec machinarum fabri sua arte aut officio rite fungi censeantur, nisi æqua lege et majores res et minores ingenio comprehensas habeant, suisque consiliis et rationibus temperent.

Nec minus falluntur, qui individua et singularia subducunt divinæ Providentiæ: nam genera non subsistunt nisi in singulis, ita ut si singula perire possint deserta a Deo, possent et ipsa genera, quorum conservandorum nulla alia Deo causa esse potest, quam benefica ejus in singulos voluntas. Sane si Deo mei aliorumve singularium cura non est, cui bono erunt leges, pœnæ, præmia, minæ, consilia, adhortationes, ipsaque Religio? Ais: non quidem eum, qui male egerit, sigillatim puniri, sed cum tota communitate, ubi hæc a Deo castigatur. Infero: is ergo, qui inter mille pericula et scandala improborum in probitate tamen ac integritate perstat, non erit magis probus ac laudabilis, quam is, qui inter probos probus est; imo quamvis probitate antecellat iste, gravioribus tamen pœnis subjiciendus, ubi pravorum communibus suppliciis ipse etiam involvendus est? En! quam indigna affingant Increduli Deo, de quo sentiendum nonnisi in bonitate, qui in bonitate et justitia, in sapientia et sanctitate, in fortitudine et suavitate ordinat universa.

« Caveamus, inquit PLATO, ne Deum mortalibus opificibus viliores putemus: isti sane quanto peritiores sunt, tanto arte sua et parva simul et magna exquisitius absolutiusque perficiunt. » L. 10. de LL. Et quæ demum naturæ pars vilis dici queat? num minima? Sed ut a PLINIO notatum: « Rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est. »

III. *Argumenta Incredulorum contra sapientiam, sanctitatem, justitiam et bonitatem divinæ Providentiæ vana sunt et fatua.*

PROBATIO. Multa sunt equidem, imo plurima, quæ ex malis physicis et moralibus, nec non ex inæquali pœnarum ac præmiorum distributione coacervant Increduli adversus suavem æque ac fortem œconomiam divinæ Providentiæ; sed quia his omnibus abunde satisfacit a Philosophis æque ac Theologis, consulto abstinemus ab operosa confutatione, hac generali duntaxat responsione suam incredulis vafritiem et vesaniam exprobrantes:

1^o. Systema Providentiæ divinæ, quod non unius tantum alteriusve entis historiam aut fortunam, sed divini imperii universitatem, ejusdemque imperii undequaque connexi vices omnes complectitur, immensum, æternum et infinitum est respectu nostri, adeoque incomprehensibile. Sive enim spectetur physica, sive moralis rerum administratio; illinc stupenda connexio et subordinatio perpetua innumerabilium causarum et effectuum, finium, antecessionum, præparationum, adjunctorum, et consequentiarum; hic vero exercitationes virtutis in hoc statu militiæ et probationis, vitiis data licentia, tempora exercendis Dei judiciis statuta, prædestinata divinorum judiciorum instrumenta, præmiorum et pœnarum distributiones, atque omnes actus justitiæ et bonitatis, quamvis undique connexi, plane necessarii, et ad bonum commune præordinati; ex proprietate tamen infinitæ

sapientiae omnino superant mentis humanae sagacitatem. Exemplo sit unus ex innumeris JOSEPHUS, de quo si nihil aliud relatum fuisset, nisi quod venditus a fratribus fuerit, deportatus in Ægyptum, et ob injustam accusationem conjectus in carcerem; severitate erga eum usam esse Providentiam divinam putarem: sed ubi intelligimus, hosce omnes eventus fuisse totidem gradus ad imperii summam in Ægypto obtinendam, et ad salutem sui generis, sortem JOSEPHI nequicquam miseramur.

2°. Sapiens Mundi administratio et sapientissimae regiminis leges postulant vias secretas et occultas: nam major in nobis excitatur admiratio, qui parvi pendimus obvia, et non nisi a communi hominum sensu valde disjuncta suspicimus. Sine incerto exitu rerum humanarum et recondita divinae Providentiae ratione, nullus esset locus probationi hominum, neque exercitio summarum virtutum, fidei, spei, fiduciae et devotae erga Deum voluntatis. Num fuisset tam admirabilis JOB patientia et fides, si antea intellexisset, brevissimas suas ærumnas ipsi allaturas esse majora præmia, vitam longiorem, sobolem numerosiorem, majores divitias et famam? Eadem ratio providendi magis est accommodata hominum libertati: si enim boni semper felices, et mali infelices in hac vita essent; nullus foret optioni locus, an vellent homines boni vel mali esse. Secus, ubi eventus incertus est, atque hinc spes, illinc metus sollicitat, sicque et merito et demerito locus datur. Demum optima quoque ex eo est, quod, cum homo ad immortalitatem destinatus sit, eum abducat a vanitatibus hujus vite, et ab illecebris voluptatum hujus seculi; adducat vero ad spem æternorum et futurae vite desiderium inspiret.

3°. Hæc divinae Providentiae ratio incomprehensibilis manifeste convincit Incredulos, errare homines in multis, et posse res sapientissimas nobis videri alienas a sapientia; ut dum ignoramus, quid cujusvis rei naturae conveniat, et quibus legibus quæque res gubernari et possit et debeat; dum a finibus non discernimus media, et in mediis desideramus finium excellentiam; dum partes sumimus pro toto, et in parte aliqua desideramus totius pulchritudinem et convenientiam. Eadem vero inscrutabilitas divinae Providentiae Deum absolvit tum in illis omnibus actibus, in quibus nihil intrinsece malum deprehendimus, adeoque objectum illorum ob sapientes justasque causas nobis licet incognitas permitti potuit; tum in illis etiam actibus, qui dici possunt supremæ auctoritatis, nimirum contenti intra limites justis et recti, quorum nullam aliam rationem querere debemus præter Dei arbitrium et beneplacitum, cujusmodi et supernaturalis illa in genus humanum œconomia et inæqualis distributio gratiarum. Eant ergo Increduli, et tanquam sapientes Philosophi Dei agant consiliarios, eaque infinitæ sapientiae suggerant media, queis Deus diversissimis diversissimorum hominum studiis, affectibus, votis ac indigentis (ad ipsorum fanaticum) faciat satis; aut saltem ad respondendum suis dubiis Numen adstringant sempiternum minuti Philosophi!

Legant Increduli magnifica divinae Providentiae præconia apud TULLIUM L. 1. *de nat. Deorum*; apud TERTULLIANUM L. *contra Marcion*. c. 24; apud LACTANTIUM L. *de ira Dei* c. 9. *contra Epicurum*; apud S. AUGUSTINUM *de vera Relig. epist.* 70.

§ III. COROLLARIA.

Cum igitur verissimum sit, quod monet SENECA: « Quocumque te flexeris, ibi Deum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet. Ergo nihil agis, ingrattissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ, fato aut fortunæ. Officium, si quod a Seneca accepisses, Annæo te diceres debere vel Lucio, non creditorem mutares, sed nomen: quoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem tamen ille esset. Sic naturam voca, fatum, fortunam, omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. » L. IV. *de Benefic.* c. 7. Itaque Providentiam Numinis infinite sapientem, o homo, prædica, sanctam adora, bonam ama, justam time. Fundat hæc divinae Providentiae fides fiduciam erga Deum maximam: huic fidei ceu fulero firmissimo insistit Religio, cum summam hominis a Deo dependentiam illustret, ac pietati omnium virtutum suggerat actus: ex hac fide pendebat salus Reipublicæ Judaicæ, quam illa deficiente premebant fames, pestis, bellum, arma Providentiæ vindicantis; et quam illa vigente ac reviviscente Providentiæ miserentis ac largientis munera recreabant.

Quin omnium temporum monumenta exhibent aptissima divinatorum judiciorum exempla, insignium sceleratorum tragicos exitus, criminum secretissime admissorum detectionem et poenam, gentium, dum probitatem ac virtutem coluerunt, felicitatem, earundem in vitia ac irreligionem prolapsarum ruinam et interitum; et tam miris sæpe modis, tamque contra omnem expectationem, ut ex iis omnibus æterna ac infinita Dei Providentis sapientia, potentia et justitia clarissime elucescat. Igitur in omnibus providæ Dei voluntati non modo assentiendum, sed, ut præcipit EPICETUS, tueri etiam apud alios oportet divinam Providentiam, ac imitari magnum illud patientiæ exemplar JOB, cum diceret: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.*

Incredulorum exceptiones nervose compressas exhibent SCHERLOCK *de Provid. Dei*. BUTLER *Analogia Religionis naturalis cum revelata*. YOUNGIUS *in den Nachtgedanken*, pag. 297-99. LEONARD LESSIUS, S. J. *de Provid. et immortal. animæ*. GEORG. STENGELIUS S. J. in Libro: *Mundus et Mundi partes divinae bonitatis præcones*, Ingolstadii 1645. P. HENR. KILBER, S. J. in *Inst. Theol. de Deo*. AUGUSTI NÖESSELT *Vertheidigung der Wahrheit und Göttlichkeit der Christlichen Religion*, Hallæ 1766...

SECTIO IV.

DE DEI PROVIDENTIS ŒCONOMIA CIRCA RELIGIONEM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Vere problema dici potest vita humana, quod ut solvant, omnes Religiones adlaborant. Quid est homo? cur terram inhabitat? unde venit? quo vadit? questiones sunt non parum arduæ, quibus ut satisfaciant, omnium gentium ac temporum sapientes eo modo respondent, quem sua cuilibet Religio dicat. Videtur ergo præhabenda cæteris ea Religio ceu sapientissima sanctissimaque, quæ isthæc quesita expediat optime, modo scilicet, qui sit Deo dignissimus ac homini optatissimus. Quis vero sit modus iste, brevis divinæ œconomiae circa veram Religionem descriptio et successivæ dispensationis historia elucidabunt. Juvat autem prægustare primi hominis statum, nempe creationem, lapsum et reparationem.

1^o. Perfecta Mundi fabrica hominem formavit Deus innocentem et rectum, sive, ut aiunt, in justitia originali, quæ est prima hominis stola ac beata conditio, tot juribus ac privilegiis exornans primum omnium parentem. Nempe homo Deo charus erat, angelis fere par, contra diabolicos insultus probe munitus, animo rerum cognitione et scientia amplissima, divinaque gratia et reliqua virtutum suppellectili instructo, corpore vero perfectæ habitudinis sine vitio ac nævo gaudebat. In eo perfecta libertas, summa quies animi, nulli passionum ac perturbationum tumultus; divina identidem colloquia recreabant; fundebat tellus facilem jucundumque victum; posita vitæ arbor immortalitatis alimentum; divinam in homine imaginem bestiae adeo venerabantur; divinæ gratiæ radius ubertim affluebat, et inhabitabat Spiritus Dei ac gratia sanctificans, vitæ interioris et spiritualis principium supernaturale. Videlicet cuncta suppetebant ad beatam vitam in terris degendam, ac cœlestem deinde multo beatiorum obtinendam; licet enim terrestri tractus incola esset, cœlestis tamen civitatis municeps erat.

2^o. Verum homo, cum in honore esset, ab eo descendit, et carpendo lethalis arboris mala, quibus illum interdixerat optimus parens, eam naturæ integritatem amisit, quam cum divina gratia acceperat; hinc naturæ corruptæ status; hinc Dei hostis factus, qui ei prius erat in deliciis; stola prima spoliatus ac cœlesti excidens municipio, angelis horrore, dæmoni ludibrio fuit; hinc paradiso ejectus in terram incultam; hinc morti addictus ac mortalibus ærumnis obnoxius, cujus jam nec formam amplius tremebant animantes, nec vocem agnoscebant. Libertas agendi relicta quidem est, sed longe debilior evasit, fomite peccati accenso, irritata concupiscentia, motibus passionum tumultuantibus, obductis ignorantiae errorumque tenebris. Ita peccatum in summas animi et corporis angustias hominem redegit, ut nisi denuo succurrisset divina bonitas, spe salutis omni caruisset.

3^o. Homo lapsus cum non posset satisfacere læsæ Majestati, nec pristinam recuperare potuit felicitatem; et sicut ADAM, si stetisset, eandem naturam integram iisdemque dotibus ac prærogativis instructam in totum genus humanum derivasset, ita per obsequii desertionem ex pristino gradu dejectus et sceleris notatus infamia, hanc quoque posteris inussit, ut proscriptus a Deo gigneret filios justitiæ originalis expertes, iisdem ærumnis et miseriis obnoxios, paterni reos criminis, damnationis et maledictionis ejus hæredes. Res humanæ in pejus semper ruissent, ac animæ immortales solute corporibus in æterna morte cum Dæmone permansissent; sed Deus stupendo charitatis mysterio (in quo vere justitia et pax osculatæ sunt) in gratiam hominem recipit, et capitis sententiam in exilii pœnam mutat propter merita futuri Liberatoris. Hujus mediatione novum sancitur pactum (vere pietatis magnum Sacramentum) Unigenitus Dei Filius, assumpta ex Virgine natura, postquam decrevit eam offerre Deo plenissimam satisfactionem, quam ipsi reddere homo natura filius iræ et debitor non potuit, factus propitiatio pro delictis totius Mundi delevit chirographum, quod erat contrarium nobis, exspoliavit principatus et potestates, atque ab æterna morte totum genus suum liberavit. Hisce prænotatis divina circa Religionem œconomia splendidius illucescet.

§ II. THEMATA.

I. Deus satis providit homini de vera Religione in Lege Naturæ.

PROBATIO. Deus sicut jamdum ab origine Mundi leges quasdam tulit ac promulgavit, quibus homines contineret, ut sibi propositum finem æternæ beatitudinis prosequerentur; ita primis in curis semper habuit, ut veram Religionem ceu medium unicum obtinendi illius finis homines edocerentur. Et quidem in Lege Naturæ, Deus privatis quibusdam hominibus sui Spiritus copiam faciebat, a quibus dein alii rescirent, quis sit ille cultus Deo acceptus. Cæterum nullam iis legem scripto tradidit, sufficere ratus iis temporibus, quibus longæva esset hominum vita, continuatam primorum dogmatum ac præceptorum a Majoribus ad posteros transmissorum consecutionem. Ita primis nostris parentibus statim post lapsum patefecit venturum aliquando Liberatorum ex semine mulieris, qui antiqui serpentis caput contereret, veniam peccatis hominum mereretur, et cohæredes regni sui eos efficeret, qui fide ipsi conjuncti pie et recte viverent; pollicitusque est propter hujus seminis benedicti merita, se humano generi non defuturum; utque hujus Mediatoris memoria diutius vigeret, mactationibus bestiarum coli voluit, quibus clare significabatur, homines morti destinatos Agni immaculati cruento sacrificio aliquando liberandos fore.

Hujus neglectum ac despectum Religionis (cum omnis caro corrupisset viam suam) generali quidem diluvio justitia divina vindicavit; in NOËMO tamen ejusque familia, quam suis Deus itidem promissis benignissime consolatus est, eandem conservavit. Tum vero 400. annorum spatio jam iterum evanescente vera Religione, cum Deum non mente, sed oculis querere homines cœpere, solem et stellas colere alii, demortuos alii parentes et Reges adorare, alii muta et frigida simulacra venerari; succurrit rursum

Dei benignitas, decernitque unam a Nationibus cæteris gentem segregare, cujus ipse esset gentilitius et tutelaris Deus, quamque singulari cura tegeret, augetet, institueret. In hanc adoptionis gratiam assumpsit ABRAHAMUM, cum quo pactum iniit, cujus pars altera temporalis pertinebat ad progeniem carnalem et terram Chanaan, pars spiritualis altera ad semen benedictum et universam gentem humanam; quodque solemniter et jurejurando sanctum voluit, ISAACO etiam et JACOBO confirmatum, ita ut appellari non sit dedignatus omnipotens, *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*, Gen. XVII. et XX.

II. *Plenius veram Religionem Deus edocuit in Lege Scripta.*


PROBATIO. In Lege Scripta (quæ successit Legi Naturæ, et pro qua Deus Mosis operam adhibuit) sacri ritus a Deo ordinati, qui religionem Judaicam ab aliis distinguerent, horum item rituum sacri ministri constituti cum potestate de rebus ad cultum divinum spectantibus judicandi: Prophetæ identidem divino afflati Spiritu oraculis et miraculis divinam Religionem illustrabant: Summus etiam Pontifex Judaici ritus supremus iudex fatidico instinctu concitus nonnunquam edebat vaticinia: tam vero peculiari providentia Deus semper rexit hunc populum suum, ut salus publica et reipublicæ incolumitas cum pietate et obedientia fuerit conjuncta, desolatio et afflictio rebellionem adversus Deum semper insecuta sit; quo modo apud populum duræ cervicis servata semper est vera Religio. Qua in re id notandum præcipue, quod in Lege Mosaica ita Deus omnia disposuerit, ut ea, quæ acciderent, typi et figuræ essent rerum futurarum; ut in ipsa Lege significaret venturum aliquando Prophetam similem Mosi, hoc est, Legislatorem et Mediatorem Testamenti, cui parendum sit etiam a Judæis; ut demum per continuam Prophetarum successionem, quo propiora erant Messiae tempora, eo clarius illius personam, munera, vitamque omnem exprimeret.

III. *Plenissime Deus instruxit hominem de veritate Religionis in Lege Gratiae.*

PROBATIO. In Lege Gratiae (quæ est Evangelica) Deus multifariam multisque modis olim locutus in Prophetis loqui nobis voluit per Filium, placita veræ Religionis et verba salutis æternæ. Nascitur is Virgine Matre, stirpe Davidica, in urbe Bethlehem, Templi Dominator et Angelus Testamenti; ab angelis annuntiatur pastoribus, sidere Magis innotescit, voce clamantis in deserto hominibus demonstratur, et clara etiam voce de cælo delapsa; postquam Legationis suæ fungi munere incipit, instituens Ecclesiam, quam in spiritu charitatis regit, suo sanguine pascit, sua gratia recreat, sua carne saginat: in qua diversos Hierarchiæ gradus et ordines distinxit sub uno supremo Capite, diversa ministeria constituit tum ad verbi Divini predicationem, tum ad Sacramentorum administrationem, tum ad varium jurisdictionis Ecclesiasticæ usum; in qua indefectibilitas, perpetuitas, omnesque prærogativæ ac privilegia simul esse voluit, quæ in aliis duntaxat seorsim fuerant; in qua demum propter passionem mortis gloria et honore coro-

natus, et summa rerum potitus Spiritum Sanctum illiusque dona distribuit, venturus aliquando cum gloria judicare vivos et mortuos.

Hæc omnia, uti sunt evidentissima divinæ Œconomiae circa Veram Religionem argumenta, ita sunt et ipsa testatissima fidei monumenta ex Sacris Annalibus Veræ Religionis, quorum summam itidem authentiam suo loco vindicaturi sumus.



DIRECCIÓN GENERAL

DISSERTATIO II.

DE RELIGIONE.

SECTIO I.

NOTIO ET QUIDDITAS RELIGIONIS.

§ I. PREGONITA.

Ut ordinate procedant Nostræ Vindicæ, de Religione dicendum est primum generatim. Sicubi vero Religionis Christianæ prius occurrat mentio, quam de Christianismo speciatim actum sit, hujus causa est, quod Vera Religio harum Dissertationum scopus sit; vera autem non nisi una est, eaque Christiana. Faxit Deus, objectum, auctor, finis ac præmium Veræ Religionis, ut dum versor in argumento tam gravi, scopo respondeat conatus et huic eventus; mens vero mea jugiter respiciat illam SALVIANI sententiam: « Tanta est Majestatis Sacræ et tam tremenda reverentia, ut non solum ea, quæ ab impiis hominibus contra Religionem dicuntur, horrere; sed etiam quæ pro Religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu et disciplina dicere debeamus. »

§ II. THEMATA.

I. Religio est Cultus Dei Legitimus.

PROBATIO. Qui non Deum, sed aliud quid veneratur ac colit sine ullo ad Deum respectu, cultum præstat non religiosum, sed vel officiosum, vel superstitiosum; et qui Deo cultum exhibet, sed contra legem ac voluntatem Dei, Deum non tam colit, quam subsannat. Proin ut veri nominis Religio detur; et Dei sit cultus, et legitimus sit, oportet. Cum vero Deus infinite gaudeat perfectionibus, legitimus Dei cultus non est, nisi summus summi amoris erga fontem totius et perfectionis et felicitatis creatæ, summi-que obsequii erga Conditorem, Moderatorem, Dominum, Patrem ac Finem Ultimam creaturarum. Igitur Fundamentum Religionis est primo existentia Creatoris infinite perfecti, qui, licet sibi sufficientissimus atque in se ipso felicissimus creaturis non indigeat; tamen inexplicabili bonitate creaturas con-

didit uti ad suam gloriam, ita ad aeternam illarum beatitudinem : Secundo existentia creaturarum, quæ sicut non sunt sine Deo, ita sine Deo felices esse non possunt; ac proin se totas Deo debent, et non tantum observantiam, subjectionem, obedientiam, fidem, pietatem, amoris timorisque affectum; sed officia et obsequia omnino omnia honoris, laudis, gratulationis, adorationis, ac quæcumque attestantur, Deum propter infinitam excellentiam dignissimum esse, pro cuius honore vitam cum sanguine profundamus.

II. *Religio exposcit ab homine tam intellectus quam voluntatis erga Deum obsequia.*

PROBATIO. Religio partim Theoretica est, quæ (cum præstatur ab intellectu) exigit, ut de natura et proprietatibus naturæ divinæ recte sentiamus : partim Practica, quæ (cum a voluntate exhibetur) postulat, ut Deum diligamus, invocemus, metuamus, colamus signis etiam externis. Itaque deficit Religio quoad officia Theoretica, ubi species Numinis corporea fingitur, quæ omnis a divina Majestate aliena est; ubi Atheismus est, Polytheismus, Theismus, Manichæismus, Epicureismus, Idololatria; quia qui vel nullum vel plures Deos vel Deum corporeum vel nostri incurium, vel pro Deo simulacra et bestias colit, Deo indignissima tribuit. Deficit quoad officia Practica, ubi vani et superstitiosi ritus sunt, quales erant apud Ethnicos Aruspicum atque Augurum Religiones; ubi ludi, qui nedum foveant pietatem, sed avocent potius et abducant, quales erant Circenses et Scenici; verbo, ubi odium et contemptus Dei, desperatio, superstitio, magia, infidelitas et hæresis pro amoris et timoris obsequio redduntur Deo sapientissimo, veracissimo, providentissimo, sanctissimo, ac in omni genere perfectissimo.

Demum ut plenissime satisfiat officiis erga Deum : si Deus leges ferat, iis exactissime parendum est; si quid vetet, fugiendum; si quid mandet, exequendum; si beneficia conferat, grates agendæ; si quid inferat pœnæ, æquanimitèr tolerandum; si re quapiam indigemus, ab eo summis precibus flagitanda; si annuat, gratulandum; si renuat, acquiescendum est; et si quid a nobis admittatur, quod cum recta ratione non consentiat, et vel Deo ingratum, vel proximo grave sit, venia exoranda, culpa lacrymis eluenda est, ut sicut Deum cognoscimus, ita in omnibus glorificemus.

III. *Religio exigit cultum Dei non solum Internum, sed etiam Externum.*

PROBATIO. Religio, quæ solum exterius Deum colit, nec Deo nec homine sat digna Religio est, plebeia nimis ac fere paganica. Religio mere interna et Deo et homine digna magis, at minus plebi accommodata est; igitur vera et perfecta Religio est, quæ utrumque Deo cultum exhibet, tum ut rude vulgus erigatur ad interna, tum ut sapientes demittantur ad externa. Quippe oportet plebem nosse spiritum litteræ, et doctos litteræ sum spiritum submittere per exterius obsequium. Hinc ubicumque invaluit Religio, invaluit exterior Dei cultus per templa, preces publicas et sacrificia, ita ut pro tempore Legis Naturæ hunc externum Deo cultum primus exhibuerit Enos, de quo etiam ipsa jamdum ABELIS et CAINI ac postea NOEMI sacrificia attestantur; in Lege autem Mosaica a Deo, et in Lege Evangelica a Christo cultus externus

ac publicus fuerit institutus. Idque ad nativam hominum constitutionem ac propensionem, qua non solum mentem et voluntatem, sed omnes, quas natura dedit, facultates corporis ad Dei cultum conferre oportet, quo fiat tam corporis, quam animæ sacrificium; animæ Deum super omnia diligentis, et corporis per externa signa testificantis, Deum vitæ ac mortis supremum arbitrum esse.

Conditi nempe sumus propter Deum et in laudem gloriæ ejus; proin uti de Deo recte existimare et bene erga eum affici, sic recte agere necesse est. Et profecto exercitationes corporis externæ naturaliter comitantur internos animi motus, eosdem sensus in nobis intendunt, et (quod in honore publico præcipuum est) contagione quadam excitant in aliis cultum itidem religiosum. Demum quia Religio publica in omnibus una esse debet, signorum quoque externorum conformitas ad pacem et mutuam gentium consensionem plurimum conducit.

Verum cum Naturæ Divinæ infinita majestas sit, testanda est summa reverentia, maximeque in cultu externo gravitas, ne summa in Sacris reverentia Mahumetanorum ac Ethnicorum confundat Christianorum irreverentiam; et cum Deus sit Ens sanctissimum, simulque cordium scrutator oculatissimus, non solum admovenda est divinis Aris castimonia corporis, sed pura etiam et incorrupta mente perfungi oportet officiis Religionis. Nam simulare pietatem contumelia est, et Sacris sese immiscere absque pio animo, contemptus est Majestatis. « Donis impii, ait TULLIUS, ne placare audeant « Deos : Platonem audiant, qui velat dubitare, qua sit mente futurus Deus, « cum vir nemo bonus ab improbo se donari velit. »

Objio. I. Nequit Deus intendere quidquam prorsus inutile : sed cultus a creaturis exhibendus inutilis est; tum quia Deus in seipso perfectissimus ac felicissimus hoc cultu non indiget; tum quia sinit Deus, undique grassari impietatem atque irreligionem, quod seriæ voluntati divinæ de cultu ac obsequio Religionis omnino repugnat.

RESP. Frivolum hoc THOMASII argumentum 1º. nimium probat, videlicet Deum ne Mundi quidem creationem potuisse intendere, eo quod nihil inde boni valeat percipere : 2º. Retorquetur a Cl. HEINECCIO de cultu interno, qui, licet Deus illo non indigeat, tamen Deo debetur ob summum in creaturas dominium, summamque creaturarum a Deo dependentiam. Deus itaque sui cultum intendit ab hominibus eo fere modo, quo Princeps de terra suscitans inopem hujus intendit gratitudinem, non ut bonum, quo ditetur ipse aut perficiatur; sed ut tributum, quod reddi pro beneficiis suprema ratio jubet. Impietatis ac Irreligionis fere per Universum debacchatio nihil præjudicat summæ Dei seu bonitati seu potentiae. Nam divina omnipotentia de his, qui non faciunt quæ vult, obediendo, facit ipsa quæ vult, puniendo. Infinita Dei bonitas, quod non redametur ab homine (cujus amori sese totam impendit pro odio identidem reddens amorem), vel exinde commendatur magis ceu dignissima omnium fide, amore, adoratione, confidentia, timore, gratitudine, summaque mentis et corporis subjectione. Principem beneficium ac liberalem, quisquis vecors non fuerit, laudat, extollit, amat et veneratur; ergo tanto plus Deo id præstandum, quanto humanis præstant divini favores.

Objic. II. Si Deus naturæ auctor Religionis etiam sit auctor, eadem universis mortalibus colendi Numinis ratio inde a naturæ primordio præscribi debuit, ne diversitas cultus Divini diversas inter se gentes collideret. Verum quot sunt gentes ac nationes, tot fere sunt aut fuerunt cultus diversissimi.

RESP. Consensus populorum in admittendo exteriori Numinis cultu, in quantum auctorem habet Deum et concernit substantiam Religionis, semper fuit unanimes, pari vigens modo, ubicumque audita est vox naturæ; unde CICERO in Oratione pro Flacco: « Sua cuique civitati Religio est; Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege, quæ hoc præcipiat, careat. » Signa vero cultus exterioris (modo indecori nihil habeant, et hominis in Deum declarent observantiam) varia pro varietate Regionum esse, hæud obstat: sive enim alicubi stantes, alicubi flexo genu, alicubi expansis in cælum manibus orent homines; sive CAIN de fructibus terræ, sive ABEL de primogenitis sui gregis munera Deo offerat; ubique gratum Deo sacrificium, si pie oblatum. Attamen sacrificia liquorum et pecorum, exterior quædam corporis demissio in ipsa Dei invocatione, amor et gratiarum actio, quæ primorem Dei cultum constituunt, pari omnium consensu recepta; et in Lege Nova unica oblatio munda in omni loco offertur et sacrificatur.

Objic. III. Cultus Dei externus recens adinventus est, et quidem ab arbitrio, phantasia et superstitione hominum, adeoque indignus Deo et natura rationali; hinc SENECA ridet Idololatrias, quod exteriore cultu sua prosequantur Numina, cujus sententiam laudat S. AUGUSTINUS L. VII. de Civ. c. 10.

Ita ROUSSEAU *Emile* Tom. III. pag. 94. et TOUSSAINT op. *Les Mœurs* P. I. c. 3. p. 64.

RESP. Hæc quam sint falsa, omnes omnium temporum, omniumque nationum historia eloquuntur; si quidem nulla unquam gens fuerit solo cultu Dei interno contenta; sed populi omnino omnes ritibus, ceremoniis et sacrificiis quibusdam externis suos Deos coluerint; atque ipse adeo MACHIAVELLUS simulato cultui Religionis externo suam pseudopolitice inniti voluerit. Cum igitur hæc persuasio hominum universalis ac naturalis sit; necessum videtur, pro Vera Religione eum ritum externum fuisse aut genericæ (ut in Lege Naturæ) aut magis specificæ (ut in Lege Mosaica et Evangelica) a Deo determinatum, ne is pro libitu hominum in ridiculos, supersticiosos ac sæpe detestandos abusus recideret. Idololatræ suis Idolis deferebant cultum externum hominibus deferri solitum, ita ut crederent ex suis muneribus vel Diis commodum accedere, vel suum Diis internum affectum innotescere; quod utrumque merito ridet cum SENECA AUGUSTINUS; quia Deus non eget nostris bonis, et scrutator cordium est.

Contra ROUSSEAU et TOUSSAINT op. *Les Mœurs*, vide plura in D. ERNESTI Vindictis arbitrii in Religione constituenda.

Objic. IV. Deus in spiritu et veritate adorandus est, ut docet ipsa Veritas apud JOANNEM. Deus non colitur, nisi amando, verba sunt S. AUGUSTINI. Et MINUTIUS FELIX in Octavio, « hæc nostra sacrificia (inquit) hæc Dei sacra sunt; apud nos religiosior est ille, qui justior. » Non ergo colendus est Deus signis externis ac corporeis.

RESP. CHRISTI et AUGUSTINI verba hoc sensu intelligenda sunt, quod sine interno affectu nihil prosint externa opera pietatis; atque id contra errorem Judæorum, quibus tota ratio divini cultus in solis externis ceremoniis erat. Utrumque internum et externum cultum Christus conjungi voluit, ita ut interior cultus per opera externa manifestetur, atque exterior velut animetur ab interiore. Hinc multa discipulis servanda ipse mandavit; hinc Phariseis hypocritis dixit: *Hæc oportuit facere, et illa non omittere.* MINUTIUS FELIX non cultum exteriorem vere Christianum, quem pie ac devote obiit ipse, sed vanas ac impias Gentilium superstitiones redarguit. Utrinque S. THOMAS vere Angelicus: *Adoratio corporalis, ait, etiam in spiritu fit, in quantum ex spiritali devotione procedit, et ad eam ordinatur.* 2. 2. q. 84. a. 2. ad 1. *Idololatræ deridentur ex hoc, quod ea, quæ ad homines pertinent, Idolis exhibeant, non tanquam signa exultantia eos ad aliqua spiritalia; sed tanquam per se iis accepta, et præcipue quia erant vana et turpia.* 2. 2. q. 31. a. 7. ad 3. Constat itaque vera in Deum pietas (ex omnium Patrum ac TT. sensu) his tribus: reverentissimis de Deo sentiis, piissimis in Deum affectibus, et cultu Dei externo honorificentissimo.

SECTIO II.

UTILITAS RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Sub imperio sanctissimi et justissimi Numinis utilitas et pietas divisæ esse non possunt. Agnitionem et cultum veri Numinis ad hominum utilitatem privatam æque ac publicam conferre plurimum, demonstraturus sum adversus turbam Impiorum, quorum Coryphæi CARDANUS et HOBBSIUS Religionem hominibus noxiam, BAYLIUS inutilem, ROUSSEAU et LASSERRIUS rebus publicis minime convenientem pestiferis scriptis traduxerunt. SPINOZÆ vero systema, cui quamdam dedit auctoritatem novitas et forma geometricæ elaborata, uti Religionis ita felicitatis humanæ eversivum, omnium perniciosissimum ac sceleratissimum est; cui tamen seu vesania seu impietate vix quicquam cedit EMILIUS ROUSSEAU, in quo, ut omnem penitus Religionem eliminat, eam hominis educationem proponit, vi cujus homo non sola communicatione cum Deo, sed omni etiam humana societate ut innoxia spoliatus, ad bestias et infra sortem brutorum abjicitur.

ROUSSEAU in Libro: *Principes du Droit Politique*, 1762. LASSERRIUS: in Libro: *La vraie Religion démontrée*, 1743. Ejusdem impietatis est schediasma: *Naufrage des Isles flottantes*, 1733...



Objic. II. Si Deus naturæ auctor Religionis etiam sit auctor, eadem universis mortalibus colendi Numinis ratio inde a naturæ primordio præscribi debuit, ne diversitas cultus Divini diversas inter se gentes collideret. Verum quot sunt gentes ac nationes, tot fere sunt aut fuerunt cultus diversissimi.

RESP. Consensus populorum in admittendo exteriori Numinis cultu, in quantum auctorem habet Deum et concernit substantiam Religionis, semper fuit unanims, pari vigens modo, ubicumque audita est vox naturæ; unde CICERO in Oratione pro Flacco: « Sua cuique civitati Religio est; Deum quippe natura venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege, quæ hoc præcipiat, careat. » Signa vero cultus exterioris (modo indecori nihil habeant, et hominis in Deum declarent observantiam) varia pro varietate Regionum esse, hæud obstat: sive enim alicubi stantes, alicubi flexo genu, alicubi expansis in cælum manibus orent homines; sive CAIN de fructibus terræ, sive ABEL de primogenitis sui gregis munera Deo offerat; ubique gratum Deo sacrificium, si pie oblatum. Attamen sacrificia liquorum et pecorum, exterior quædam corporis demissio in ipsa Dei invocatione, amor et gratiarum actio, quæ primorem Dei cultum constituunt, pari omnium consensu recepta; et in Lege Nova unica oblatio munda in omni loco offertur et sacrificatur.

Objic. III. Cultus Dei externus recens adinventus est, et quidem ab arbitrio, phantasia et superstitione hominum, adeoque indignus Deo et natura rationali; hinc SENECA ridet Idololatrias, quod exteriore cultu sua prosequantur Numina, cujus sententiam laudat S. AUGUSTINUS L. VII. de Civ. c. 10.

Ita ROUSSEAU *Emile* Tom. III. pag. 94. et TOUSSAINT op. *Les Mœurs* P. I. c. 3. p. 64.

RESP. Hæc quam sint falsa, omnes omnium temporum, omniumque nationum historiæ eloquuntur; si quidem nulla unquam gens fuerit solo cultu Dei interno contenta; sed populi omnino omnes ritibus, ceremoniis et sacrificiis quibusdam externis suos Deos coluerint; atque ipse adeo MACHIAVELLUS simulato cultui Religionis externo suam pseudopolitice inniti voluerit. Cum igitur hæc persuasio hominum universalis ac naturalis sit; necessum videtur, pro Vera Religione eum ritum externum fuisse aut genericæ (ut in Lege Naturæ) aut magis specificæ (ut in Lege Mosaica et Evangelica) a Deo determinatum, ne is pro libitu hominum in ridiculos, supersticiosos ac sæpe detestandos abusos recideret. Idololatræ suis Idolis deferebant cultum externum hominibus deferri solitum, ita ut crederent ex suis muneribus vel Diis commodum accedere, vel suum Diis internum affectum innotescere; quod utrumque merito ridet cum SENECA AUGUSTINUS; quia Deus non eget nostris bonis, et scrutator cordium est.

Contra ROUSSEAU et TOUSSAINT op. *Les Mœurs*, vide plura in D. ERNESTI Vindictis arbitrii in Religione constituenda.

Objic. IV. Deus in spiritu et veritate adorandus est, ut docet ipsa Veritas apud JOANNEM. Deus non colitur, nisi amando, verba sunt S. AUGUSTINI. Et MINUTIUS FELIX in Octavio, « hæc nostra sacrificia (inquit) hæc Dei sacra sunt; apud nos religiosior est ille, qui justior. » Non ergo colendus est Deus signis externis ac corporeis.

RESP. CHRISTI et AUGUSTINI verba hoc sensu intelligenda sunt, quod sine interno affectu nihil prosint externa opera pietatis; atque id contra errorem Judæorum, quibus tota ratio divini cultus in solis externis ceremoniis erat. Utrumque internum et externum cultum Christus conjungi voluit, ita ut interior cultus per opera externa manifestetur, atque exterior velut animetur ab interiore. Hinc multa discipulis servanda ipse mandavit; hinc Phariseis hypocritis dixit: *Hæc oportuit facere, et illa non omittere.* MINUTIUS FELIX non cultum exteriorem vere Christianum, quem pie ac devote obiit ipse, sed vanas ac impias Gentilium superstitiones redarguit. Utrinque S. THOMAS vere Angelicus: *Adoratio corporalis, ait, etiam in spiritu fit, in quantum ex spiritali devotione procedit, et ad eam ordinatur.* 2. 2. q. 84. a. 2. ad 1. *Idololatræ deridentur ex hoc, quod ea, quæ ad homines pertinent, Idolis exhibeant, non tanquam signa exultantia eos ad aliqua spiritalia; sed tanquam per se iis accepta, et præcipue quia erant vana et turpia.* 2. 2. q. 31. a. 7. ad 3. Constat itaque vera in Deum pietas (ex omnium Patrum ac TT. sensu) his tribus: reverentissimis de Deo sentiis, piissimis in Deum affectibus, et cultu Dei externo honorificentissimo.

SECTIO II.

UTILITAS RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Sub imperio sanctissimi et justissimi Numinis utilitas et pietas divisæ esse non possunt. Agnitionem et cultum veri Numinis ad hominum utilitatem privatam æque ac publicam conferre plurimum, demonstraturus sum adversus turbam Impiorum, quorum Coryphæi CARDANUS et HOBBSIUS Religionem hominibus noxiam, BAYLIUS inutilem, ROUSSEAU et LASSERRIUS rebus publicis minime convenientem pestiferis scriptis traduxerunt. SPINOZÆ vero systema, cui quamdam dedit auctoritatem novitas et forma geometricæ elaborata, uti Religionis ita felicitatis humanæ eversivum, omnium perniciosissimum ac sceleratissimum est; cui tamen seu vesania seu impietate vix quicquam cedit EMILIUS ROUSSEAU, in quo, ut omnem penitus Religionem eliminat, eam hominis educationem proponit, vi cujus homo non sola communicatione cum Deo, sed omni etiam humana societate ut ut innoxia spoliatus, ad bestias et infra sortem brutorum abjicitur.

ROUSSEAU in Libro: *Principes du Droit Politique*, 1762. LASSERRIUS: in Libro: *La vraie Religion démontrée*, 1743. Ejusdem impietatis est schediasma: *Naufrage des Isles flottantes*, 1733...

§ II. THEMATA.

I. *Hominis plurimum interest, sive ad conditionem privatam, sive ad societatem naturalem, esse Religionem.*

PROBATIO. Religio ceu agnitio et cultus existentis ac providentis Dei, homini aperit ordinem rerum maxime optandum, cum Irreligio in scenam immittat tristitia et horrore plenissimam. Quippe Religio nobis exhibet in rerum universitate Rectorem sapientem, benevolum, beneficum, propter infinitas virtutes summe amabilem, cujus optimis et sanctissimis decretis cuncta primum constituta perpetuo ordine decurrunt. Amplificat naturam hominis et auget ejus dignitatem persuadendo, nos divinam sortitos originem cum optimo parente Deo, cum Ente infinite perfecto habere quamdam similitudinem et cognationem, atque esse quædam ejus simulacra. Adjunctam habet securitatem, summam spem atque solidam felicitatem docens, optimi parentis ditione cuncta contineri, ejusque beneficam erga bonos voluntatem, propter infinitam sapientiam atque potentiam nunquam suis finibus frustrari; etiamsi adversa utamur fortuna, habere nos in spe divini præsidii maxima fortitudinis et constantiæ adminicula; spem quoque injicit, non esse hujus mortalis ævi limitibus finitam hominum vitam, extremum diem nostrum, non extinctionem (quam refugit natura) sed commutationem tantum loci afferre, æternique natalem esse. Tandem excitat ad omnes virtutes, quæ mentem exornant, pacem et tranquillitatem animis ingenerant, adjungunt nobis alios homines, et cujus commoda sunt infinita.

Irreligio vero Atheistica statuit, tenere in Mundo principatum vim quamdam infinitam sine ratione, sine consilio, sine benevolentia, temere et sine lege cientem motus necessarios: naturam humanam vilissimam, ejus originem fortuitam, et vitam acervum atomorum adstruit, quarum si commissuræ dissolvantur, vitam nostram omnem interire necessum sit: nullam affert securitatem, cum teneat fortuna imperium; spem nullam, quia omne bonum nostrum constituit in iis, quæ nec in nostra sunt potestate, nec nos ut atomi ullo modo curant, aut juvare possunt: horrenda etiam expectatione mortis omnes lætitiis eorum inficit, qui in ea omnia putant interire, atque post exantlato vitæ labores nihil homines manere, præter extinctionis malum sempiternum: demum vitiorum laxat habenas, quæ mentis corporisque habitum corrumpunt, animum ægritudinibus elidunt, alios homines a nobis alienant, contemptum cient et odia, præter innumera alia incommoda. Præterea cum irreligio seu atheistica impietas tollat necessitatem bene agendi ortam ex consideratione Numinis sanctissimi, omniscientis et omnipotentis; omnem quoque spem præmiorum, omnem metum suppliciorum, sicque honestatis ac felicitatis conjunctionem dirimat; mutua hominum erga se officia, eorumque perfectam obligationem penitus tollit cum summo detrimento societatis naturalis.

Quanto igitur præstat sapientia cæcitati, benignitas et beneficentia temeritati, ordo confusioni, gratissima concordia tristissimæ anarchiæ, spes et securitas horrore ac desperationi, virtutum decora ac præmia vitiorum probris et suppliciis; tanto gratior est aspectus Religionis ad vitæ tam privatæ, quam socialis commoda utilissimæ.

II. *Religio præcipuum fundamentum est Status Civilis, cui illa optimos et Principes et Subditos efformat.*

PROBATIO. Summa hominum in terris felicitas erit, si Imperantes æquæ ac subditi tales sunt, quales efformat Religio, uti frænum despotismi ac tyrannidis, frænumque rebellionis ac perfidiæ, sic calcar ad honestatem, ad virtutes, ad quævis summa et optima. Namque Principes efficit Religio semper memores, se Deos esse terrestres, omnes vero homines esse fratres; totam suam potestatem a Deo esse, ut sit divinæ æmula in bonum subditorum, sed et Dominum Dominantium esse in cælis, cui subdantur omnes Magnates terræ; supremam judicandi ac vindicandi Regibus esse potestatem, esse vero judicem judicum, qui judicaturus sit universos eo districtius, quo major potestas et latius imperium homini concessum fuerit; eorum imperium omne his geminis duntaxat fulcris insistere: Deum diliges ex toto corde et proximum sicut teipsum; consciis suæ fragilitatis humanæ conquiescendum esse in consilio prudentum, in exemplis Majorum, in legum divinarum humanarumque regula, et in recto affectuum moderamine; Dei honorem quaqua via promovendum in primis curis esse debere, ut divino hoc studio divinam pro patria benedictionem demerentes, veros se probent patriæ Patres; nunquam a Principibus ceu vicariis Dei in terris permittendum esse, ut majestas nominis et muneris aut injustitiis aut oppressionibus subditorum inquinetur; imitatores divinæ fidelitatis in promissis, sapientiæ divinæ in administranda Republica, divinæ œconomæ in dispensatione gratiarum et pœnarum, pacis et longanimitatis divinæ in condonandis et vindicandis injuriis, esse Principes oportere.

Subditi autem quam erunt boni, qui colunt Religionem, et a Religione excoluntur? Cives nonnisi optimi esse possunt, ubi, duce Religione, conscientia perpetuus ac fidelis monitor inter ipsas vitæ distractiones sua ipsis officia et culpas ob oculos ponit; ubi infirmitates corporis, vitæ hujus calamitates, rerum terrenarum vanitas, mors inevitabilis ac sæpe repentina fratrum continuo in mentem revocant rationem reddendam judici omniscienti ac omnipotenti, qui rinatur intima cordium, et nihil impunitum relinquit; ubi mentem identidem subit cogitatio, quod vita hæc brevissima ad æterna vel gaudia vel supplicia hominem deducat. Sequantur subditi in omnibus ductum Religionis, et Deum in Principe suo reveriti ejus mandatis promptissime obsecundabunt, si bonum publicum ea spectant; sin, cum quodam etiam suo detrimento parebunt, ac simul pro suis Rectoribus ad Deum preces fundent. Ubiubi poterunt, sui Principis onus alleviabunt, et non tam timore ducti, quam amore, nec minimum aut fidei aut obsequii detrahent vel in iis etiam, quæ occultissima sunt, et fraudibus patent nunquam erupturis. Quidquid ore proment, corde recondent, aut opere exhibebunt, Deo et Regi grata ac statui proficua erunt. Dictet Religio quæcumque erga Deum, seipsam et alios homines officia; adimplebunt omnia exactissime, Deum ex toto corde super omnia, seipsos amore ordinato, et proximum sicut seipsos diligentes propter Deum, non spe terrenorum sed honorum cœlestium; obedientes præpositis etiam discolis non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam; inimicis pro malis bona et pro odio reddentes amorem; ceu mem-

bra ejusdem corporis totis viribus commune bonum procurantes, vitiorum osores, cultores virtutum, vanitatum contemptores, Dei et Christi imitatores; indeque suorum hostium terror, amicorum fulcrum, patriæ ornamentum, suorumque Principum gaudium et corona.

Fingamus autem omnes Reipublicæ cives factos subito Incredulos, omni vacuos erga Deum et homines reverentia, omni sensu honoris et justitiæ, omnique pudore; quis erit exitus? Existet (uti posuit HOBBSIUS) bellum omnium contra omnes, in quo licebit vi et dolo tentare omnia, atque ad communem salutem necessum erit, per leges et pœnas civiles adigere reluctantes ad illam temperationem morum, ad quam a Religione sine labore tinguntur; et ad illa invite præstanda officia, quæ imbuti veræ Religionis sensu cum jucunditate obirent.

Objic. I. Religio enervat animos, exarmat manus ad fortia, impellit ad infima; ac totum fere Evangelium redundat præceptis ac monitis ad injuriarum condonationem, vindictæ odium, tolerantiam, suique abnegationem; et nimia simplicitate quam fidelibus inculcat, et nimia severitate qua illos constringit, omnem deperdit dignitatem ac utilitatem Religio præcipuis Christiana, quæ omnium maxime vera dicitur.

Resp. Evangelium Christi christianis primorum temporum eas præcipue virtutes commendat, quæ fervente tum persecutione fidelium præ cæteris erant necessariae; alias dum præterit, non excludit, nec plane tacet alibi. Vincere autem in bono malum et pati injuriam ex amore Dei, numquid generosissimum est? columbæ simplicitatem admiscere serpentis prudentiæ, numquid sapienti philosopho convenientissimum est? domare rebelles appetitus, et sui ipsius victorem esse, numquid spiritu forti dignissimum est? Odisse inimicos, malefacere his qui oderunt nos, crudam ubique vindictam querere, naturæ corruptæ pravisque affectibus in omnibus frenata laxare; in his certe nec sapientia, nec vera fortitudo est, nec dignitas aut utilitas ulla; cum potius internecinis odiis cives ista inter se collidant, statum fœdis cupiditatum mancipiis, et rempublicam truculentis facinoribus ac mille cædibus perturbent.

Objic. II. Etiam ii, qui profitentur Religionem, et præmii ac pœnæ æternitatem sperant aut metuunt, creduntque animorum immortalitatem, turpissimis se se flagitiis dedunt; cui igitur bono sit Religio? Ad hæc nulla unquam gens fuit, est aut erit, quæ ad normam Religionis exacte vivat, et felicitatem consequatur vi Religionis veræ obtinendam; dum interim falsis Religionibus consistant Regna et floreat.

Resp. Quid tum? Numquid ex eo, quod peritissimus Regum aut Principum minister, non obstante communis felicitatis melius procurandæ scientia, tamen rempublicam deperdat, rite concludas, haud necessum esse, ut alius quidam minister Regni quamvis imperitissimus suo munere misere ac infauiste fungatur? Succumbet navis æque, sive imperitia sive ebrietas Navarchi eam præcipitaverit. Id certe evidens, quid valeat Religio, siquidem ab Imperantibus et subditis digne excolta; et contra quam pestilens sit Atheismus aut Irreligio humanæ societati. Nec sane defuerunt unquam uti veræ Religionis cultores, ita veræ felicitatis consortes; nec desunt hodie, qui pie-

tatem ad omnia utilem esse, suis exemplis commonstrant. Sit vera undique Religio, sit exactus undique cultus veræ Religionis, sint omnium vita et mores ad præscriptum veræ Religionis; et Mundus erit paradus, qui sine Religione tetrum chaos est. Demum apud eos, qui falsis Religionibus vivunt et conservantur, est non solum falsa Religio, sed aliud simul verissimum naturæ dictamen, a quo falsa etiam Religio totam vim suam salutarem accipit, videlicet vivendum esse cum Religione; quod si abesset, nec ipsæ falsæ Religionis, neque Regna persisterent aut perdurarent.

Objic. III. Omnis Religio verius est aut superstitionis filia, aut fructus panici timoris, quam Magistra pietatis et causa seu privatæ seu publicæ felicitatis; siquidem cervicibus hominum imponat sempiternum Dominum, quem dies et noctes timeat homo, omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et futurorum horrore mentes humanas percellentem.

Resp. Irreligionem potiori jure dixeris superstitionem, et turpissimam quidem. Docet namque Religio, Mundum et universa in Mundo regi ab infinita Dei Providentia ad sapientissimos fines, cum Impii ac Increduli eam denegent Providentiam, et Athei pro ea fatum aut cæcam necessitatem inducant. Atheismus nihil plane novit de Numine, et superstitio tale Numen effingit, quale si esset Deus, cessaret esse Numen. Ille negat Deo debitum; hæc pravo ære debitum exsolvit: illa Deum adorat, ne noceat, æque adoratura diabolum, ut absit metus; hic de Deo ejusque justitia renuit scire, ne Dei judicis et futurarum pœnarum cogitatio mentem concutiat. En, quam improbi timoris partus sit cum Atheismus, tum Superstitio. Vera Religio non habet quod metuat, cum sciat aut credat, Deum amore nostri totum hoc universum et omnes creaturas condidisse; Deum in omnibus amantissimum esse patrem, qui nostras preces et vota præveniat, qui dona sua gratis in nos congerat, e malis bonum nostrum eliciat, soletur in adversis, erigat a lapsu, et faciat cum tentatione proventum; Deum adeo protecturum suos, ut sine ejus nutu nec capillus de capite decidat; Deum hujus vitæ felicitatem a suis voluisse prægustari ceu pignus futuræ in altera vita æternæ felicitatis.

Metus ille, quem inculcit vera Religio, salutaris est, avocans voluntatem a vitiis, quorum natura maxime noxia est, excitans ad omnes virtutes, quarum infinita sunt commoda. Nec proprius Religionis effectus est metus turbulentus, cum illa potius suavem jucundamque spem mentibus ingeneret; hic vero improbos tantum afficiat, contentibus EPICURO et LUCRETIO, « non posse jucunde vivi, nisi honeste vivatur. »

Objic. IV. Si vis tanta in Principes veræ inest Religioni, aiunt Increduli, deberent longe plures reperiri in monumentis Imperiorum, quam reipsa inveniantur summi et optimi Principes ex eo, quod sint aut fuerint fideles ac Christiani. Scilicet Principes etiam viri nascuntur communi fato hæredes naturæ corruptæ et pravorum affectuum, quos nec splendor natalium eximit a majoribus fors periculis amittendæ integritatis, ab instrata rosis via, quæ ducit ad devia, et ab adulatione mille modis adnitente, ut ne seipsos aut suæ dignitatis officia cognoscant.

Resp. Attamen sola est Religio, quæ arma subministrat Principibus ad de-

pellendas hasce insidias. Præstantia Religionis in eo est, quod Imperantes iis imbuat placitis, quæ et Principum et suorum subditorum felicitatem certissime promoveant. Si pravorum affectuum potius, quam Religionis ductum sequatur Imperans; quid culpæ recidat in Religionem; cum quotquot fuerint Principes veræ Religionis cultores, totidem extiterint populorum deliciae, fulcra et decora insignia Imperiorum? Enimvero recenseant suos Increduli summos et optimos sine Religione Principes. Princeps sine Religione, qui vel Deum non novit, vel non colit, nonne sua superiorem libidine legem veneratur nullam, nec ullum sui iudicem formidat, nec vitam sperat post hanc meliorem, suis duntaxat commodis se natum reputat, subditos præ se despiciit ceu abjectissimos homines in id propemodum natos, ut imperantium excessibus deserviant, vilissima iræ, vindictæ, superbiam, ac cujusvis regii facinoris instrumenta? Num Irreligio vel unum NERONEM aut DOMITIANUM commutavit in TITUM aut ANTONINUM? Numquid solius Religionis opus est ac fuit semper, ex leonibus efformare agnos, et ex tyrannis Principes numeris omnibus absolutos, qui meritis præmia, demeritis supplicia decernant, tollant abusus, subditorum leniant onera, miserias sublevent, indigentis succurrant, bonos mores edictis et exemplis commendunt, artes et scientias subministrant, pacem colant et tranquillitatem publicam, subditorum salutem sollicitè invigilent, et ceu fratres ac filios paterna cura, favore et amore subditos complectantur?

Objic. V. Si vero tam amplam pro Imperantibus auctoritatem, et tam cæcam pro obsequentibus submissionem decernat Religio; facile ad despotismum ac tyrannidem deflectet potestas Principum, et in seditionem nimis dura subjectio populorum. Quotusquisque enim est de summis Imperantibus, qui ad præscriptum Religionis suum expleat munus? Si autem Deo et Religionem non obsequantur Principes; ut quid subditi Principibus obediant, quorum duro nimis regimine opprimuntur populi? Ita Increduli, omnis scilicet jugi et divini et humani impatientes.

Resp. Ex cantu avem, ex contemptu legum et Regum spiritum fortem, ex spiritu rebellionis et contra Deum et contra Dei in terris vicarios incredulum Theistam quis non internoscat? Verum audiant Impii, quid circa Principes, et quid circa subditos vera Religio constituat. Equidem Regum potestas inter homines summa est, sed relate ad Deum vicaria duntaxat potestas severissimo olim iudicio Dei subijcienda, et relate ad subditos velut urbs refugii pro cunctis civium angustiis ac necessitatibus sublevandis; quapropter Christus, qui verbo et opere quamplurimum commendavit Magistratum honorem ac reverentiam, tamen Reges hoc solum titulo decoravit, qui *benefici vocantur*. Ubi sacræ Paginæ de Imperantium Majestate ac potentia memorant, simul eosdem hortantur, ut vitent superbiam, metuant ac spernant adulationem, consilia optima exquirant, leges reverentur, justitiam colant, suorum mandatorum rigorem clementia temperent, faciles civium querelis aures, et liberales egentibus manus præbeant. Si vero monita hujusmodi haud satis coerceant justitiæ limites egressam Magnatum terræ licentiam, minas et pœnas Regibus intentat gravissimas Religio.

Sapientia VI. 2. « Audite ergo Reges et intelligite, discite iudices finium terræ Præbete aures vos, qui confinetis multitudines, et placetis vobis in tur-

bis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri Regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum Dei voluntatem ambulastis. Horrende et cito apparet vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam et non excidatis. » Equidnam in hac tam fervida oratione Religionis ad Reges, quod despotismum inspiret, aut tyrannidem foveat, cui nulla magis infesta Religio est, quam Christiana?

De subditorum vero obedientia quid tradit Religio? Non eam in ira aut vindicta, sed in conscientia; non in Legislatoris privatis dotibus, aut in legum humanitate ac suavitate eam inniti vult, sed præcise in auctoritate Imperantium; quos qui audit, Deum audit, per quem Reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Huic vero basi insistens obsequendi necessitas quam parum adversus Deum, tam parum valet adversus potestatem divinitus concessam, quamvis ejusdem fiat abusus. Nam et discipulis parendum esse non sine fructu patientiæ et merito gloriæ, monet Princeps Apostolorum. En, quam sancte provideat Religio et tranquillitati publicæ civium simul et Principum securitati? Minime autem metuendum, ne subditorum obedientia etiam facinorose Imperantium voluntati se conformet cæca nimis et phantastica: quippe injusta præcipienti reponet cum S. PETRO, magis Deo, quam homini obediendum esse; et si facinus urgeat Imperans, minis ac vexationibus aliud non opponet, quam lacrymas, preces, patientiam usque tenax obedientiæ legitimis Principum mandatis præstandæ; at non minus reverens erga leges divinas, quarum violationem nulla potestas humana valeat imperare.

Objic. VI. Tametsi nulla sit Religio, quæ Regum ac Principum commendat dignitatem, potestatem extollat, et pro Majestate summa deponat obsequia; tamen ipsa sat dictat ratio, Caput reipublicæ supremum Dei esse vicarium, et summo Principi summos deberi honores. Inde est, quod jamdum ante legem seu Mosaicam, seu Evangelicam, gentes suis subjacerent Regibus cum exacta obedientia, perfecto cum obsequio, et cum stupenda non raro demissione ac veneratione.

Resp. Quandonam fuit Mundus, et non fuit Religio in Mundo? Eisdem cum Mundi et hominis ortu natales Religio habet. Quamprimum ergo exorta sunt Regna et Imperia (quorum originem accuratius discutere hic non vacat) eorum regimen Religio effinxit optimum; de quo in Lege Veteri res plane indubia, cum regimen fuerit thearchicum; Lex vero Evangelica omnium maxime illud perficit, cum doceat, Deum ipsum et auctorem et exemplar esse omnis potestatis; Reges esse præcipuos Dei ministros et vicarios Altissimi; unice a Deo pendere coronam regiam; ab omni humano iudicio in temporalibus exemptos esse summos Principes, et soli Regi Regum eorum subijci imperium; Regibus proin obediendum esse in omni timore, quorum adeo solium penes suum Deum erigi voluit in conscientia subditorum. Igitur

non tam natura et ratio (quæ cordis humani libertatem magis, quam vincula affectant) rem istam perferunt; sed præprimis Religio, exactissimam erga Imperantes observantiam ac obedientiam populis persuadendo, et legum onus ut ut durum Dei amore magis, quam timore emolliendo.

§ III. COROLLARIA.

Quam ergo vitæ et societati humanæ ac civili proficua Religio est, tam sunt eidem noxia Theistarum et Atheistarum scripta, quibus Religionem ceu basin felicitatis humanæ suffodere conantur. Exulet enim a Statu Religio, nec sit amplius obedientia populorum obligatio in conscientia et meritum coram Deo; corruet statim legum vis et auctoritas omnis, personæ Imperantium contemptui ac risui exponuntur, et ex Republica bene ordinata exsurget anarchiæ chaos funestissimum. Quippe norma Principum et frænum subditorum est Religio; et tamesti sua Principi voluntas suprema lex foret, nihilominus Religioni deferre debet propter subditos, quibus illa emollit Principis jugum, ita ut propter Deum humano Magistratui parere gestiant. Princeps, qui verbis aut factis derogat Religioni, quanto populis scandalo, tanto suæ dignitatis periculo exponitur, semoto fere unico fulcro suæ Majestatis; in quam quid valeant subditi omnis Religionis expertes, occultæ eorum machinæ facile exhibebunt. Portentum hominis est Princeps, qui Religionem, tantillum solatii in laboribus et ærumnis, quæ subditorum libertatem in dies magis coercent, subditis invidet, ac suam sibi securitatem.

SECTIO III.

NECESSITAS RELIGIONIS

§ I. PRÆCOGNITA.

Quod, quid tollit Deum et Religionem, veram ac propriam tollat potestatem Magistratum parendique obligationem, quæ hominis conscientiam afficiat; patet ex Incredulorum utroque antesignano SPINOZA et HOBBSIO, quibus auctoritas omnis est in sola potestate cogendi, non in jure, sed in viribus, ita ut, si cives Magistratibus resistere possint impune, jure resistent. Qui cum politicam potestatem separent a Religione, sequitur etiam, quod illa poenis tantum, non item præmiis suas sancire leges possit; cum Magistratus humanus non habeat vel sufficientem præmiorum suppellectilem ad bonos omnes remunerandos; vel saltem omnium honorum præmiandorum notitiam, eo quod hæc pendeat ex interno hominis consilio. Qua vero ratione hisce defectibus medeatur Religio, adversus Religionis æque ac Reipublicæ hostes nunc decernendum.

§ II. THEMATA.

I: *Sine Religione non est vera honestas, uti perperam prætendunt Increduli.*

PROBATIO. Vera honestas nititur cumprimis vera dilectione proximi ad illam normam: *fac alteri, quod tibi vis fieri; non fac, quæ vis tibi ab altero non fieri.* Regnet in omnium cordibus hæc dilectio; et nulla erit in Mundo injuria, violentia, fraus, invidia, deprædatio, calumnia, aut quodvis aliud vitium, quod turbat Rempublicam. Hanc vero legem mire perficit ac vehementer inculcat his verbis Religio: *diliges proximum tuum, sicut teipsum;* non solum quia ejusdem naturæ sunt homines, aut eundem omnes naturæ auctorem habent; sed ideo etiam, quia cuncti fideles sunt filii Dei adoptivi, ipsius Divinitatis imagines, ejusdem Patris, qui Deus est, ejusdemque Matris, quæ est Ecclesia, dilectissima pignora, membra unius corporis sub uno capite Jesu Christo, qui est unigenitus Dei Filius, conjuncti in terris fidei unitate, eorundem mysteriorum participes, ac tandem ejusdem regni, quod est in cœlis sempiternum, hæredes felicissimi. Imo ne quid deesset perfectioni hujus Legis, noluit Christus mutæ dilectionis normam esse virtutes aut vitia proximi, injurias aut beneficia aliorum, sed universalem esse voluit erga probos et improbos, amicos et inimicos, concives et advenas; hujus ipse in cruce exemplar, Patrem exorans pro persecutoribus et deicidis.

Huic vero dilectioni Proximi adversatur, ceu infensissima hostis, philautia; quæ vero nomine audit in Verbo Dei cupiditas ob eosdem utrinque malignos effectus: quod enim avarus immitis in pauperes et erga divites invidus; superbus contra æmulos virulentus ac factiosus machinator; voluptuosus ad vocem honestatis et justitiæ obduratus sit; ex cupiditate, ex philautia, ex defectu mutæ dilectionis christianæ est. Quantopere autem non detestatur vera Religio cupiditatem et philautiam? vocat laqueum diaboli, malorum universitatem, et æternum vae multoties utrique intentat. Adde, Irreligionem exterminare metum gehennæ ac poenarum æternitatem, sicque omnem honestatem: quid enim ad honestatis amorem et odium inhonestatis efficacius, quam illa etiam ad summos Principes, etiam inter secretissima crimina vox Religionis: omnium, quæcumque cogitas, desideras, perpetras, machinaris, omnium testis, judex et vindex est Deus omniscius et omnipotens, item: *Nolite timere eos, qui possunt occidere corpus, animam vero non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

II. *Nec vera Probitas consistere potest cum Irreligione.*

PROBATIO. Vera probitas non est nisi in vera virtute; vera autem virtus nulla est nec esse potest apud incredulos, utpote quorum virtus, ipso teste BAYLIO virtutis atheisticæ laboriosissimo apologeta, non est aliud, quam temperamentum hominis, seu indoles bona, utilitatis propriæ studium, vanitatis aut metus humani effectus. Sola igitur Religio, quæ Deum divinasque perfectiones et agnoscit, et colit, et amat, et imitatur exercitatione virtutum maxime arduarum ac vere heroicarum, veræ probitatis magistra est; sunt

non tam natura et ratio (quæ cordis humani libertatem magis, quam vincula affectant) rem istam perferunt; sed præprimis Religio, exactissimam erga Imperantes observantiam ac obedientiam populis persuadendo, et legum onus ut ut durum Dei amore magis, quam timore emolliendo.

§ III. COROLLARIA.

Quam ergo vitæ et societati humanæ ac civili proficua Religio est, tam sunt eidem noxia Theistarum et Atheistarum scripta, quibus Religionem ceu basin felicitatis humanæ suffodere conantur. Exulet enim a Statu Religio, nec sit amplius obedientia populorum obligatio in conscientia et meritum coram Deo; corruet statim legum vis et auctoritas omnis, personæ Imperantium contemptui ac risui exponuntur, et ex Republica bene ordinata exsurget anarchiæ chaos funestissimum. Quippe norma Principum et frænum subditorum est Religio; et tamesti sua Principi voluntas suprema lex foret, nihilominus Religioni deferre debet propter subditos, quibus illa emollit Principis jugum, ita ut propter Deum humano Magistratui parere gestiant. Princeps, qui verbis aut factis derogat Religioni, quanto populis scandalo, tanto suæ dignitatis periculo exponitur, semoto fere unico fulcro suæ Majestatis; in quam quid valeant subditi omnis Religionis expertes, occultæ eorum machinæ facile exhibebunt. Portentum hominis est Princeps, qui Religionem, tantillum solatii in laboribus et ærumnis, quæ subditorum libertatem in dies magis coercent, subditis invidet, ac suam sibi securitatem.

SECTIO III.

NECESSITAS RELIGIONIS

§ I. PRÆCOGNITA.

Quod, quid tollit Deum et Religionem, veram ac propriam tollat potestatem Magistratum parendique obligationem, quæ hominis conscientiam afficiat; patet ex Incredulorum utroque antesignano SPINOZA et HOBBSIO, quibus auctoritas omnis est in sola potestate cogendi, non in jure, sed in viribus, ita ut, si cives Magistratibus resistere possint impune, jure resistent. Qui cum politicam potestatem separent a Religione, sequitur etiam, quod illa poenis tantum, non item præmiis suas sancire leges possit; cum Magistratus humanus non habeat vel sufficientem præmiorum suppellectilem ad bonos omnes remunerandos; vel saltem omnium honorum præmiandorum notitiam, eo quod hæc pendeat ex interno hominis consilio. Qua vero ratione hisce defectibus medeatur Religio, adversus Religionis æque ac Reipublicæ hostes nunc decernendum.

§ II. THEMATA.

I: *Sine Religione non est vera honestas, uti perperam prætendunt Increduli.*

PROBATIO. Vera honestas nititur cumprimis vera dilectione proximi ad illam normam: *fac alteri, quod tibi vis fieri; non fac, quæ vis tibi ab altero non fieri.* Regnet in omnium cordibus hæc dilectio; et nulla erit in Mundo injuria, violentia, fraus, invidia, deprædatio, calumnia, aut quodvis aliud vitium, quod turbat Rempubicam. Hanc vero legem mire perficit ac vehementer inculcat his verbis Religio: *diliges proximum tuum, sicut teipsum;* non solum quia ejusdem naturæ sunt homines, aut eundem omnes naturæ auctorem habent; sed ideo etiam, quia cuncti fideles sunt filii Dei adoptivi, ipsius Divinitatis imagines, ejusdem Patris, qui Deus est, ejusdemque Matris, quæ est Ecclesia, dilectissima pignora, membra unius corporis sub uno capite Jesu Christo, qui est unigenitus Dei Filius, conjuncti in terris fidei unitate, eorundem mysteriorum participes, ac tandem ejusdem regni, quod est in cœlis sempiternum, hæredes felicissimi. Imo ne quid deesset perfectioni hujus Legis, noluit Christus mutæ dilectionis normam esse virtutes aut vitia proximi, injurias aut beneficia aliorum, sed universalem esse voluit erga probos et improbos, amicos et inimicos, concives et advenas; hujus ipse in cruce exemplar, Patrem exorans pro persecutoribus et deicidis.

Huic vero dilectioni Proximi adversatur, ceu infensissima hostis, philautia; quæ vero nomine audit in Verbo Dei cupiditas ob eosdem utrinque malignos effectus: quod enim avarus immitis in pauperes et erga divites invidus; superbus contra æmulos virulentus ac factiosus machinator; voluptuosus ad vocem honestatis et justitiæ obduratus sit; ex cupiditate, ex philautia, ex defectu mutæ dilectionis christianæ est. Quantopere autem non detestatur vera Religio cupiditatem et philautiam? vocat laqueum diaboli, malorum universitatem, et æternum vae multoties utrique intentat. Adde, Irreligionem exterminare metum gehennæ ac poenarum æternitatem, sicque omnem honestatem: quid enim ad honestatis amorem et odium inhonestatis efficacius, quam illa etiam ad summos Principes, etiam inter secretissima crimina vox Religionis: omnium, quæcumque cogitas, desideras, perpetras, machinaris, omnium testis, judex et vindex est Deus omniscius et omnipotens, item: *Nolite timere eos, qui possunt occidere corpus, animam vero non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

II. *Nec vera Probitas consistere potest cum Irreligione.*

PROBATIO. Vera probitas non est nisi in vera virtute; vera autem virtus nulla est nec esse potest apud incredulos, utpote quorum virtus, ipso teste BAYLIO virtutis atheisticæ laboriosissimo apologeta, non est aliud, quam temperamentum hominis, seu indoles bona, utilitatis propriæ studium, vanitatis aut metus humani effectus. Sola igitur Religio, quæ Deum divinasque perfectiones et agnoscit, et colit, et amat, et imitatur exercitatione virtutum maxime arduarum ac vere heroicarum, veræ probitatis magistra est; sunt

autem, diligere inimicos, potius mala omnia perpeti, quam malum facere, inter dirissimas persecutiones divinæ voluntati se conformare, caduca Mundi bona omnia despiciere, vitam, famam et omnia Dei beneplacito consecrare...., ad quarum virtutum fastigium nemo hactenus sine vera Religione eluctatus est. Religio, inquam, quæ omnes hominis sententias, affectus, actiones, atque externum etiam corporis habitum ex scientia veri et ex amore recti constanter moderatur; quæ cum Deo sentit et iudicat, cum Deo amat et desiderat, ministra est actionibus Dei, cujus exequitur voluntatem et providentiam adjuvat; quæ obligationes nostras commutat in officia amoris et gratitudinis erga Deum; quæ simul arma subministrat, quæcumque virtutum obstacula perumpendi; quæ ad virtutes excitat uti promissione divini subsidii, ita præmii æterni certitudine juxta mensuram nostrorum in hac vita laborum, dolorum ac meritum.

Vide BAYLI *Pensées diverses*, § 129. — 133. Ita testantur CROUSAZIUS in suo *Examine Pyrrhonismi*, et WARBURTON Tom. I. P. I. § 4. de Div. Miss. Mosis.

Quam demum cordi sit incredulis vera virtus et probitas, vel ex eo conijcies, quod cum MONTESQUIEU virtutem saltem in Monarchiis negent obtinere posse, imo cum MANDEVILLIO etiam vitia statuunt necessaria in Republica his fere verbis: non tam virtute stant et florent Respublicæ, quam civium intemperantia; experientia enim compertum habemus, privatorum vitia publica esse beneficia, et ad vires ac potentiam Imperii promovendam multum conferre, videlicet proferendo commercia, et celeriori mercium consumptioni occasionem præbendo; sic bibendi intemperantia quam multis prodest civibus? vinitoribus, qui colunt vineam, nautis et rhedariis, qui advehunt, cauponibus, qui divendunt, publicæ rei, cujus auget reditus: sic quoque Magnatum luxus ingentem numerum mercatorum ad eos et occiduas oras ire cogit. — Monstra hominum et opinionum! sic quippe cædes et parricidia quis vitabit, quis evitabit, cum sint aut vespilloni aut carnifici proficua? Monstra, inquam, ipsis etiam Ethnicis horrida!

MONTESQUIEU in libro, *l'Esprit des lois*: III. T. 1. MANDEVILLIUS in libro, *Apum Fabula*, qui initio JACOBI MASSI larvato nomini inscriptus fuerat, 1740. Quos vero P. ANTON. SCHMITT S. J. in *Meditat. Philosoph.* copiose ac solide confutavit, Heidelbergæ, 1768. Quin et ab Ethnicis sonore vapulant, docente TULLIO: «Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ; cum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia quærere.» Et SALLUSTIO testante: «Post subactam Græciam primum fractæ cœperunt res Romanæ in pejus ruere, quia ibi insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere, ut ait HORATIUS:

«Savior armis
«Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.»

III. *Absque Religione non est sive imperans sive subditus quisquam statui vere proficuus.*

PROBATIO. Exulante Religione erit in Republica pro lege fundamentali: quod libet, licet; procul erit fides et pietas; sinceritas vix ulla inter homines persistet; nihil in fœderibus publicis, in juramentis, in promissionibus, in contractibus ut ut solemnibus et sacrosanctis contra vim et fraudem sat tutum; amicus amico lupo erit, si e re sua videbitur; conjugii rumpetur vinculum, ubi charitas refrixerit; prolium vix curam habebunt parentes, ut sumptus suppetant patri ad pellices fovendas, et matri ad lusum et luxum; a liberis nec parentes vitam vivent securam partim ob pauperiem, partim ob eandem morum contagionem; bellis, furtis ac deprædationibus, aut certe injustitiis miscébuntur omnia; frustra invocabit subditus aut potestatem Principis, aut iudicium æquitatem, cum hi secundum cruda Irreligionis principia maxime formidandi, quia potentiores; populo tamdiu sui oppressio toleranda videbitur, dum desperatio adversus Imperantem promptis arma manibus inferat; ac demum quid viduis, pupillis, egentibus et tenellæ juventuti pie educandæ fiet, ubi suprema cuivis lex sua utilitas et sua voluptas est? Paucis: erunt Principes crudelitatis et ambitionis portenta, quotquot cum MEZENTIO Deorum et Sacrorum contemptores, erunt subditi, omnis expertes Religionis, totidem suorum Principum ac Reipublicæ proditores. Unde CONSTANTIUS CHLORUS quamvis idololatra, facta suis Aulicis christianis optione, vel Christum ejurandi, vel aula excedendi, eos omnes ex Aula indignabundus eiecit, qui suæ Religionis Christianæ desertores gratiam Imperatoris Christo anteferebant; ratus, non fore terreno Principi fideles, qui in Regum Regem perfidi sint.

Igitur sine Religione non est Magistratum auctoritas vera et propria, nec perfecta legum civilium sanctio, utpote ad pleraque societatis humanæ officia rite urgenda insufficientis, et nonnisi vindex publicorum criminum: «quatenus manu, ut ait TULLIUS, tenere potest.» Dum contra Religio nobis exhibeat Deum supra et circa nos stantem; factorum, dictorum, cogitationumque censorem, qui habiturus sit bonorum et malorum rationem, homines constituat in omnimoda necessitate parendi legibus, etiam in secretissimis locis, omnem tollendo spem fugiendi supplicii.

Atque hanc Religionis vim ad continendos cives intellexerunt Legislatores omnes; idecirco studiose populorum animis inculcarunt esse Deos, et ad eorum tribunalia cujusvis hominis vitam expendi; hinc non satis securam videbatur subditorum fides, nisi jurejurando firmata, eo quod unius Religionis vim in subditos maximam censerent; hinc periculosissima semper habita antiquæ Religionis immutatio tanquam a Majoribus traditæ, altumque animis posterorum insidentis; hinc omnes ad unum Philosophi, quamvis plures disputando sustulerint Deum aut futuram vitam, hanc tamen opinionem animorum immortalium, Deorumque Religionem pro firmissimo Legum præsidio habuerunt. Athei etiam hac manifestissima Religionis utilitate permoti in omni ævo decreverunt, illam a Legislatoribus inventam fuisse ad salutem et incolumitatem Reipublicæ. Id certissimum ex tota anti-

quitate, quod Irreligionem nunquam non insecuta sit ruina Status, et cum Religione culta semper effluerit felicitas Imperiorum.

IV. *Increduli uti Reipublicæ pestes, ita suorummet jurati hostes sunt.*

PROBATIO. Increduli et se et alios, quos sua irreligione inficiunt, omni pri- vant et fructu et solatio Religionis, æternique interitus præsentissimo pe- riculo objiciunt. Sapientissimi quique Legislatores censuerunt, Religionem fortissimum esse vinculum vitæ socialis, sine quo humanis officiis haud sa- tisfiat, nec vera sit hominis felicitas. Non esse sine timore Domini sapientiam, cujus ille initium est, affirmat sapientissimus Regum. Infelicem esse, qui in prosperis nesciat uti moderamine, et in adversis solamine careat; utroque autem destitui, qui Religione destituitur, certissima docet experientia. Ethnici adeo Philosophi senserunt cum APOSTOLO, omniumque gentium as- sensu firmata veritas est, quod pietas in Deum et hujus et futuræ vitæ repro- missionem habeat; ipsaque ratio dicat, stultitiam esse maximam, quot impietatis socios, tot sibi metuendos hostes conquirere, atque in hac simul et in altera vita summis sponte miseris involvi.

Hæc autem omnia Incredulis conveniunt: nam Deum malorum vindicem negant existere, quod optant, sed non probant, nec unquam a tota Impio- rum turba probari potuit; sicque in horrendas divini Judicis manus se se ultro projiciunt. Quod est sine Religione Respublica, scilicet tetrum chaos, hoc est sine fræno Religionis cor hominis, indomitis affectibus velut mare exæstans; et in hoc mare scopulis ac syrtibus infestum se se præcipitant increduli, dum favet fortuna, mente captis, dum non favet, desperabundis similes. Sapere supra modum affectant, et insipientissimos se produnt, cum quod dicat vera sapientia, ignorent aut despiciant, sibimet contradicant, virtutem a vitio non discernant, votum depravati cordis pro voce nature venditent, impios exoptent suos amicos; miserrimi in vita, quia pax impiis nulla, et ab impiis nulla securitas; miserrimi in fine vitæ, quia sine fide futurorum et sine spe melioris vitæ; miserrimi post hanc vitam, quia, cui credere, in quem sperare, quem amare impie recusarunt, æternum sen- tient vindicem et propriæ et alienæ impietatis.

Objic. I. Ratio Status, honos Monarchiæ, summa Imperantium auctoritas sufficiunt omnino ad obtinenda omnia subditorum officia, quin stimulus addat Religio. Ad hæc leges humanæ pœnas decernunt et præmia, ceu media prorsus efficacia ad obtinendam subditorum exactissimam obedientiam; Religionis ergo nulla est necessitas.

RESP. Ubi deficiunt vera virtus et probitas, quas Religio commendat et perficit, genuinus amor patriæ, veræ studium gloriæ, sui abnegatio, terre- norum contemptus, cupiditatum refrænatio; cultus, timor et amor Dei subditorum ligantis conscientias, et pœnis æternis seu inobedientiam popu- lorum, seu crudelitatem Imperantium castigantis; pro securitate Principis, pro incolumitate Imperii, pro pace et tranquillitate publica nihil veri sub- sidii habebit Status, sive a brachio semper extento Principis ad coercendos subditos, sive a prærogativa Regiminis Monarchici, sive ab honore Status; quæ omnia sine vera virtute fallacissima, et sine Religione vanissima sunt præsidia. Non ergo dignitas, utilitas et necessitas Religionis immolanda

commodis Status; sed nexus utrinque et subordinatio faustissima procurari debent.

Leges vero civiles externam quidem civium obedientiam urgere valent; at non amorem sincerum, animi gratitudinem, affectum compassionis, veram fiduciam, providam benevolentiam. Impediat humana potestas fraudes et injustitias publicas, furta, homicidia et seditiones; at non fallaces insidias, astutias, clandestinas strophas, aliasve reconditas animi pestes, quæ serius aut ocus hominem æque perimant, ac apertus invasor et homicida. Multa etiam mala nequidem vetari aut puniri possunt legibus publicis, ac proin permittenda sunt ad evitandum majus malum. Quin et omnes leges ac pœnæ vixdum proficient quidquam contra illos, qui aut effrænes spernunt, aut potentes illas non metuunt. Denique potestas humana omnis neque scit, neque si scit, valet omnia omnino aut præmiare bona, aut castigare mala; quod soli Deo proprium esse omniscienti et omnipotenti, dicat ratio, et docet Religio. Hæc quia animorum domina, ipsa subditorum corda sancti- ficat, potest ac debet actus etiam internos vel malos cohibere, vel bonos pro- movere, idque vel metu pœnæ, vel spe præmii sempiterni.

Obj. II. Frænum cupiditatum ac vitiorum, sat potens Incredulis, est horror dedecoris, et laudis cupiditas. Athei etiam servant sensum justitiae et injustitiae, ac inter bonum et malum discrimen percipiunt. Probant denique mores eorum, qui Deum et divinam Religionem olim ac nostris temporibus sustulere, quod in vita instituenda parum sectentur principia sua philosophica; uti de Stoicis compertum habemus, et de conspicua Diagoræ, Theodori, Evemerii, Nica- noris, Hipponis, ipsius Epicuri, Romani Cassii, Attici, Plinii antiquioris et aliorum virtute, memoriæ proditum est.

BAYLIUS in Libro: *Pensées diverses sur la comète.*

RESP. CICERO, PLATO alique ad veram honestatem requirunt, ut propter seipsam virtus diligatur, et vitium odio habeatur ex nativo utriusque merito; et inhonestissimum ipsis etiam Ethnicis moratioribus visum semper, colere virtutem, et vitare flagitia in oculis duntaxat hominum, ac coram Deo ocula- tissimo æque ac sanctissimo, clam et impune si possis, perpetrare quæque turpissima. Judex horret infamiam injustitiæ; sed morum pravitas dudum in eo extinxit lumen fidei christianæ; non jam cogitat aut metuit amplius judicem judicem; cupiditates, quarum cum Religione frænum abjecit, exsatiare non potest sine læsione muneris sui; quid fiet tandem? Sicut Reli- gionem litavit morum licentiæ, ita honorem muneris litabit pravis affectibus iniquissimus ibi iudex, ubi non palam appareat iniquus. Quæ vero causa, tametsi æquissima, subsistet ad tribunal ejusmodi, quod honestatem ac Religionem dudum condemnavit? Num ipsi increduli optarent aut conce- derent sibi jus dici a tali iudice Religionis experte, et non potius a iudice, qui sit christianæ fidei et æquitatis?

Insit omnium hominum animis appetitus laudis; tamen apud vulgus vim cupiditatis nequaquam suspendet, qua in præsentia commoda ferri solet. Porro favor popularis auræ semper adjunctus est divitiis et potentia; proin appetitus laudis magis stimulat ad has comparandas, quam ad virtutis exer- citium, præsertim cum potentia et divitiæ cupiditatum omnium explenda-

rum media sint. Demum affectiones istæ non veram sinceramque virtutem, sed hypocrisin tantum valent procreare; a publicis avocant sceleribus, et privatis habenas laxant. Quod sua principia non ubivis sequantur increduli, id solum fit, vel dum contraria sunt sensibus internis; quos exuere non possunt, vel opposita cupiditatibus, quarum vi abripiuntur; non item ubi sunt cupiditatibus consentientia. Nam res foret admiratione dignissima, si vis appetitus aucta principiorum atheisticorum auctoritate non inclinaret voluntatem atheisticam; cum plerumque habeat illam vim, etiam renitente ratione et terrente conscientia, imo sub æternorum suppliciorum comminatione, pro ut Christianis Increduli obijciunt.

Quod autem ad virtutes veterum Incredulorum attinet; ex paucorum hominum vita res non conficitur, quia in hominibus ingenue educatis, et quorum ratio probe exulta est, quique se totos dederunt Philosophiæ studio, servare vim magnam potuit sensus justis et injustis, atque nota rerum discrimina, cum naturæ exultæ bonitate victi sint. Cumque etiam singularitate doctrinæ oculos in se omnium convertissent, non parum eos afficiebat publica existimatio. Denique necessum quoque ipsis fuit, ut bona vita amoverent publicam invidiam, quam ipsis conflabat philosophandi ratio abhorrens a vulgi opinionibus. Hæc vero motiva in vulgus rude et incultum vim nullam habebant; neque in aliis veræ et perfectæ virtutis, quæ ab omni vanitate et philantia longissime distat, laudem evincunt.

Obj. III. Latum est discrimen, aiunt Increduli, inter nos et illos CONSTANTII Imperatoris aulicos viros: a nobis enim nonnisi persuasis de falsitate Religionis Christianæ Christus deseritur; cum illis fidem Christianam, quam crederent vere divinam, repudiandi aliud motivum nullum esset, quam utilitas propria, gratia Principis et aulæ honos. Perperam quoque inter nos et inter EPICURUM aut LUCRETIIUM fit comparatio; cum nequaquam simus discipuli eorum, qui palam profitentur Atheismum, et nequidem legem sequuntur naturalem, quæ est nobis sacrosancta.

RESP. Si tam innoxii sunt a perfidia hodierni Increduli, eccur Christi doctrinæ tum primum assentiri desierunt, cum inciperent Christi præcepta violare? Nonne vita in pejus commutata fidei pariter immutata ratio fuit? par ergo utrobique motivum defectionis a Christianismo. Si vero cordis depravatio tam altis fixam radicibus Religionem confestim eradicavit; quid porro non valeat etiam contra legem naturæ in Incredulis Christi desertoribus? Nam pravi affectus multo facilius virum honestum (cui sola lex naturæ pro vitæ et fidei regula est) transformant in hominem flagitiosum, quam Christianum hominem suæ Religionis optime gnarum in virum plane incredulum.

Quod a primis et celeberrimis suæ Irreligionis defensoribus et magistris passum unum recedere conentur; et placet conatus, quo non obscure fatentur, quod ratio et lex naturalis luce Evangelii magis nunc collustrata aliquantum dispellat crassissimas ethnici Atheismi tenebras; et non placet, quia Theismus eorum reipsa non est aliud, quam infausta soboles Atheismi paganici, iisdem nixa principiis, queis EPICURI ac LUCRETII atheistica impietas.

Vide Dissertationis X. Sectionem II.

Obj. IV. Religio etiam Christiana impunita relinquit flagitia societati humanæ prorsus exitialia, si quando ipsi iudices eorumdem scelerum rei sunt; idque ad exemplum Christi circa Mulierem in adulterio deprehensam, quam pœnæ subduxit clam insinuando, iudices ipsius æque reos esse. Et quot non sunt inter Christianos, qui tametsi Religionis tenacissimi sint, sine studio virtutis, sine observantia suorum officiorum, suarum passionum mancipia et probra honestatis?

RESP. Ita videlicet Phariseorum astutiam superare contendit malitia Incredulorum. Christum illi adoriuntur maligno consilio, quo vel reum crudelitatis, si adulteram condemnaret; vel legis inimicum, si eam absolveret, essent accusaturi: sed pudore suffusi a Christo nec verbulo obloquuntur, et majorem humana sapientiam in Christo suspiciunt. Increduli vero et Christum et Christi Religionem criminantur in hoc Christi gesto, quo nec legem violavit, nec pœnam in scelus statui prohibuit; sed ab insidiis se expedire, et consilii malignitatem illæso etiam honore malignantium patefacere sapientissime voluit. Non minus proterve vitia Christianorum ipsi impingunt Religioni; cum vitia hominum sint, non Religionis; cujus quotquot dogmata fidei et morum placita sunt secuti, ad virtutis et sanctitatis perfectionem pervenerunt, membra Ecclesiæ et Reipublicæ honestissima ac utilissima. Cedo vel unum vere Christianum, qui ad leges Evangelii exacte vixerit, et bonus civis non fuerit? Cedo vel unum, qui abjurato Evangelio ad castra Impiorum transfuga melior factus sit civis, ac ante fuerat? Profecto si meminisse libeat, quod, si qua inde ab extremi belli tempore morum depravatio, et humanorum divinarumque officiorum quidam aut neglectus aut contemptus insedit terris antehac fervide Christianis, ex scriptis, dictis et factis Incredulorum suam habeat originem; evidens erit, Statum, quo additiorem veræ Religionis, eo feraciorem optimorum civium esse.

DISSERTATIO III.

DE RELIGIONE NATURALI.

SECTIO I.

QUIDDITAS, EXISTENTIA ET VERITAS RELIGIONIS.

§ I. PÆCOGNITA.

Qui veram Religionem, quæ est Christiana, impugnant, plerique etiam Naturali Religioni reipsa excidium minitantur; maxime quod Scripturam sacram, uti omnem revelationem ceu Naturalistæ abjiciant, in qua tamen vel continentur, vel fundantur officia omnia Religionis Naturalis. Hæc cum dictet et urgeat legum præcipue naturalium observantiam, de utrisque agendum. Lex vero et Religio Naturalis oriuntur ex summo jure divino imperandi, et hoc non tantum ex eo, quia omnipotens est; sed etiam quia Dei omnipotens voluntas sanctissima est, æquissima et sapientissima, quæ est ipsa lex æterna ac immutabilis, illi decernens jus imperandi, qui fines optimos novit, mediæque maxime idonea ad hos optimos fines obtinendos; quique propter infinitam perfectionem omnia optime moderari et vult et potest. Eadem toti naturæ rationali imponit obedientiæ officium, cum ostendat, hoc Dei imperium omnibus profuturum.

§ II. THEMATA.

I. *Per Religionem Naturalem rite intelligitur collectio officiorum omnium, sive erga Deum, sive erga seipsum et proximum, quæ ex Divinæ Naturæ et conditionis humanæ consideratione ratione investigari et concludi possunt.*

PROBATIO. Hæc notio vere constituit cultum Dei internum et externum, qualem recta ratio dictat naturæ rationali; ac vere eundem discernit a Religione supernaturali, quæ insuper Mystera continet intelligentiæ nostræ inaccessibleia, atque præcepta imponit viribus gratiæ supernæ adimplenda, utraque a Deo auctore fidei et gratiæ supernaturalis mortalibus libere communicata. Igitur naturæ insita Religio Naturalis cum hominum sensibus nascitur et explicatur; evolvitur argumentatione, et demonstratione fulcitur: naturalem

rerum ordinem et Providentiæ naturalis leges inquirat, officiaque duce natura designat in cognitis rerum convenientiis posita, vere intrinseca, necessaria, indelebilis in animis hominum ratione utentium. Per Legem autem Rationis seu Naturæ intelligitur collectio præceptorum, quam sua cuique conscientia promulgat, aut quam sibi proprio Marte potest conficere.

II. *Existit Religio Naturalis vera vereque divina, quam homo exequi tenetur.*

PROBATIO. Existit Deus summe perfectus et infinite sapiens naturæ rationalis Conditor ac Rector, qui ineundo consilium creandi Mundum non potuit non a natura rationali intendere tum sui cognitionem et amorem (ideo et in terra et in cælo sapientiæ et magnificentæ suæ explicans divitias, et universa cœlestia et terrestria condens in hominis gratiam), tum sui venerationem per certos ritus et sacrificia. Hic vero est cultus Dei exterior ad contestandum supremum Dei dominium, ille autem interior ad redamandum tot bonorum auctorem, patrem optimum et summum benefactorem; in quo utroque stat Religio; naturalis, quam ipsa dictat ratio officiorum et præceptorum naturalium præco; vera vereque divina, quæ naturæ rationalis Legis quæ naturalis auctorem et sui auctorem habet Deum.

Igitur merito DOCTOR GENTIUM Græciæ stultos potius quam sapientes pronuntiat inexcusabiles, qui cum per ea, quæ facta sunt, sempiternam Dei virtutem cognovissent, eum tamen non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed in cogitationibus suis perditam nefanda quæque perpetrarunt, non intelligentes, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte, ut qui perpetuam supremæ rationis legem offendant. ROM. I. 20.

III. *Existit Lex Naturæ nostræ congruens, diffusa in omnes, dictans officia naturæ rationalis, ac præprimis Religionem erga Deum.*

PROBATIO. Est quædam vitæ ratio, quam necessario probamus, et sunt quædam vivendi principia tam evidentis æquitatis et sapientiæ (e. g. suum cuique tribuendum, fidem servandam, beneficiis gratum animum debere), quæ doctis et indoctis sponte innotescunt, temporum omnium et locorum omnium communia; atque hinc sensus justus et injustus tam est naturalis, tam constans et uniformis, ut nullis possit præfocari præjudiciis, aut passionibus extingui, aut præmiis corrumpi ejus iudicium, vigens in sceleratissimis, quibus ita gratiosa est virtus, ut invite probent meliores. Est ratio in homine, quæ in vita instituenda et in singulis fere actionibus perpetuus et domesticus monitor est, et quidem cum tanta auctoritate, ut homo rationis monita nequeat contemnere, quin naturam hominis aspernetur, et ipse se fugiat. Est in singulis hominibus meriti et demeriti sensus, delicti et innocentie conscientia, vel cum jucunda voluptatis affectione, quæ vitam ad dictata rationis institutam semper comitatur; vel cum angore et cruciatu, quibus perturbantur et eliduntur ii, qui magistram vitæ sequi recusant Rationem; id quod de Impiis et Atheis confitetur LUCRETIVS.

Sensui interno, Rationi et Conscientiæ consentiunt naturales hominis propensiones, quæ ad omnia vitæ officia commovemur: quis enim cogitare

queat excellentissimam Dei naturam ac infinitas perfectiones, quin admiratione teneatur, et ad augustissimi Numinis adorationem, timorem et amorem rapiatur? unde factum, ut omnes gentes in colendo Deo consenserint. Quid magis a natura commendatum, quam diligere alios et benefacere? Hujus generalis benevolentiae et gratuita bonitatis tanta vis est in omnibus hominibus, ut ignotis periclitantibus ultro succurramus, et naturali commiseratione in omnium miserorum opem feramus. Demum quemque a natura excitari ad quaerenda ea, quae sunt conservantia sui status et ejusdem perfectio, nullus dubitat.

De ingenio et moribus aliorum hominum quid? Certissima est illa Socratis et PLATONIS observatio, nullum esse juvenem rudem et omni vacuum praedjudicio, qui si recte ac methodice sive de rerum veritatibus, sive de regulis morum interrogetur, non apte respondeat; ex quo experimento alii concludebant, scientiam esse reminiscentiam; alii veritates primas esse homini innatas; inde vero certum, eas ab ipsa natura edoceri. Experientia constat, perditos homines aequum ferre iudicium de aliorum hominum actionibus. Novimus, quod etiam flagitiosi aliquam virtutis rationem habeant. Nullus est, qui suas actiones licet turpissimas defendere non studeat, et illis recti speciem induere. Denique esse legem naturalem, omnes populi agnoverunt; omnesque sapientes et Legislatores admiserunt legem, quae, ut ait TULLIUS, « nec hominum ingeniis excogitata, nec scitum aliquod populorum sit, sed aeternum quiddam, quod universum Mundum regat, imperandi prohibendique sapientiam. »

§ III. COROLLARIA.

Atque ex his itidem liquet, SPINOZAM, HOBBIUM, MANDEVILLIUM, SEXTUM EMPIRICUM aliosve Incredulos sua in Legem et Religionem Naturalem rebellionem ipsis Ethnicis sceleratioribus et non nisi vetustissimorum inter paganos Atheorum, Calliclis, Carneadis, Archelai, Aristippi, Epicuri et Pyrrhonis discipulos esse sceleratissimos. Nam sicut apud CALLICLEM luxuria, intemperantia et licentia, modo facultas suppetat, virtus est atque felicitas; et apud CARNEADEM nullum est jus naturale, nulla justitia, aut si sit aliqua, summa est stultitia: sic apud SPINOZAM jus naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate et potentia determinatur. Apud HOBBIUM homines in statu naturae ferociores sunt lupis, ursis et serpentibus; et status hominum naturalis est status belli, et omnium contra omnes; imo quivis in ista conditione perpetuo intenti sunt in aliis seu fraude, seu vi, seu quovis alio modo praecoccupandis. Apud MANDEVILLIUM privatorum vitia ut ut lege ac Religione naturali prohibita, publica sunt beneficia. Ubi ratio? ubi pudor? ubi humanitas? haec procul dubio vox esset totius sanioris antiquitatis ethicae, qua, si revivisceret, rationalis naturae abortus detestaretur.

SECTIO II.

INSUFFICIENTIA RELIGIONIS MERE NATURALIS AD VERAM JUSTITIAM.

§ I. PRAECOGNITA.

Theistae seu Naturalistae, ut gravius deprimant Religionem Christianam, insolenti praecogonio extollunt mere Naturalem, cujus officia tam sint in aperto constituta, ut ab omnibus etiam rudibus facile et dilucide perspiciantur; cum illa Christianae sint obscurissima; et cujus ductum secuti Gentiles honestissime vixerint, cum Christianorum multa et magna sint flagitia. Hujus meritis regnum caelorum adscribunt, ut adeo VOLTAIRE Socratem, Solonem, Aristidem, Zoroastrum, Alexandrum, Trajanum, Marcum Aurelium et Julianum Apostatam sanctorum fastis ausus sit adscribere; et MARMONTEL in recentissimo suo opere (*Bélisaire*, cap. XV.) Tito, Antonino, Trajano, Catoni et Aristidi per ridiculam apotheosin vitae gentilis ac barbarae praemia inter caelites decreverit.

Verum cum ex omnium seculorum experientia compertum habeamus, neminem unquam sola ratione duce omnes ad Religionis et honestatis optimam institutionem necessarias veritates comprehendisse; fuisse barbaras et efferatas gentes in doctrinae ac vitae ratione parum a belluis abhorrentes; apud omnes gentes etiam cultiores, quae nec Mosen nec Christum institutorem habuerunt, summam opinionum perversitatem viginisse; inter omnes omnino Philosophos ne unum quidem repertum fuisse, qui universam de Deo et moribus doctrinam complexus omnia vitae et Religionis officia docuerit, quin veris falsa misceret; non admodum difficile fuerit, hosce Paganismi restauratores et adoratores revincere evidentissimis argumentis, quibus demonstraretur, ex Religione sic dicta naturali nullam esse aut unquam fuisse veram justitiam, et nullam salutem esse posse seu paganis seu hodiernis incredulis, qui cum fide in Christum omnem divinam Revelationem abjiciunt; imo et horum et illorum Religionem nec esse, nec fuisse unquam veri nominis Religionem naturalem. De justitia, quae scientiam veri et amorem recti, seu duo praecipua verae Religionis officia complectitur, ducamus initium.

§ II. THEMATA.

I. Religio sic dicta Naturalis non est sufficiens ad recte sentiendum.

PROBATIO. Gentiles solis naturae viribus relictis nunquam non pessime hallucinati sunt circa substantiam Deitatis, ejusdemque cultum ac Religionem. Nam gentes omnino omnes, si Judaicam excipias, idololatriae fuerunt mancipatae, ita ut aliae militiae caeli, solem, lunam et astra, aliae genios et daemones, aliae heroes ut ut sceleratos, aliae plantas vel bruta,

boves, crocodillos et vilissima quæque animantia, aliæ metum adeo, febrem, ipsamque impudentiam pro Diis colerent. Nec sanior erat de Divinitate sensus gentium etiam excultissimarum: Chaldæi enim inter cæteros populos sagacissimi draconem venerati sunt, et Bel suum rati, invisere in templo fœminas, ibidemque epulari: Tyrii, obsidente Tyrum Alexandro, Herculis statuas funibus vinxerunt, ne fugam arriperet: Græci Jovem, Bacchum, Venerem et alia id genus portentosa adorabant: Romani dispersa toto orbe Numina collegerunt, summa exin Religione superbi, quod nullam respuerent superstitionem: Galli, præeuntibus Druidis suis, inanibus simulacris thus adolebant, quod et Germani præstiterunt.

In cultu autem Numinis quam multi ritus ridiculi, quam futilis pompa, quam vana Augurum et Aruspicum divinatio, quam multa scelera et flagitia diebus festis admissa, et religione publica consecrata? Baccho placebat ebrietas, Veneri luxuria, furtum Mercurio. Hic litabatur humano sanguine, qui instar aquæ deplebat: illinc bacchantum furoribus, scortationibus et impudicitis Numen colebatur, et florales ludi celebrabantur cum omni lascivia. Finitimi Judææ populi filios suos coram idolo Moloch flammis tradiderunt, et Phœnices coram Saturno, rati, sic coli Deum, qui propriam prolem devoraverat; hinc trecentos una die homines eidem immolavit Aristomenes; hinc ex Oraculi mandato decimum quemque e suis filiis Pelasgi mactarunt. Mitto impura et horrenda quævis alia, quæ potius vel deslenda ab Heraclito, vel ridenda a Democrito, quam confutanda esse, edixit LUCIANUS.

Atque hæc non tantum invaluerunt, uti de Natura Deorum et horum Religione, ita de fine hominis ultimo errata turpissima, apud unum alterumve populum, sed apud omnes propemodum; non tantum apud barbaras et efferas gentes, sed etiam apud quasvis moratioris, in quibus artes et scientiæ floruerunt; neque solum ad breve tempus, sed ab antiquissima ætate, atque in hunc usque diem, quo populi Revelationis luce destituti alii dæmones colunt et Magiæ student, uti Madagascari Insulæ; aliis horrenda visu idola pro Diis sunt, ut Indis; alii Atheismum profitentur, ut Sinenses quamvis litterati. Sola igitur illa gens, quæ Deum habet appropinquantem sibi, et a quo acceptam habere legem gloriatur, a communi contagione libera, recte de Deo et divinis officiis sensisse deprehensa; Paganorum vero vanissimæ Religiones et infamia instituta summæ temeritatis arguunt Naturalistas, qui propterea novas gentes e suo cerebro parturiunt, ut vel in terris quibusdam fabulosis famoso suo Rationis regno sedem figant.

II. *Religio sic dicta Naturalis non est sufficiens ad recte vivendum.*

PROBATIO. Morum honestatem vitæque rectitudinem ex officio dirigit Ethica et Moralis; sed in utraque quantum non defecerunt ingenia Regnorum præstantissima et clarissimi Philosophi, quibus pene altaria consecravimus antiquitas? PYRRHONII nihil non æterna sua dubitatione subvertebant. ACADEMICI lacescebant et demoliebantur, nihil ædificantes. EPICUREORUM doctrinæ gravissimi errores stigma inusserunt. PYTHAGOREIS doctrina placuit obscura, superstitionosa, ac numeris inextricabilibus involuta. PERIPATETICI a pædantismo nimium spinoso famosi in suis tot scriptis vix quidquam proferunt præter officia civium et instituta civitatum Græciæ, pro gentis humanæ disciplina

parum certe profutura. PERSÆ suas matres ducebant uxores, nec alius, quam ex tali incestu natus princeps Magorum esse potuit. Inter ÆGYPTIOS ac tandem ATHENIENSES nupsit frater sorori, invitante Jovis et Junonis exemplo. HELIOPOLITANIS promiscuæ erant mulieres. HIRCANI patrem suæ auctorem vitæ volucris præbebant et canibus dilaniandum. GRÆCIS et ROMANIS jucundissima erant feralia gladiatorum spectacula, et prolem, quam enutrire haud ardebat, quovis mortis genere enecabant. Quid vero aliud ista spirant Ethices ac morum placita, quam errorem, tenebras et propudiosam etiam sapientissimorum vesaniam?

PLATO, divinus ille Plato, præterquam quod astris, telluri et dæmonibus divinam essentiam impertiretur, uxorum communitatem commendabat, permittebat vagos concubitus, et fratris cum sorore connubium; in festis Bacchi ebrietatem approbavit, et nudos utriusque sexus homines digladiari præcepit. ARISTOTELES non tantum de Deo scripsit tam obscure, ut pro atheo a multis haberetur, providentiam ultra cœlestia non protendens, et circa animæ immortalitatem anceps ac incertus; sed quam ineptis argumentis confirmat novam suam de Mundi æternitate opinionem? partuum abactiones non condemnat, nec in infantes crudelitatem; turpes quoque ac lascivas Deorum imagines probat. ZENONIS gregales Stoici, quorum igneus fuit Deus, plerique fatalem rerum concatenationem defendebant, fornicationem probabant universi, ipse etiam EPICURUS; incestum a natura maxime abhorrentem patris et filiae, matris et filii concubitum non horrebant; ut vero intolerabilem homini superbiam ingenerarent, est aliquid, aiebant, quo sapiens antecedit Deum, quia Deus naturæ beneficio, non suo sapiens est: Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincat ætate: si cui virtus animusque in corpore præsens, hic Deos æquat. Quid ad ista quam Deo injuriosa, tam homini sive soli, sive in societate posito perniciose Increduli? Si erubescant, res salva: si vero insaniant adhuc et obdurescant, adoranda simul et timenda sunt Dei vindicis judicia; cum nemo possit corrigere, quem Deus pro meritis despexit.

Obj. I. Celebrantur a tota retro antiquitate Socrates, Plato, Seneca, Trismegistus et alii veteres Philosophi, quos tenuerit ingens studium virtutis et veritatis, qui et nostris temporibus mire deprædicantur tanquam viri integerrimæ vitæ ac doctrinæ, Christianis heroibus multis nominibus præferendi; sufficit ergo lex et ratio naturalis ad scientiam veri et ad amorem recti, adeoque naturalis gentium Religio ad recte sentiendum recteque vivendum.

RESP. Stet sane sua laus et veneratio illis Philosophis, non quod reipsa incorrupti ac tales fuerint, quales VOLTAIRE depingit; sed quod inter corruptissimos meliores ipsi fuerint. Quippe Socrates, Plato et Cicero, quibus nihil divinius novit ethnica antiquitas, tametsi contemptis idolis verum Deum unice colendum cognoverint; tamen, quos privatim irridebant Deos, publice colebant, ac uno ore docebant, in iis, quæ de Religione constituta sunt, nihil esse immutandum; imo expedire falli in Religione civitates. CICERONIS præjudicia popularia et superstitiones patent abunde: nonne enim mirari se ait, quod non rideret aruspex, aruspicum cum videret; jubet tamen, ut in Religione instituta Pontificum et Aruspicum serventur? SOCRATES

jurabat in canem, quercum, anatem; in rebus veneris immodicus, et uxori-
bus etiam vulgaribus usus; invocabat dæmonia, litabat Æsculapio, dictus ab
antiquis imposturæ magister, derisor, simulator et scurra atticus, in quem
vel ex metu pœnæ, vel adulationis studio idololatram (qui morti proximus
rogavit familiares suos, ut Æsculapio gallum, quem voverat, pro se sacra-
rent) merito LACTANTIUS invehitur: « O hominem scurræ, si cavillari vo-
luit Religionem; dementem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro
Deo haberet. » Quam igitur impudens illa ERASMI VOX: sancte Socrates, ora
pro nobis?

DE PLATONE sat, credo, dictum; his adde, quod Delphium dæmonem pa-
ternum Græciæ interpretem appellaverit et ceu Numen celebraverit; Deos et
Deorum nepotes Saturnum, Jovem et Junonem in suo Timæo divinis hono-
ribus dignos judicaverit, atque in Epinomide pro cælis et stellis divinum
cultum præceperit, demum teste TATIANO « Platonem philosophum, quod
nimis gulosus esset, Dionysius vendidit. » SENECA, christianus ille stoicus,
nunquam ausus est laudare Christianos, metuens invidiam et contrarium
patriæ suæ morem; notatus pessime a S. AUGUSTINO propter librum hodie
non extantem, in quo superstitionum paganicarum absurditatibus omnibus
congestis ita subscripsit, ut eas omnes servari a sapiente vellet, non tanquam
Diis gratas, sed tanquam legibus jussas. De TRISMEGISTO S. Augustinus:
« Hermes ægyptius, ait, quem Trismegistum vocant, alios Deos dicit a summo
Deo factos, alios qui ab hominibus contrectabilia simulacra velut corpora
Deorum esse asserit... iste sapiens in tantam venit stultitiam, ut futurum
simulacrorum casum tanquam exitialem Ægyptiis deploraret... »

En! quantos veritatis Magistros, quam autem in injustitia detinent; et
quanta virtutis prodigia e rudibus Paganismi producat VOLTAIRE, sed qui
cum cognovissent Deum, non sicuti Deum glorificaverunt, atque ea fece-
runt, quæ faciebant illi, quos stultissimos confitebantur.

Obj. II. Gentiles Philosophi et sapientes Ethnici poterant et suam et alio-
rum rationem probe excolendo assequi notitiam omnium præceptorum natu-
ralium; poterant ea certo cognita rudioribus ad optimam vitæ institutionem
promulgare; quidni et Deum et verum Dei cultum, ad quem principaliter
obligat lex naturalis, sincero ac indefesso studio tandem pervestigare; maxime
cum recta ratio in iisdem sufficiebat ad efformandas sapientissimas leges, ad
constituenda Imperia, ad quasvis artes et scientias vel inveniendas vel perfi-
ciendas?

RESP. Ex actuali omnium ignorantia et perversitate, ex idololatria, infide-
litate, libidine, simulatione, aliisque exæcatæ mentis ac depravati cordis
facinoribus (a quibus nec sapientissimos gentilium immunes fuisse, hactenus
demonstratum) verissimum est, quod exprobrat TULLIUS: « Quotus enim
quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita disciplinam suam
non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet, qui obtemperet sibi
ipsi, et decretis suis pareat? videre licet multos libidinum servos... » Certis-
simum est, quod sola ratio non sufficiat tanquam magistra omnis seu veri-
tatis seu veræ virtutis, ut ut exulta fuerit, sed lumine Revelationis desti-
tuta. Eam generalem hominum corruptionem conquesti sunt in omni ætate
Legislatores, ipsi Philosophi, Poetæ et Oratores; ad hanc frænandam inventæ

sunt civitates et leges in ultionem eriminum latæ; in eadem pravitate cause
suæ arcem posuerunt Athei; atque inde est, quod nulla Philosophorum
schola totam veritatem tenuerit, ac illæ etiam, quæ de disciplina morali
optime meritæ sunt, ut Academia, Lycæum et Porticus, in absurdissimas
opinionum abirent.

Religionis præceptores et legum naturalium præcones constituis gentiles
Philosophos? at paucissimos reperias illorum discipulos aut sequaces; tum
quod ipsimet nonnisi cum amicissimis sua arcana communicarent, ut passim
vulgus Gentilium erraret sicut ovis sine pastore; tum quod rudium ad prin-
cipia Religionis et morum attenti, aut satis ingeniosi, aut satis vacantes,
plerique contentiones omnis incapaces, pauciores acuto ingenio sanoque judicio
pollentes; tum quod paucissimi semper essent Philosophi, tanto operi haud
pares, quantum est omnium rudium et a prima quidem pueritia ad veritatem
iustitutio, pauciores etiam, qui ad hanc procurandam labores et molestias
in se vellent suscipere; tum denique, quod carerent hi doctores philosophi
necessaria apud vulgus auctoritate a virtute et doctrina; cum inter se per-
petuo divisi de omni re litigarent, ac præterea sua vivendi ratione omnem
vim præceptis adimerent, summum ipsi nefas censentes, Deos patrios non
summe venerari, et caventes sollicitè, ne hostes Idololatriæ viderentur.

Obj. III. APOSTOLUS inexcusabiles dicit Philosophos, quod non, uti cogno-
verunt, ita Deum glorificaverunt; cognoscere ergo Deum poterant ceu crea-
torem, provisorem et finem ultimum hominis, et observantia legis naturalis
omnia hominis erga Deum, seipsum et alios homines officia adimplere.
Unde LACTANTIUS affirmat: « Si exstitisset aliquis, qui veritatem per singulos,
perque sectas Philosophorum diffusam colligeret in unum, ac redigeret in
corpus; is profecto non dissentiret a nobis Christianis. » L. VII.

RESP. Cognitio illa Philosophorum mere naturalis fuit, sistens in bonis
naturalibus a Deo petendis et sperandis, quin supernaturalia et æterna attingeret;
non igitur sufficiebat sive ad finem hominis ultimum simpliciter
(quem in rebus abjectissimis passim et turpissimis, aut certe vanis et inani-
bus constituerunt), cum supernaturalis et cœlestis sit gloria juxta ejusdem
Apostoli effatum: « nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis
ascendit, quæ Deus præparavit iis, qui diligunt illum; » sive ad medium
finis illius obtinendi simpliciter necessarium, quod itidem supernaturalis est
gratia, sine qua homo nec per seipsum possit emundari a peccatis, nec pec-
cata, ut oportet, vitare, nec universam legem implere. Hanc vero gratiam
utique largita iis fuisset divina bonitas, si modo pro sua cognitione gloriam
dedissent, et gratias egissent Deo, prout Apostolus commendat.

Veritatem illam per innumeros Philosophorum libros dispersam nemo
hactenus collegit, nec colligere potest, nisi « jam veri peritus et sciens; verum
autem nonnisi ejus scire est, qui sit doctus a Deo; » ut ibidem ait LACTAN-
TIUS. Præterea hic dispiciendum, quæ ætate ac ubi vixerint et scripserint
Philosophi, ut rite constitui possit, quid ratio naturalis valeat aut non valeat
in causa Religionis: nam qui propiores erant Æræ Christianæ, aut Scripto-
ribus sacris V. ac N. T., aut consortio fidelium usi (uti Julianus, Maximus,
Porphyrius, Jamblicus alique recentiores), multo saniora de Religione,

Ethica et Morali doctrina scriptis ediderunt, sed adjuti divinis oraculis; ut proin perperam lumini naturali adscribatur, quod Revelationi divinæ debetur.

Pluribus hujuscemodi objectionibus pleni sunt libri, *Les Mœurs, Catéchisme de l'honnête homme, Dictionnaire Philosophique....*; quas vero solidissime perstringunt TURRETINUS, ejusque editor FRANCISCUS VERNET, *Traité de la Vérité de la Religion chrétienne, de la Nécessité de la Révélation*; et cumprimis CAROLUS SANSEVERINUS S. J. in celebri opere, *Della Morale Filosofia degl' antichi Filosofi Pagani, in Bologna 1764.*

§ III. COROLLARIA.

Cum itaque quam diversæ veterum Philosophorum opiniones, tam frequentes et turpes fuerint eorundem aberrationes, dissensionesque et pugnae perpetuæ; jactatæ ab ipsis virtutes speciosa plerumque nomina; eorum, quos in Lycæis et Academiis formarunt, discipuli, superbi passim et facinorosi; eorum sapientia mere humana, ac potius minor duntaxat stultitia; et quod rei caput est, cum gentilium etiam clarissimis ipsa Religionis et morum fundamenta, natura et cultus Deorum, animorum immortalitas et finis hominis ultimus non essent compertæ veritatis (id quod de Socrate Tertullianus, ac de aliis Tullius testantur) nostræ assertionis veritas apertissima est; ipso confidente CICERONE: « Jam vero nisi hæc pro certis habeantur, necesse est homines in maximarum rerum ignoratione versari, quibus sublatis, vel in dubium vocatis, nulla potest esse pietas, nulla sanctitas, nulla Religio; et perturbatio vitæ sequitur, magnaue confusio; fides etiam et societas humani generis, et una excellentissima virtus, justitia tollitur. » Idem: « nunc parvulos natura nobis dedit igniculos, quos malis moribus opinionibusque depravatis restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. » QQ. Tuscul. L. III. c. 1. Quæ rei evidentia hæc etiam BAYLIO extorsit verba: « ipsa ratio suas homini tenebras, suam impotentiam et revelationis necessitatem manifestat. »

SECTIO III.

INSUFFICIENTIA RELIGIONIS SIC DICTÆ NATURALIS AD ÆTERNAM SALUTEM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Cum per gentilium apotheosin suæ etiam Irreligionis cœli portas aperire conentur hodierni Increduli; ut explodatur hic impietatis cavillus, discernendum videtur inter Gentiles, veri Numinis veros cultores, quorum uti vera Religio, ita et salus extra controversiam est; siquidem vel anteriores vel posteriores Lege Mosaica, cum Abele, Seth, Noemo, Abrahamo, Melchi-

sedech, Job, Jethro et Achior, Deum sicut cognoverunt, ita glorificaverunt fide in Deum, spe in Messiam, legisque naturalis per revelationis et gratiæ subsidium exacta observantia. Ac inter Gentiles idololatrias, qui vel de veri Numinis agnitione et cultu, legisque naturalis notitia et obligatione parum solliciti, vel potius ea cognitione abusi, et cum plerisque gentibus ingressi sunt vias suas ab erroribus et sceleribus infames; de quorum uti irreligione, sic et perditione itidem nullum etiam apud Naturalistas saniores dubium esse potest. Tandem vero inter Gentiles, qui ratione sua probe excolta Deum verum ex creaturis cognoverint, et sine gratiæ ac revelationis ope ad speciem honestatis suam vitam composuerint; quales fuisse jactantur Socrates, Plato, Seneca et quos non ita pridem VOLTAIRE et MARMONTEL cum insigni elogio commendarunt; præsertim JULIANUM APOSTATAM ceu infidelem fidei, sed fidelem rationi; scandalum Ecclesiæ, et Regum exemplar; aberrantem a Religione, nunquam a lege naturali.

Atque de postrema hac Gentilium classe potissimum quæritur.

§ II. THEMATA.

I. Religio sic dicta Naturalis salvare neminem potest.

PROBATIO. Religio vere salvifica edocere debet credenda et agenda, quibus assentiri et obsecundare ex institutione divini Salvatoris necessum sit ad salutem; proin Religio tametsi naturalis (si veri nominis est) dictat, Deum esse unum et verum; a Deo esse omnia; ad Deum omnia tendere; Deum omnibus providere; Deo deberi cultum internum et externum uti dignum, ita gratum Deo; tenendam, æstimandam et amandam esse veram Religionem, ea omnia præscribentem, quæ humanitas, pietas, justitia et ratio ab homine postulant; sanctissimam Dei optimi maximi voluntatem, omnium humanarum cogitationum, affectuum et actionum normam et scopum esse; legum divinarum transgressiones gravissimæ Legislatoris omniscientis ac omnipotentis vindictæ subjacere; esse media certumque modum placandi Numinis offensi; veræ virtutis summa fore præmia; ac demum animam post mortem hominis superstitem futuram, sive ad æternam mercedem pro meritis, sive ad supplicia sempiterna pro demeritis hujus vitæ. Verum quantum ab illa Religione salvifica distat ista Religio Naturalis, qua ad mentem VOLTAIRII et MARMONTELI gentiles Philosophi, ethnici Principes, atque ipse adeo JULIANUS Apostata vitam æternam consecuti, ac inter sanctos relati fuerint? Quantum, inquam, sive fidem, sive placita, sive mores, sive fata illorum hominum spectes?

SOCRATIS errores et vitia ex dictis patescunt. SOLONIS, ARISTIDIS et ZOROASTRI sapientiam deturpant cum teterrima rerum divinarum ignorantia, tum idololatriæ fædissima labes. TRAJANI in ipsam naturam delicta, vitæque licentiam impudentissimam quis ignorat? MARCUS AURELIUS non minus in amore familiæ mollissimo, ac in obstinatione idololatriæ ridiculus magis, quam ex sapientia et clementia spectabilis erat. ALEXANDER si ab immani non raro furore, ab excessu intemperantiæ, ab arrogantia ineptis vere Magnus fuit, quomodo sanctus erit? JULIANUS fors quia Apostata a Deo ad idola, a Chris-

Ethica et Morali doctrina scriptis ediderunt, sed adjuti divinis oraculis; ut proin perperam lumini naturali adscribatur, quod Revelationi divinæ debetur.

Pluribus hujuscemodi objectionibus pleni sunt libri, *Les Mœurs, Catéchisme de l'honnête homme, Dictionnaire Philosophique....*; quas vero solidissime perstringunt TURRETINUS, ejusque editor FRANCISCUS VERNET, *Traité de la Vérité de la Religion chrétienne, de la Nécessité de la Révélation*; et cumprimis CAROLUS SANSEVERINUS S. J. in celebri opere, *Della Morale Filosofia degl' antichi Filosofi Pagani, in Bologna 1764.*

§ III. COROLLARIA.

Cum itaque quam diversæ veterum Philosophorum opiniones, tam frequentes et turpes fuerint eorundem aberrationes, dissensionesque et pugnae perpetuæ; jactatæ ab ipsis virtutes speciosa plerumque nomina; eorum, quos in Lycæis et Academiis formarunt, discipuli, superbi passim et facinorosi; eorum sapientia mere humana, ac potius minor duntaxat stultitia; et quod rei caput est, cum gentilium etiam clarissimis ipsa Religionis et morum fundamenta, natura et cultus Deorum, animorum immortalitas et finis hominis ultimus non essent compertæ veritatis (id quod de Socrate Tertullianus, ac de aliis Tullius testantur) nostræ assertionis veritas apertissima est; ipso confidente CICERONE: « Jam vero nisi hæc pro certis habeantur, necesse est homines in maximarum rerum ignoratione versari, quibus sublatis, vel in dubium vocatis, nulla potest esse pietas, nulla sanctitas, nulla Religio; et perturbatio vitæ sequitur, magnaue confusio; fides etiam et societas humani generis, et una excellentissima virtus, justitia tollitur. » Idem: « nunc parvulos natura nobis dedit igniculos, quos malis moribus opinionibusque depravatis restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. » QQ. Tuscul. L. III. c. 1. Quæ rei evidentia hæc etiam BAYLIO extorsit verba: « ipsa ratio suas homini tenebras, suam impotentiam et revelationis necessitatem manifestat. »

SECTIO III.

INSUFFICIENTIA RELIGIONIS SIC DICTÆ NATURALIS AD ÆTERNAM SALUTEM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Cum per gentilium apotheosin suæ etiam Irreligionis cœli portas aperire conentur hodierni Increduli; ut explodatur hic impietatis cavillus, discernendum videtur inter Gentiles, veri Numinis veros cultores, quorum uti vera Religio, ita et salus extra controversiam est; siquidem vel anteriores vel posteriores Lege Mosaica, cum Abele, Seth, Noemo, Abrahamo, Melchi-

sedech, Job, Jethro et Achior, Deum sicut cognoverunt, ita glorificaverunt fide in Deum, spe in Messiam, legisque naturalis per revelationis et gratiæ subsidium exacta observantia. Ac inter Gentiles idololatrias, qui vel de veri Numinis agnitione et cultu, legisque naturalis notitia et obligatione parum solliciti, vel potius ea cognitione abusi, et cum plerisque gentibus ingressi sunt vias suas ab erroribus et sceleribus infames; de quorum uti irreligione, sic et perditione itidem nullum etiam apud Naturalistas saniores dubium esse potest. Tandem vero inter Gentiles, qui ratione sua probe excolta Deum verum ex creaturis cognoverint, et sine gratiæ ac revelationis ope ad speciem honestatis suam vitam composuerint; quales fuisse jactantur Socrates, Plato, Seneca et quos non ita pridem VOLTAIRE et MARMONTEL cum insigni elogio commendarunt; præsertim JULIANUM APOSTATAM ceu infidelem fidei, sed fidelem rationi; scandalum Ecclesiæ, et Regum exemplar; aberrantem a Religione, nunquam a lege naturali.

Atque de postrema hac Gentilium classe potissimum quæritur.

§ II. THEMATA.

I. Religio sic dicta Naturalis salvare neminem potest.

PROBATIO. Religio vere salvifica edocere debet credenda et agenda, quibus assentiri et obsecundare ex institutione divini Salvatoris necessum sit ad salutem; proin Religio tametsi naturalis (si veri nominis est) dictat, Deum esse unum et verum; a Deo esse omnia; ad Deum omnia tendere; Deum omnibus providere; Deo deberi cultum internum et externum uti dignum, ita gratum Deo; tenendam, æstimandam et amandam esse veram Religionem, ea omnia præscribentem, quæ humanitas, pietas, justitia et ratio ab homine postulant; sanctissimam Dei optimi maximi voluntatem, omnium humanarum cogitationum, affectuum et actionum normam et scopum esse; legum divinarum transgressiones gravissimæ Legislatoris omniscientis ac omnipotentis vindictæ subjacere; esse media certumque modum placandi Numinis offensi; veræ virtutis summa fore præmia; ac demum animam post mortem hominis superstitem futuram, sive ad æternam mercedem pro meritis, sive ad supplicia sempiterna pro demeritis hujus vitæ. Verum quantum ab illa Religione salvifica distat ista Religio Naturalis, qua ad mentem VOLTAIRII et MARMONTELI gentiles Philosophi, ethnici Principes, atque ipse adeo JULIANUS Apostata vitam æternam consecuti, ac inter sanctos relati fuerint? Quantum, inquam, sive fidem, sive placita, sive mores, sive fata illorum hominum spectes?

SOCRATIS errores et vitia ex dictis patescunt. SOLONIS, ARISTIDIS et ZOROASTRI sapientiam deturpant cum teterrima rerum divinarum ignorantia, tum idololatriæ fœdissima labes. TRAJANI in ipsam naturam delicta, vitæque licentiam impudentissimam quis ignorat? MARCUS AURELIUS non minus in amore familiæ mollissimo, ac in obstinatione idololatriæ ridiculus magis, quam ex sapientia et clementia spectabilis erat. ALEXANDER si ab immani non raro furore, ab excessu intemperantiæ, ab arrogantia ineptis vere Magnus fuit, quomodo sanctus erit? JULIANUS fors quia Apostata a Deo ad idola, a Chris-

tianismo ad Paganismum, Christi et Christiani nominis hostis tam infestus, ut nullus magis, Voltairio ejusque gregalibus cœli terræque spectaculum est; sed orbi nunquam visum, horroris, offensionis ac indignationis plenissimum. Undenam ergo salus sit pro turpissimis erroribus? unde retributio summorum præmiorum pro summis flagitiis? unde Deus ipse merces magna nimis pro idololatria et apostasia? unde vita æterna pro desperabundis suicidis? unde corona gloriæ cœlestis pro dirissimis Christi et Christianorum persecutoribus?

Plura de his exhibet editio correctæ Viennensis Libri: *Bélisaire*, pag. 451. De assertis autem fanaticis VOLTAIRII, editio novissima Libri: *Les erreurs de Voltaire*, 1767.

II. *Religio tam gentilium Philosophorum, quam recentiorum Pseudosophorum non est vera Religio Naturalis.*

PROBATIO. Dogmata et officia Religionis Naturalis antehac descripta, certe pleraque, omnino adversantur superstitionis Gentilium et ritibus et moribus et placitis; id quod ex historicis etiam monumentis, ex itinerum probatis descriptionibus, atque ex ipsis veterum Gentilium scriptis (nam de facto hic sermo fit) evidens est. Nonne enim (quod monstro simile est) populos omnes revelatione destitutos Idololatria fascinaverat, error omnium pessimus? Quotusquisque est aut fuit de sapientissimis illorum ab hac labe immunis? quam fatuas, fœdas et blasphemias de Deo ideas obstrudit gentium etiam cultissimarum Mythologia? quam spurca, horrida et abominanda sacrificia ad colendos placandosque Deos ab ipsis quoque Philosophis oblata? Ubi inter gentes barbaras genuina fides ac notitia de summa Dei providentia? Ubi certitudo de beata post mortem vita, ceu præmio veræ virtutis, et non civilium duntaxat meritorum? Ubinam exempla humilitatis, abnegationis, veri amoris ac timoris divini? ubi victoria sui, dominium passionum; et ubi non turpissima contra naturam, et legem et honestatem naturalem facinora, ad honorandos et imitandos Deos impune perpetrata, quin et apotheosi in flagitiosissimis sæpe coronata?

Igitur sine superno lumine nunquam fuit vera Religio Naturalis, sive illa Gentilium maximis in doctrina fidei et morum absurditatibus plena; sive illa nostrorum Pseudosophorum non nisi absurdas protrudens hypotheses, fuitiles conjecturas, principia statui ac Ecclesiæ injuriosa, placita et dogmata vero Deo ac ingenuo homine indignissima; et vel ex eo detestanda magis, quod infames idololatrias, et impietatis ethnicæ portenta ceu legis, Religionis, justitiæ et honestatis naturalis prodigia ad sidera extollant.

Obj. I. Sapientes ethnici acie ingenii sui assecuti sunt doctrinam ex effato Apostoli necessariam ad salutem, nimirum de Deo, quod sit, et quod inquirentibus se benefactor sit ac remunerator; cum ex CICERONIS, PLUTARCHII et aliorum gentilium sensu nulla sit Religio, si rebus humanis Dii sese non immisceant; et nisi credatur, quod Deus amet homines, hominum cura tangatur, hominum intersit negotiis. Itaque cum fides supernaturalis et divina jure ab iis non exigatur, qui nunquam de illa audierunt (quomodo

enim audient sine prædicante?) Religio gentilium quamvis mere naturalis dicenda est salvifica.

RESP. Fides, cui salutem adpromittit Apostolus, supernaturalis est ac divina ceu sperandarum substantia rerum, et argumentum sive convictio aut demonstratio non apparentium. Deum esse auctorem naturæ, demonstrat Ratio; gratiæ et gloriæ, quæ non apparent, Deum esse largitorem, Ratio non declarat. Pro ea fide exempla profert Sanctorum V. T., quos certe Revelatio excoluit, gratia sanctificavit, et merita gratiæ glorificaverunt. Ab oculis, ab auribus, a corde hominis removet præparatam in cœlis gloriam; non ergo apparet, nisi Deo revelante. Quod vero jure fidem istam Deus a gentibus etiam requirat, nemo inficiatur, nisi indignus gratia fidei Naturalista: si enim gentiles Deum, cujus cognitionem naturali sua perspicacia ex creaturis hauserant, glorificassent, exacte observando legem naturalem, Dei opem assidue implorando, et dignas agendo gratias suo tam benigno ac provido gubernatori; Deus dives in omnes haud denegasset facientibus, quod in ipsis erat, uberiores gratias, internas illustrationes, ac externam quoque prædicationem.

Verum « cum in se ipsis gloriarentur, ait CHRYSOST., nihil invenerunt eorum, quæ oportet; » non veras virtutes: « quis enim unquam, ait TULLIUS, de virtute sua gratias Diis egit? » non veram justitiam, Deum sic rogantes ex HORATIO: « det vitam, det opes; æquum mi animum parabo: » non veram sapientiam, cum ille sit sapiens ad mentem TULLII, « qui est totus aptus ex sese, quique in se uno ponit omnia; » et ad sensum HORATII: « sapiens uno minor est Jove; » non tandem veram æternamque felicitatem, quia sine fide, qua sua culpa et vitio caruerunt, impossibile est placere Deo, qui et gratiæ et gloriæ, quam sola fides demonstrat, solus ipse largitor est. Omnis ergo illa Gentilium cognitio vana et ad æternam salutem fatua est.

Obj. II. Eruditissimi S. J. Theologi hanc tuentur sententiam, sufficere gentibus, queis nulla est notitia Christianæ Religionis, notitiam naturalem de Deo et de lege naturæ; atque hujus sententiæ S. Justinum, Clementem Alexandrinum, aliosque antiquos Patres appellant auctores. Illorum autem prior Socratem et Heraclitum æquiparat Abrahamo et Eliæ; posterior vero: « ipsa, inquit, Philosophia Græcos pædagogi more ducebat, sicut lex Hebræa ad Christum; » quam et Philosophiam edixit justificare, L. 1. Stromat.

RESP. Quid sentiant eruditissimi TT., qui non allegantur, nescio sane; hoc scio, quod omnes sentiant cum Apostolo, sine fide impossibile esse placere Deo, et accedentem ad Deum debere credere. Scio, cunctis probari sententiam, quod ubi adultus infidelis legem naturæ intactam ac integram servet, Dei providentiæ sit, illius saluti consulere, cujus fere innumerabiles sint viæ. Verum ista minime evincunt notitiam Dei, Deique amorem duntaxat naturalem sufficere ad obtinendum finem supernaturalem, qui est cœlestis gloria.

Quod S. JUSTINUS veteres Philosophos, qui inter idololatrias unum Deum confitebantur; et TERTULLIANUS paganos, qui repentinis in casibus Deum unum invocabant, natura Christianos compellaverit; eundem fere sensum habet, ac quo CONSTANTINUS M. Arianos compellari voluit Porphyrianos, sub aliqua nimirum ratione magis analogica, quam propria. Hinc ibidem subdit

TERTULLIANUS: « fiunt, non nascuntur Christiani. » Socrates et Heraclitus comparantur cum Elia et Abrahamo, quantum præcise ad unitatem Dei a sanioribus Philosophis æque cognitam. Justificare dicitur Græcorum Philosophia, quatenus « regali doctrinæ viam parat, utcumque castigans et mores formans prius. » Cæterum, ait CLEMENS Alexandrinus L. VI. Strom. « iis, qui iusti erant a Philosophia, non solum opus erat fide in Deum, sed etiam ut ab idolorum cultu discederent. » Sicubi autem sententia CLEMENTIS aut alterius cujusdam Patris æquo magis propendere videatur in salutem gentilium; opponenda est mens Ecclesiæ Catholicæ, gravissimaque rationum momenta præhabenda sunt.

Quæ sit doctrina Theologorum S. J. de salute Infidelium, nitide, docte ac eximie exponit lucubratio P. GODEFRIDI HERMANN S. J. edita Wirceburgi 1738.

Obj. III. S. Dionysius Areopagita docet de Providentia divina, quod « cunctos homines ad salutem Angelorum ductibus tradiderit promovendos. » ORIGENES ad illud Apostoli: Gloria et honor et pax omni speranti bonum, judeo primum et græco, inquit: « quod ut ego capere possum, de judeis et gentibus dicit, utrisque nondum credentibus. » S. JOANNES DAMASCENUS salvatos opinatur omnes, « qui in vitæ puritate nullum non perfecerunt bonum, temperanter, sobrie, tenuiterque vivendo, licet non satis exercitati fuerint, nec divinam, ac sinceram fidem acceperint. » Idem plerique Patres sentiunt de illa S. PETRI sententia: Jesus Christus et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando. Itaque non abhorret a sana et orthodoxa doctrina salus Gentilium etiam sine fide supernaturali.

Resp. Benignior SS. Patrum de salute Gentilium sententia videtur tribuenda nimio in celebriores Ethnicos affectui tum maxime ostenso, cum verisimiliter identidem a gentilibus Neophytis de Majorum suorum salute interrogarentur. Attamen sensum vere orthodoxum nequam excludunt: nam S. DIONYSIUS, ut docet Angelicus, loquitur de prima classe Gentilium, quibus de Christo facta revelatio, uti Melchisedecho, de quo ibidem: « nequaquam inanum Deorum, sed altissimi verique Dei sacerdos fuit. » Per Angelorum ductus custodiam intelligit angelicam, quam Deus uti alia ad salutem apta omnibus auxilia præparaverit, quin eandem omnes reipsa consequantur, cum subdat: « solus ferme Israel præ omnibus ad veri Dei notitiam fuit conversus. » ORIGENES de gloria quadam temporali intelligendus, cum de Gentili utcumque virtuoso subdat: « iste licet alienus a vita æterna videatur, quia non credit Christo; et intrare non possit in regnum cælorum, quia renatus non est ex aqua et spiritu sancto; videtur, quod per hæc, quæ dicuntur ab Apostolo, bonorum operum gloriam et honorem et pacem perdere penitus non possit. »

Quæ de S. DAMASCENO dicta, inter fabellas referunt saniores Critici, Leo Allatius, P. Le Quien... Demum ex communiori Patrum ac Interpretum sententia S. PETRUS loquitur de liberatione eorum spirituum in Limbo, qui initio, dum adhuc fabricaretur Arca, et patientia Dei eos ad penitentiam expectabat, increduli fuerant aliquando de futuro diluvio; postea vero prædicationis veritatem experti et ad Deum vere conversi, quoad corpora quidem mersei aquis interierunt, sed quoad animas in Limbum descenderunt. Hæc

autem interpretatio sensui Ecclesiæ magis conformis præhabenda Patribus, qui cum S. Augustino, S. Gregorio et Niceta platonico philosopho aliquantum hæsitantes, non tam cespitaverint, quam reliquerint in medio rem necdum satis discussam.

§ III. COROLLARIA.

Cum itaque Ratio et Rationis usus in diversis diversissimus sit, et in gentilibus nostrisque Philosophastris abusus sæpius sit ac fuerit ad vitam et doctrinam a recta ratione plurimum abhorrentem; cumque affectuum rebellio, voluntatis deordinatio, studiorum inæqualitas omnium oculis pateant; nec non Magisterii interni neglectus, externi autem in plerisque defectus ingentia pervestigandæ veræ ad veram justitiam et æternam salutem viæ obstacula sint; cum tandem nemo unus luce fidei non collustratus veræ Religionis ideam sit assecutus; cedat seseque submittat Auctoritati infirma Ratio, et divinæ Revelationi fallax Philosophia, quæ in iis etiam, qui Christianam Revelationem confitentur, se sola tamen gravissimorum errorum magistra extitit. Quis enim nescit portentosa opinionum circa Moralia æque ac Politica, imprimis autem circa principia Jurisprudentiæ naturalis, quæ, seposita Revelatione, ex sola ratione statuere ausi sint Scriptores heterodoxi, THOMAS HOBBS in LL. de Cive et Leviathan, PUFFENDORFF in Compendio de officio hominis et civis, THOMAS, FLEISCHERUS, SCHMAUSIUS et horum similes? Si viri etiam orthodoxi doctissimi simul et piissimi, licet SS. Scripturæ, SS. Patrum ac utriusque Juris scientia ad præcepta naturalia rite cognoscenda diligenter usi, vixdum ab errore in omnibus immunes fuerint, (prout constat ex multis propositionibus a Sede Apostolica proscriptis) qua ratione iis, qui ut ne quemquam Legis Naturalis interpretem suis cupiditatibus adversum (sive humanus sive divinus is fuerit) audire cogantur, exclusa omni auctoritate tum sacra tum profana, divinis item Revelationis posthabitis jus naturale ad suum spiritum privatam, ad propria commoda, ad effrenem sentiendi vivendique licentiam conantur fabricare? et quamvis ad tribunal rationis omnes provocent, alii aliis et sæpe sibi ipsis apertissime contradicunt, reipsa indigni Naturæ Magisterio.



DIRECCIÓN GENERAL

DISSERTATIO IV.

DE RELIGIONE SUPERNATURALI.

SECTIO I.

DE REVELATIONE EXTERNA VERÆ RELIGIONIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Religio pro cultu Dei legitimo ab omnibus accipitur. Undenam autem homo cultum Dei legitimum certo resciat? Nimirum vel per lumen rationis, si Deus ex creaturis cognitus exigit Religionem duntaxat naturalem, uti pro statu, ut vocant, naturæ puræ; vel per specialem Dei ipsius Revelationem, si quid amplius præter officia, quæ sola ratio dictat, ab homine pro statu naturæ elevatæ, quem vivimus, requirat supernaturalis Religio, quæ fide Deo loquenti præstita in deferendis Deo obsequiis mortales dirigat ceu dux certissima omnisque erroris nescia Magistra veritatis. Loqui nempe Deum necesse est, et manifestare superna atque inaccessa menti nostræ, quæ nequidem ad arcana naturæ pervidenda se exporrigit. Inde vero se prodit summa Incredulorum temeritas et malignitas, quorum alii negare Revelationis Externæ possibilitatem, alii inutilem et homine ac Deo indignam asserere, alii divinæ œconomiae negotium omne alienum a ratione traducere audent.

His quidem displicet doctrinæ Revelatæ successiva evolutio; illis nec miracula nec vaticinia evincunt Revelationis existentiam; visum est aliis, omnia, quibus insistit Revelatio, facta negare, et SS. Scripturarum suspectam habere fidem et auctoritatem; alii vero sepositis gravioribus armis illudere Revelationi, et quod nequeunt confutare, inficetis sannis exsibilare præsumunt. Quin eo perviciaciæ prolapsus est id genus hominum perversissimorum, ut cum SPINOZA, HOBBSIO et BAYLIO contra divinam Revelationem, veluti contra rem lethiferam ac sollicitè evitandam conclamantes, Deum prope ex natura, hominemque ex homine corruptissimis scriptis hactenus sustulerint. Contra hos sint

§ II. THEMATA.

I. Religio debet esse Cultus Dei ab ipso Deo hominibus revelatus ac præscriptus.

PROBATIO. Religio, seu cultus Dei legitimus, Deo et dignus et gratus sit cultus, oportet; igitur Deus Religionis ipse auctor esse debet, sicut objectum et finis seu præmium est Religionis. Nam si terreni adeo Principes constituere assueverint, quibus observantiæ signis velint a suis subditis honorari, ne quid aut regia dignitate indignum, aut summæ majestati ingratum accidat; quam potiori jure Regi Regum, qui minutissima quævis alia ad suam gloriam ordinat ac dirigit, nihil magis cordi fuisse dicatur, quam augusta Religionis res, quæ divinum honorem promovet, Dei laudes celebrat, et Deum Mundo manifestum facit? Non ergo infirmæ mortalium rationi aut voluntati, minus Quackerorum delirii aut Enthusiatarum phantasiæ liberum reliquit Deus, Deum quocumque vellent cultu revereri; sed ad Religionem Deo dignam Deoque gratam, hoc est, divinitus revelatam ipsemet adstrinxit universos.

Profecto in hac nostræ naturæ depravatione aut difficillimum, aut vix possibile est, ex sola ratione determinare cultum, qui infinitam Dei majestatem deceat, neque superstitiosum aut absonum quid redeat. Undenam enim vix non in toto genere humano cultus Dei tot ritibus ac Religionum formis tam variis? undenam in ipsis etiam Ethnicorum sapientibus tam monstrosi circa cultum Dei errores, tam ridiculi et superstitione infames ritus, tam detestanda a libidine et crudelitate sacrificia; nisi ex illo Incredulorum putido mendacio, quod sola ratio ad determinandum Dei cultum sufficiat; et ex illa Baylii impiissima sententia, quod errores in Religione ne Atheum quidem damnationi reddant obnoxium, si absit malitia? sed nempe abesse non posse, ratio demonstrat; proin a Deo Dei cultus legitimus est determinandus, qui sicut non sola lege naturali nos regere, ita nec sola Religione naturali se coli voluit; quod deinceps pluribus demonstrabitur.

Atque inde est, quod BOLINGBROCKIUS (operum suorum vol. V. pag. 908), quamvis invitus huic nostræ assertioni non obscure subscribat.

II. Religionem a Deo hominibus revelandam ac præscribendam esse, fere persuasio naturalis est.

PROBATIO. Id quidem confessus est SOCRATES in Platoni Alcib. 2. Quod ignorent homines, quid Diis gratum sit, ac idcirco concludit; « nihil tutius atque consultius esse, quam quiescere et expectare, donec aliquis didicerit, quo nos animo et erga Deos, et erga homines esse oporteat. » PLATO in Epinomide « neminem, ait, pietatem docere posse, nisi Deus quasi dux præiverit ac magister. » In Phædone (qui est Dialogus de animæ immortalitate) SIMMIAS dicit, idem sibi videri, quod Socrati, nempe difficillimum aut plane impossibile esse, veram pietatem ac Religionem certo cognoscere; « nisi quis firmiore quodam vehiculo, aut verbo quodam divino transvehi possit. » TULLIUS vero quamvis gloriatur, quod sic studuerit Philosophiæ, ut omnes

cognoverit disciplinas, tandem confitetur: « Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi. » His suffragatur tota fere antiquitas cum LACTANTIO, dum scribit: « Verum autem scire, non nisi ejus est, qui sit doctus a Deo. » Omnium sane temporum monumenta testantur, quod ubi legum Conditores de Religione quidquam statuerunt, id omne tanquam cælo delapsum populi susciperent.

ROMULUS et NUMA dum sacrificia ordinarent, seu a Deo docti censebantur. LYCURGUM ab Oraculo Delphico instructum credebant. SYRUS Rex Ægypti circa sacra potissimum a commercio cum Diis celebrabatur. Nec artibus aut machinis opus erat Regibus, ut ritus et sacrificia a Diis se accepisse, subditis persuaderent, quod ipsa natura dudum gentibus persuaserat; quæ idcirco omnes suæ Religionis divinitatem mire extollebant, ac summe venerabantur. Igitur ubi de Religione seu cultu Dei legitimo agitur, non hominis, qui cultum debet, criterium; sed Dei, cui debetur cultus, beneplacitum veræ Religionis norma est. Deus autem, ut auctor Religionis, cultum sibi gratum, ut objectum, Religionis cultum se dignum, ut finis et præmium Religionis, cultum undequaque perfectum jure deposcit; quem tristissimo generis humani fato sola ratio nunquam, nulla unquam Philosophia, etiam per sectas quam plurimas studiose culta, est assecuta.

Obj. Religio Revelata non est aliud, quam ipsamet Naturalis Religio, sed emendata seu magis exulta; cum ergo hæc tota sit in rationis usu, illa nihil præscribit, quod ratio non capit. Profecto sola ratione duce (prout de gentibus non obscure innuit Apostolus) amari ac honorari Deus ab homine potest; ut quid inde ab exordio Mundi Deus sit locutus, quo sui cultum homines edoceret, fide et præscriptis ritibus exhibendum?

Resp. Admitti seu verum poterit assertum hoc sensu: Religio Revelata est Religio Naturalis vera, quæ antehac per Idololatriæ tenebras misere obfusca, suo dein candori ac splendori restituta, nova nos notitia rerum utilissimarum ac jucundissimarum collustret, quas sola ratio humana vel nunquam, vel non ita certo cognovisset. Hac vero mente, quod Revelatio Externa veræ Religionis nihil admodum contineat, quod sine illa resciri non potuerit, falsissimum est; cum ne unum ex omni retro memoria produxerint Naturalistæ, qui (sive Socrates, sive Tullius aut Plato is fuerit) Deum ex creaturis cognitum sine fide, ut decebat, Deum coluerit et amaverit.

Adeant defensores illi Naturalis ac Philosophicæ Religionis S. CYRILLUM ALEXANDRINUM L. VI. contra Julianum; ac quid ibi de Socratis cultu et amore Dei ad leges naturæ Porphyrius edicat, audiant! audiant LACTANTIUM de philosophia, vita et religione Ciceronis sententiam! L. III. Div. Inst. c. 14. Ipsos PLATONIS libros V. et VI. consulant, atque cum alias plenis buccis, Naturæ, Rationis, Sapientiæ laudes creparent; jam, velint nolint, exclament: o præclaram divini PLATONIS philosophiam! o sancta Religionis sic dictæ Naturalis scita, ubi pro naturæ legibus jacturæ aut molestiæ metus est, pro ratione libido, et pro sapientia nulla non absurdissima sensa de Deo et cultu Dei! Quæ sit doctrina Apostoli, nuperrime declaratum.

SECTIO II.

POSSIBILITAS AC UTILITAS REVELATIONIS EXTERNÆ.

§ I. PRÆCOGNITA.

Revelationis divinæ triplex objectum esse potest: Res videlicet ejusmodi, quæ naturali ratione investigantur, sed ope revelationis facilius, clarius, certius, universalius, utilius; præsertim quia cum obsequio etiam intellectus et cum merito fidei cognoscuntur, uti sunt præcepta Legis Naturalis. Dein objecta, quorum cognitio creati intellectus perspicaciam exsuperat, uti sunt dogmata fidei et præcepta supernaturalia. Demum doctrinæ, quas, ut ab omni suspitione erroris liberentur, quodam divinitatis sigillo munitas Deus homini tradit; sunt autem Prophetiæ et Miracula invictissima illa divinæ Revelationis argumenta.

Naturalistæ plerique omnes, BOLINGBROCKIUS, CHERBURIUS, BLOUNTIUS, ROUSSEAUVIUS et cum primis TINDALIUS, quamvis, ubi e re sua esse videtur, Rationem ultra meritum deprimant; tamen ubi contra divinæ Revelationis possibilitatem et utilitatem decertant, ultra modum extollunt humanæ Rationis præstantiam, ita ut, cum Legem quoque Naturalem summe claram, ab omni dubio expeditam, nullis egentem adminiculis, et cuius rudi perviam deprædicent; solam Rationem ad eam semper et pro omni eventu intime perno-scendam sufficere contendunt. Quippe hominum, si superis placet, oculatissimi non vident Legis etiam Naturalis profunditatem, vastitatem atque amplitudinem; simul autem hominis lapsi cæcitatem, imbecillitatem, inconstantiam et perversitatem.

§ II. THEMATA.

I. *Revelatio Externa Cultus Divini nullo modo impossibilis est, sed divinis attributis maxime congrua.*

PROBATIO. Ex parte Dei nequiquam repugnat (cum sit supremus Dominus omnium creaturarum) quædam ad sui cultum, quæ Religione naturali præscripta non sint, hominibus imperare. Possit Dens hominem utut sibi charum charis simul omnibus, patre, matre, conjuge, liberis et fortunæ bonis orbare; ac simul pro casu tam acerbo exigere, ut querelarum loco supplex sit adoratio judiciorum Dei; et non possit multo faciliora injungere? Possit paterfamilias, quo filiorum amorem et obsequium exploret, quædam identidem exigere non absolute necessaria; et non possit Deus?

Neque ex parte creaturæ rationalis ulla est repugnantia: non enim Deus aut nimia imponit, aut impossibilia præcipit, utpote Legislatores infinite

sanctus et justus; creatura autem rationalis, quo plus præstat operæ, eo plus mercedis expectat ab eo, qui inquirentibus se remunerator est, ac ipsemet suorum merces magna nimis. Tandem exigit ipsa Dei in homines summa benignitas, ut id revelet pater æternus, quod sibi relicta filiorum ratio etiam sagacior nunquam detectura sit; cultum scilicet Dei legitimum, qui sit et dignus et acceptus Deo, homini vero ad vitæ sanctitatem æternamque salutem vere proficiuus.

Adhæc necessaria est Revelatio: existit Revelatio: (quæ deinceps conficiuntur) ergo possibilis est.

II. *Revelatio Externa summe utilis est, ceu clarior, brevior et perfectior via ad bonam vitam, veramque Religionem.*

PROBATIO. Quod vulgus hominum attinet, experientia constat ejusdem incapacitas ad discendam philosophiam: nam quia rude, caret ingenio satis acuto et caret otio: quia leve, præceptionibus philosophorum raro benignas aures accommodat: quia pervicax, ad quæcumque disciplinam fuerit fortuito delatum, illi quasi affixum saxo adhærescit. Jam vero loquente et attestante Deo non est opus inquisitione, neque acri et perspicaci ingenio, neque multo otio; quia per Revelationem sine labore ea innotescunt omnia etiam pueris, quæ non nisi post adultam ætatem et post longa studia consequuntur Philosophi. Ad divinam vocem arrectas aures habere solent, atque eorum animis impressa manent cælestia mandata, dum elabuntur humana. Denique præceptionibus divinis mentem submittimus, nec contumaciter audemus contendere cum omnipotente. In omni vita civili, multo autem magis in rebus ad Religionem pertinentibus homines fide ducuntur: pauca perfecte norunt, plura credunt: nulli fere sunt, qui suum adhibeant judicium, et qui non id habeant ratum, quod judicatum vident ab iis, quos maxime probant: et ubi judicandum est, magis sunt a natura comparati ad recta de factis ferenda judicia, quam ad argumentorum vim explorandam, certitudinis moralis quam metaphysicæ meliores aestimatores.

Philosophi vero etiam perspicacissimi in Revelatione, ceu externa legum naturalium promulgatione, sine dubio multa invenirent veritatis et scientiæ adminicula: nam

1°. Illa oculis exhiberet, quæ solum ratiocinando ipsi concludunt; in quo sicut erroris summa securitas, ita facilitas maxima; uti si in scientia Mathematica sufficerent enuntiata theorematum sine demonstrationibus; cum ergo Revelatione caruerint veteres Philosophi; « errarunt velut mari magno (ut ait LACTANTIUS) nec quo ferrentur intelligebant, quia nec viam cernebant, nec ducem sequebantur. » Recentiores Naturalistæ perfectiorem complexionem legum naturalium perfecerunt; an quia Pythagoram, Socratem, Platonem vincunt ingenio et gravitate, cum quibus complures eorum nescio an vel comparari possint? an non potius propter illam ipsam Revelationis lucem, quam ingrati aspernantur? Quippe ab Evangelio, quod fastidiunt, Theistæ exscripserunt quidquid boni habent, sicut meliora sua Platonici hauserunt ex Judæorum scriptis; quod etiam ex parte fecit Mahumes. Atque ut exemplo domestico utar; unde alias, quam a Christianis legibus, illa Majorum nostrorum rejecta jam nunc est, inveterata invicem trucidandi libido,

aut barbara potius gloria, contra maxime perspicuum juris Naturalis principium *Non occides*?

2º. Si veteres illi a Deo acceperunt præceptorum naturalium complexio- nem; profecto in rebus maximi momenti, in Dei cultu, et in alia doctrina morali universa non fuisset seu monstrosa illa opinionum dissensio, seu tot et tam fœda errorum monstra.

3º. Vox Dei loquentis sustulisset omnem anxietatem ac dubitationem, quam in animis Philosophorum relinquere videtur ratio, etiam circa res gravissimas et maxime confirmatas.

Præterea sicut errorem a præceptis morum et Religionis removet; ita summam iisdem præceptis addit auctoritatem Externa Revelatio. Quamvis enim quisque investigare posset omnia vitæ et fidei officia; multo tamen efficacius idem commoveretur ad ea exequenda, si eadem ab ipso Deo externe injungerentur, miraculorum splendore confirmarentur, et (quod præcipuum est) per divinam Revelationem in clariori luce constituerentur futura virtutis præmia et vitio destinata supplicia; quæ interim sola ratio imperfecte apprehendit, et circa ea homines sibi fingunt, quidquid velint. Sane si Deo admonente intelligamus, paratum esse nobis Regnum, visionem intuitivam Dei, immensum et inenarrabile gloriæ pondus; sed contra manere impios horrenda supplicia, vermem nunquam moriturum, et ignem inextinguibilem: quis dubitet, quin majorem habituræ sint vim ad impellendos homines ad virtutem, vel ad coercendos a flagitiis hæc expressæ denuntiationes, quam fictæ Camporum Elysiorum et Stygis imagines!

Inde est, quod Revelationem divinam propter utilitatem illius maximam summi Philosophi ardentibus votis expetierint, non sine spe tanti a Deo muneris suo tempore obventuri. Vide Thema II. Sectionis præcedentis; nec non CLARKIUM, FORSTERUM, DITTONUM, HUTVILLIUM, et præprimis P. BUFFIER S. J. in præstanti opere: *Exposition des preuves les plus sensibles de la véritable Religion, Paris, 1732.*

Obj. I. Incredibile videtur, Deum aut velle aut posse hominibus sese communicare; tum quia hominis vilitas a Majestate divina distat infinite; tum quia de modo unionis divinæ cum homine, nullo modo constat. Est quippe medium ad instituendos homines extraordinarium, a naturali constitutione disjunctum, quodque necessario fundari debeat in prodigiis, quibus fidem addere credulitas est.

RESP. Nequiter hic se humiliant Increduli alias superbissimi: si enim sincera et rationabilis sit eorum de sua vilitate confessio; fateantur necessum est, quod cum semetipsos ignorent, circa Deum et Dei cum homine unionem non possint erudiri, nisi a Deo; qui cum infinite bonus sit ac potens, de ejus voluntate sese modo, quo voluerit, communicandi hominibus, sive per lumen rationis, sive per lumen Revelationis, sive per inspirationem, sive per Incarnationem, non est ambigendum; licet is modus non sit admodum pervius humanæ rationi, quæ si omnia pervestigare omnino posset, nulla essent mysteria et dogmata fidei (objectum fidei liberæ ac meritariæ), nulla Dei judicia abscondita aut investigabiles viæ ejus.

Præsumptionis fundamentum contra veritatem Revelationis nequit esse

ignorantia: quam multa enim in rerum natura et in ordine Providentiæ naturalis oculorum fugiunt et mentis aciem, quæ ineptissime pronuntiaremus incredibilia? Adhæc major inter divinam œconomiam et naturalem rerum ordinem intercedit connexio, quam solent Theistæ suspicari. Demum si miracula sint possible, eaque palrandi causa sit legitima; quæ est, quæso, ista adversus illam præsumptio? Numquid ante ducentos annos incredibile visum fuisset, quod sint animalia acaro millies tenuiora, suis tamen venis, arteriis, cæterisque artubus instructa? Nonne Siamenses, qui aquam frigore constrictam nunquam viderant, rem incredibilem pronuntiant potiori jure, quam Theistæ miracula? cum illud Siamensium judicium nulla ratio ipsis cognita elevat, et legibus naturæ ipsis cognitæ phænomenon istud non videtur consentire: at Revelationem probabilem adeoque miracula etiam (sine quibus Revelatio vix habet auctoritatem) credibilia facit hinc opis divinæ necessitas, illinc divina bonitas, quibus permoti inter Ethnicos sapientissimi hanc a Deo gratiam et petierunt et exspectaverunt.

Obj. II. Revelatio seu Mosaica seu Christiana gravissimum onus et credendorum et agendorum imponit hominibus. Homines ea sæpius abutuntur; jamque occasio extitit multarum calamitatum. Denique perquam levis semper fuit Revelationis efficacia ad temperandas hominum passiones: sed primum divinam bonitatem, alterum sapientiam, et postremum potentiam Dei infinitam minus commendant; itaque Revelatio non ita est congrua divinis attributis, ut prætexunt ejusdem defensores.

RESP. Duo sunt, quæ Deus ab homine potissimum exigit, fuga mali et exercitium boni; hæc ut certius obtineret, varias leges et ritus imposuit, quibus ceu repagulis etiam aditum mali præcluderet; non secus ac prolis incaute amantissimus parens eam non solum prohibet ab ultima præcipitii margine, sed a vicinis ejusdem locis; ne si ferat se, quo licet, proruat, quo non decet. Etiam providentiæ divinæ naturalis muneribus homines abutuntur, et Revelatio per lumen naturale homini a Deo facta, ad moderandam hominum vitam, multo levioris efficaciam habere deprehenditur, quam habet Revelatio e. g. Christiana. Non ergo a Theistis judicandum est de divinis institutis ex hominum moribus, sed ex legum scopo. Ratio et Fides admonent, quid faciendum; et Fides melius admonet. Utraque multa habet ad virtutum incitamenta; sed Fides habet potentiora. Neutra vero cogit ad amplectendam virtutem, neutra tollit arbitrii libertatem.

Obj. III. Lex naturalis tam est perfecta, ut nihil ad mores et Religionem pertinere possit, quod quisque etiam idiota non pervideat. Deinde quid interest, si quis pius in Deum, benignus in proximum sobriusque sit, motivis excitatus naturalibus an revelatis? Virtute sola delectatur supremum Numen, et quæcumque institutio etiam celestis huic fini subservire debet. Quæ igitur utilitas Revelationis?

RESP. Quam mala fide identidem oggerunt toties repressa minuti Philosophi? Quis unquam Philosophus officiorum vitæ et Religionis summam confecit sine maximorum errorum admixtione? Quotusquisque eorum fuit animo ita comparatus, uti Ratio præcipit; et disciplinam suam non ostentationem potius scientiæ, quam legem vitæ putavit? Qui factum, ut sola

ratione duce ne una quidem gens in Veri Dei legitimum cultum inciderit? Qui contigit, ut sola gens Judaica Veri Dei notitiam habuerit? Nonne summo hominum bono legem et ipsa continet naturalem Religio Revelata, constans, perpetua et flecti nescia vitæ regula, externa et nova legum naturalium promulgatio sine admixtione erroris ac superstitionis, et cum nova earumdem auctoritate a miraculis aliisque argumentis ad vulgi captum valde accommodatis? Veras virtutes et vitæ sanctitatem, quæ Deo grata sit, et gratum hominem faciat, undenam hauries limpidius ac certius? an ex monstrosa veterum, aut ex corrupta recentiorum Naturalistarum philosophia? An ex Revelatione Mundo coæva, quæ constanti et perpetua Traditione ad nos pura et incorrupta decurrens, a singulari doctrinæ puritate suscipienda est, præceptis morum optimis instructissima, nobisque commendatissima a viris in omni ætate ab insigni pietate conspicuis?

Quam igitur præclare LACTANTIUS pro hac contra illam: « da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi cum liberali dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem.... Nam quis hæc Philosophorum aut unquam præstitit, aut præstare, si velit, potest? » L. III. *de falsa Sap.*

Obj. IV. Ratio præ Revelatione certa est; nam illa parit certitudinem metaphysicam, et demonstratione innitur, hæc vero non nisi moralem, quæ est ab auctoritate. Facilior etiam via est ad veritatem per Rationem, dum contra difficillimum sit dijudicare Revelationem veram a falsa; tum ob varietatem prætensarum Revelationum, et cujusvis nationis de sua Religione a Diis accepta persuasionem; tum ob perpetuam variationem in Religione per Traditionem propagata. Id certum, quod hodie apud gentes magis exultas clarior vigeat cognitio legum naturalium, ad quas si cæcutiit Antiquitas, nihil id prorsus obesse potest perspicuitati illarum legum in se clarissimarum.

Resp. Cum præcepta morum et fidei per se evidentia non sint, nec plerique hominum valeant conficere demonstrationes, manet Revelationis summa utilitas respectu multitudinis. Manet quoque respectu sapientum, quia externa promulgatio præceptorum naturalium, confirmata miraculorum et vaticiniorum splendore, confirmat animos jam veritate per rationem imbutos, efficitque magis constantes, dubiis et suspicionibus minus obnoxios; est lucis quoddam augmentum et magis auctoritativa, quam ea, quæ fit per rationem; et cum omnes sensus feriat, attentionem majorem provocat. Moralis certitudo, ceu hominum ingeniis magis accommodata, eandem vim habet in vita civili, quam habet metaphysica. Adhibemus fidem sensibus et testimoniis hominum sine ulla errandi formidine. Cui principio philosophico firmiter adheremus, quam factis positis in consensione hominum? Prius dubitarem de æqualitate trium angulorum in Triangulo et duorum rectorum, quam de existentia S. KILIANI et ejus glorioso martyrio. Sic quamvis demonstrata; tamen CICERO scripsit, quod multi alii experiuntur: « dum lego, assentior; cum posui librum, omnis illa assensio elabitur. » Et quod demum argumentum ad convincendum etiam philosophum esset magis accommo-

datum, quam mortui sepultique amici frequens apparitio, et de rebus hujus et alterius vitæ sermo gravis et constans in iis circumstantiis, cum omnes sensus sine ulla perturbatione essent liberrimi? Igitur sensus et consensio hominum eam pariunt certitudinem, quæ rationi quocumque nomine certæ quoad vim et efficaciam ad persuadendum nullatenus cedit.

Facilius inveniri posse præcepta vitæ per rationem, quam per auctoritatem Revelantis, plane absurdum est; cum experiamur, nullos plane priori modo informari, totum autem genus humanum institutione a parentibus, magistris et publica fide accepta, ubique erudiri. Homines facile institui, difficulter philosophari, abunde stabilitum. Mutationi exposita est Religio Traditione propagata: numquid minus Religio promulgata per rationem, cujus in diversis usus diversissimus est? Sed libri, quibus innitur Revelatio, possunt interpolari et adulterari. Quam ridicula conclusio! omnes ergo libri sunt corrupti? Ex vanissima suspitione contra innumeros et integerrimos testes concludere, temeritatem habet maximam. Quod in systematis philosophicæ Religionis major quædam claritas in rebus compluribus hodie vigeat; hoc omne perfidi a vera Religione apostatæ secum abstulerunt: uti antehac dicta manifestant.

Obj. V. In omni ætate, populi, qui Revelationis auctoritate ducebantur, novarum semper revelationum percupidi fuerunt; nec ullo tempore impostores deerant, qui populos fallerent; ut ideo probandi sint spiritus, utrum ex Deo sint. Hoc vero examen longe difficilius est, quam Rationis ductu ipsam veritatem invenire.

Resp. Populi semper avidi fuerunt novarum Revelationum; esto. Ergo nulla vera; quæ consecutio philosophi! Unde orta est hæc populorum ad recipiendas Revelationes propensio, nisi ex conscientia suæ ignorantiae, et sensu illius indigentiae, in qua erant constituti; aut ex antiquissima Traditione a communibus parentibus accepta, qua sciebant, Deum olim cum hominibus locutum esse? Ergo contra communem hominum sensum negant Theistæ, Revelationem esse utilem, et deprecantur munus ab omnibus expetitur.

Impostores discernere, nullo modo tam difficile, quam ex sola ratione omnem veritatem dignoscere: nam rudibus ad omne examen ineptis omnia æqualiter sunt difficilia, et summa eorum felicitas est, si sorte nascendi hoc summum acceperint a divina providentia beneficium, ut cum lacte suscipiant veritatem, cujus inveniendæ pares non fuissent. Aliis quamvis ad ratiociniam ineptis facilius est, factum dijudicare, quam philosophica disputatione veritatem invenire, cum experiamur eos bene contexere narrationem facti, cujus ipsi testes fuerunt, et recte judicare de aliorum relationibus. Demum quod prudentiores et doctiores, qui solent præsidere cæterorum hominum Religionibus ac opinionibus, summas in religione Revelata utilitates reperiant, ex alibi dictis indubium est.

SECTIO III.

NECESSITAS RELIGIONIS REVELATÆ.

§ I. PRÆCOGNITA.

Est hæc ac fuit multorum sententia, potuisse haud dubie æternam salutem consequi eos, qui in statu Legis Naturæ per bis mille annos Deum coluerint ex creaturis cognitum, et a gravioribus peccatis sese abstinerint, quæ ipsa ratio dictat rationi adversantia. Cum enim Numen benignissimum omnes homines velit salvos facere, medium salutis æternæ ita debere esse comparatum contendunt, ut obtineri ab omnibus possit; quod proin aliud non fuerit; quam lex illa naturalis. Fuit namque æterna salus non uni alicui genti tunc alligata, sed sicut lex, ita salus una omnibus communis. Multa etiam pro illo statu, quo Dei natura minus homini perspecta erat, humanæ imbecillitati indulisse Deum excogitata a prudentioribus symbola Divinitatis, per quæ rudiores clara Dei notitia non imbuti, quadam ipsis etiam Patriarchis, THARÆ imprimis et ABRAHAMO, nec non LABANO et JACOBO consueta sensibili ratione Deum colerent et adorarent. Posthac ubivis terrarum invalescente Dei et legis naturalis aut oblivione aut ignorantia, cum homines ipsa illa symbola pro Diis haberent; gentem aliquam peculiarem ex omnibus discretam fuisse, quæ certis instructa legibus reliquis exemplo esset. Hac vero servitute et legum jugo excusso tandem venisse Messiam, qui tot legibus ac ritibus abrogatis primam illam libertatem restituerit, revocata sola lege morali, ac naturali de Deo notitia, addita tantum fide in Christum.

Atque hujus sui systematis hoc ponunt fundamentum, quod de divina bonitate non sit præsumendum, velle tot hominum myriades aut olim propter defectum fidei in Christum, aut hodie propter fidem non rectam in Christum ad tartara detrudere. Tametsi vero id genus Naturalistæ nostris Incredulis, qui omnem et Revelationem et Fidem divinam explodunt, aliquantum æquiores videantur; tamen par fere impietas paribus armis profliganda est.

§ II. THEMATA.

I. *Necessaria semper fuit Revelatio Externa Religionis, ceu Legis universos obligantis.*

PROBATIO. Religio est universalis omnium Regula obligans et pueros, qui inde a teneris ad cognitionem, timorem et amorem Dei, ad justas veri et æqui leges adstringuntur; et plebeios, qui inter virtutes et vitia discernere;

et tenuioris ingenii homines, qui, modo non sint animi impotes, nulli rectæ rationis officio deesse debent. Hæc vero Regula nequit esse duntaxat humana; cum hominis in hominem non sit tanta auctoritas, quæ (tametsi ARISTOTELIS aut PLATONIS aut cujusvis sapientioris Philosophi fuerit) vel unius hominis, nedum totius gentis humanæ conscientias ligare valeat ceu ineluctabilis; unice proin a Deo Revelante, cujus infinita est sapientia, veracitas et majestas, ea est repetenda.

Nimirum inde ab exordio naturæ rationalis certissima edocuit experientia; 1°. Plerosque mortalium non admodum intentos fuisse in rerum invisibilium notitiam ac contemplationem; minus affectos ad divina, quam humana; abreptos cura terrestrium præ illa honorum cælestium; et corporis, quam animæ studio magis addictos. 2°. Magisterio destitutos, tametsi vellent, haud potuisse tot inter Mundi illicia, hominum scandala ac vitiorum impedimenta, solo rationis lumine ad Dei Veri, Unius ac Providi cognitionem cultumque legitimum, ad spem firmam æterni in cælis præmii, ad suæ mentis immortalitatem rite æstimandam eluctari. 3°. Magisterium, si quod fuit, non fuisse pro universis, quod liquet ex dictis; nec fuisse sufficiens ad tot tantaque Religionis officia omnibus efficaciter persuadenda, utpote sola auctoritate humana nixum, eorum scilicet Magistrorum, qui perpetuas inter se discordias foverent ipsi, ut quod uni verum, alteri falsum, aut dubium videretur; ipsi quamvis perspicacissimi, post longissima tamen studia, qua ancipites circa veritates ex Revelatione certissimas, qua in omne genus errorum prolapsi; ipsi, quod melioribus auspiciis aliquando invenerent verum (uti de animæ immortalitate et de præmiorum pœnarumque æternitate), non habentes tamen pro incunctanter vero et certa Regula morum.

Atque idecirco acutissimi quique populorum moderatores pro asserenda suis legibus ac institutis ineluctabili auctoritate, easdem ex inito cum Superis consilio prodiisse, commenti sunt. Igitur quovis tempore ad excutiendas erroris ac dubii nubes lumine Revelationis indigebant mortales universi.

Verissime jamdum pronuntiavit LACTANTIUS de Religione mere philosophica et naturali: « Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana; et auctoritate majori, id est, divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille, qui præcipit. » L. III. c. 27.

II. *Revelatio Externa semper necessaria fuit ad cognoscendum Primi Hominis peccatum, hujus pœnam et remedium.*

PROBATIO. Quis est homo, qui naturæ corruptæ malignitatem et miserias non sentit vixdum natus? qui non perpetuæ inter carnem et spiritum contradictionis tragicos effectus experitur? qui, dum corpus quamvis ex imperio Numinis animæ subditum, animæ tamen constanti rebellionem obluatur, meliora quidem videat et probet, sequatur tamen deteriora? qui suæ rationis cæcitati, voluntatis deordinationi, et concupiscentiarum rebellionem non merito ingemiscit? Inde vero Ethnici etiam, CICERO et PLINUS conquesti, quod homo a natura non ut a matre, sed ut a noverca in lucem editus sit; inde summi etiam Philosophi PYTHAGOREI et PLATONICI inferebant, nos in statu

multo feliciore primum conditos, et in hunc quasi purificationis statum detrusos fuisse, ad luendas hic pœnas criminum illic patrorum; inde alii duas in nobis animas esse delirarunt; inde tota fere antiquitas sibi persuasum habebat, eo in statu (in quo nunc est) hominem a Deo minime creatum esse; alioquin, cum tantus sit operis creati defectus, in ipsum auctorem redundaret; nec instituti divini esse, quod nascamur iræ, non gratiæ filii; si vero ita sit, injuriam esse, cum omnis ira feratur in auctorem injuriæ; igitur irato Numini injuriam ab homine illatam fuisse; quisquis autem inferat injuriam, eum jam existere; aliquis proinde, isque primus homo esse debuit, qui filius iræ natus non sit, ne in infinitum fiat progressus. Funestam igitur mutationem naturæ integræ in depravatam, nocentem, et ream a primorum parentum culpa derivari, extra omne dubium prudens positum est, semperque fuit.

Undenam autem, quod natura aliquando integra extiterit; quod Primus Homo prævaricando legem divinam ea integritate exciderit; quod unius hominis peccatum et cum eo mors in omnes homines pertransierit; certo rescirent omnes Mundi ætates, atque omnium ætatum homines, licet gentiles, nisi ex Revelatione divina scripta vel tradita; qua Deus, cui salus nostra curæ est, ut tales essemus, quales esse debemus, nos scire voluit, quales fuerimus; qua ut hominem suæ conditionis ac miserissimi status (in quo nunc est) pudeat, fecit cognoscere illius gloriam, unde exciderat; qua voluit hominem sibimet imputare, quod patitur, ac divinæ misericordiæ se vel inde obstrictum esse intelligat, quod non patitur graviora; quodque cum homo per seipsum merito finiti valoris haud valeat, nec Deus ipse sibi possit satisfacere, eum modum et rationem inierit Dei sapientia, qua et homines bearet, et justitiæ satisfaceret, Deum-Hominem ordinando Redemptorem: nam homo esse debuit, qui pro hominibus satisfaceret; et Deum esse par fuit, cujus satisfactio esset infinita.

Itaque tametsi in administratione naturali vestigia deprehenderentur tanti Mysteriorum de lapsu et reparatione gentis humanæ; tamen, ut docet S. AUGUSTINUS L. IV. contra Julianum, sine revelationis luce rem duntaxat, hoc est, corruptionem naturæ agnoverunt; causam vero nempe peccatum, ut vocant, originale, multoque magis ejusdem remedium innixum meritis Christi omnes ignorarunt.

Testatur Cl. HOOKE Tom. II. legisse se in antiquissimis Ægyptiorum scriptis: « in primo cœli statu hominem supremæ rationi interius unitum fuisse, et in suis actionibus justitiam secutum; animum ejus sola tunc delectatum veritate, immunem ab omni errore. » STRABO L. XV. pag. 713. de hac Indorum doctrina testatur: « olim omnia plena erant triticæ et hordeacæ farinæ: fontes alii lacte, alii aqua fluebant... Homines autem ob satietatem ac luxuriam ad contumeliam se transdiderunt. Jupiter igitur illum statum exosus omnia abolevit, et vitam per laborem degendam instituit. » In quæ sensa commentatur CAUSABONUS: « Nemo dubitabit hæc legens ex eo esse ficta, quæ nos sacra pagina docet de statu primi parentis ante lapsum. »

III. *Revelatio Externa cum primis necessaria est ad cognoscendum et obtinendum Finem Hominis ultimum.*

PROBATIO. Finis, ad quem Deus hominem creavit, non est alius, quam illa merces nostris laboribus promissa; quam corona illa, quæ manet victores ex hoc rerum mortalium conflictu egressos; quam propositum nobis præmium æternæ beatitudinis, quæ sit clarissima Dei visione inchoanda, amore perficienda, et gaudio complenda sempiterno. Hunc tam sublimem et excelsum Finem (cum vires humanas superet) merito vocamus supernaturalem, non liquido cognoscendum, nisi per lumen Revelationis supernaturale, nec certo obtinendum, nisi ope gratiæ supernaturalis. Quantumvis enim communis omnium populorum ac temporum consensus de æterna hominis felicitate non obscure testaretur, tamen nec vera illius obtinendæ media suggerere, nec, in quo sit vera et æterna hominis felicitas, tota retro antiquitas (quæ luce caruit Revelationis) clare pervidere ac rite statuere unquam potuit; in Campis Elysiis quærens gaudia immortalium animorum, quæ nec sunt, nec vera esse possunt, nisi in cœlis et in Deo. Ubi vero ad rite cognoscendum Finem hominis Ultimum superna Revelatio, ibi ad eundem certo obtinendum præter Revelationem, divinæ gratiæ auxilium plane necessarium est.

Ut ad Deum remuneratorem accedere possit homo, necessaria omnium fides, quæ Deus credenda proposuit; necessaria omnium obedientia, quæ Deus præcepit agenda; necessaria omnium expiatio, quæ contra Deum homo deliquit; necessaria virtutum merita, quæ cœlesti, supernaturali ac æterno digna sint præmio; necessaria omnium executio, quæ ceu media ad æternam salutem Deus ordinavit. Undenam autem horum omnium (inter quæ altissima mysteria, sacerrima Sacramenta, leges, veritates et virtutes supernaturales sunt) aut sufficiens sine divina Revelatione cognitio; aut sufficientes ad eorum omnium observantiam sine gratia divina vires in homine, tam ad divina et cœlestia cæco, quam infirmo? Ergo vel nulli unquam Philosophi cognoverunt, aut potuerunt cognoscere omnem veritatem; vel impleverunt aut potuerunt implere omnem obligationem ad perfectam Religionis et morum informationem pertinentem.

Quid enim inter cætera ad Religionem tantum attinet, quantum cognitio viæ et modi, quo peccata expiari possint, et placari infensum sceleribus Numen? At dum malum aperiebat Ratio, et conscientia minitabatur, remedium nullum afferebat Philosophia. Pœnitentia nunquam visa est Philosophis, neque debuit videri expiatio criminis sufficiens ad ulciscendum legum divinarum contemptum, ad vindicandam divini imperii majestatem, ad manifestationem divinæ sanctitatis; hinc ad sacra omnis generis et expiatoria sacrificia veteres ubique confugerunt, ipso etiam litantes humano sanguine; quæ tamen sacrificia minus probarunt sapientes, rati expectandum esse, donec reconciliationis inter Deum et hominem modum Deus ipse hominibus significaret.

IV. *Revelatio Externa Religionis, quantum omnibus semper necessaria, tantum fuit omnibus communis.*

PROBATIO. Ut primum condidit Mundum; etiam se manifestavit homini Deus, et lapsu promisit Messiam ex muliere nasciturum; horum testem constituens ADAMUM. Hic tametsi filiis ac posteris easdem revelationes ac promissiones divinas communicaret; tamen prima jamdum Mundi ætate hominum culpa factum, ut eæ penitus obliterarentur, nisi in Enoch, Lamech atque aliis quibusdam Sanctis fides in Deum, spes in Christum et veritatum divinarum notitia ac veneratio perstitissent. Invalescente hominum malitia missus a Deo NOËMUS, quem cum, reliquis submersis, solum servaret Deus, divino hoc miraculo cum potestatem, tum voluntatem salvandi Mundum comprobando, spem hominum in Messiam denuo corroboravit. Vigente etiamnum memoria Noemi, Deus ABRAHAMO undique ab idololatriæ cincto Messiae adventum iterato promittit. Hunc ISAAC et JACOB cum suis in fide et spe expectabant; et quamvis abominatio terram undequaque oppleret, hæc in verba moriens ac filiis benedicens Jacob: *Salutare tuum expectabo, Domine*, Revelationis divinæ testis extitit incredulo orbi.

Inficiant Magia et Idololatria Ægyptios, atque Ægyptii ipsum etiam Dei populum secum abripiant; erit Moses et cum Mose plures erunt, qui Deum adorent, Messiam expectent, et bona sperent æterna. Græci et Latini falsis Divinitatibus, Poetæ Theologiis et Philosophi Sectis diversissimis æque ac falsissimis orbem inundant; nec desunt tamen in medio Judææ homines electi cumprimis Prophetæ, quorum vaticinia simul cum Judæis dispersa per totum fere Mundum: abundant vero etiam imagines ac figuræ de Messia, de Messiae adventu, de modo et tempore adventus.

Demum in plenitudine temporum venit Messias; et quamvis contra Christum et Ecclesiam Christi reges, populi et gentes infremant, portæ tenebrarum schismata et hæreses evomant, regna et imperia quævis collabantur cum stupenda ubivis rerum omnium catastrophe; tamen vera Christi Religio in hunc diem adorat Deum, qui adoratus fuit semper, nulli unquam mutationi aut errori obnoxia, tot ac tantis insignita prærogativis et characteribus, ut inexcusabilis sit, qui etiam non internoscat atque amplectatur. Sic ergo communis erat necessaria Revelatio divinæ Religionis, et omnibus et semper, ut ad omnes gentes et potuerit pervenire; quæ si non pervenit, hominum, non Dei culpa non pervenit.

Obj. I. Si revelatio quam necessaria omnibus, tam fuit omnibus communis; cur Deus non fecit taliter omni Nationi, et judicia sua non manifestavit eis? Cur Judaica Religio in Arabia desertis et ad unius populi divinis beneficiis indignissimi usum concessa? Cur Christiana etiam doctrina in Judæa solummodo fuit a Christo prædicata, cujus tametsi in variis Mundi partibus sensim propagatæ innumeri populi vix ullam in omni ætate notitiam habuerunt? Si Deus voluit Revelationem omnibus necessariam; debuit quoque omnibus, olim quidem via prophetiæ, ac hodie via prædicationis Evangelicæ, ne sit acceptor personarum, sed pater suorum amantissimus, eandem communicare.

Ita Scriplor Anglus libri: *Oracula Rationis*.

Resp. Exponant Theistæ, cur vel in ordine Naturalis Providentiæ alii hebetes, alii ingeniosi; alii nativa quadam prudentia imbuti, alii leves et inconsiderati; alii humani et benigni, alii crudeles et ad malum propensi nascantur? Cur Deus alios bonis fortunæ, optima institutione, omnibus bonæ beatæque vitæ adminiculis adjuverit; alios in adversa fortuna sine iisdem reliquerit, vel etiam permiserit, ut ab infantia traderentur dominis flagitiosis, qui ad omne scelus eos erudirent? Si hujus in rebus humanis exposuerint causas varietatis, nos quoque explicabimus secundum eadem principia, cur in œconomia Revelata eadem facta sit hominum distinctio et discretio. Ab ortu mundi illuxisse quamdam Revelationis lucem, constat ex dictis. Quippe manifestum, quod Deus veteribus Patriarchis fuerit locutus; quod omnes gentes non sine lumine superno conspiraverint in offerenda Deo sacrificia; quod prima ætate, hominum origini propinquiore, ad Dei unius cultum indigerent sola Traditione ab ADAMO ac NOËMO accepta; quod inde Religionis notitia diu steterit in Oriente, prout Melchisedechi, Abimelechi, Jobi et aliorum exemplis comprobatur; quod ignotus multo tempore Idolorum cultus etiam Romæ, in veteri Gallia, in Græcia et in Ægypto a ritibus de se innoxiiis cæperit; quod posthac (ut fieri amat) creverit superstitio, ac, evanescente ex hominum mentibus primæva rerum institutione, pleno alveo orbem prope universum inundaverit.

Non ergo populis Revelatio, sed populi defuerunt Revelationi. Sed investigare, ob quam causam Deus nec olim, nec hodie omni nationi locutus sit aut per Prophetas, aut per Christum, aut per Apostolos, aut per inspirationem; id plane vilissimum est in arrogante Philosopho, nempe perscrutari vias Dei investigabiles, divinam œconomiam ad humanum tribunal cogere, atque audere infinitam consiliorum penetrare abyssum. Satis ac prope nimium pro homine (qui omnis Dei inimicus nascitur), quod Deus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, via rationis, via illustrationis, via gratiæ ad fidem et salutem vere sufficientis.

Obj. II. Revelatio, quæ sit universalis omnium Regula, ad instituendam veram Religionem et bonam vitam cunctis necessaria, debet esse certa et evidens; cum credibile non sit, Deum voluisse ad homines mittere legatos sine clarissimis legationis suæ signis, aut obligare universos ad Religionem, de cujus veritate docti etiam et sapientes dubitant. Quæ autem certitudo ac evidentia Religionis Revelatæ; cum viri etiam acutissimi post multam positam operam in explicandis fidei Christianæ fundamentis assensum denegent; imo Evangelium totius Judææ gentis testimonio refellatur? Revelatio perficit Religionem naturalem; sensibili ergo ratione, ut omnia mysteria et dogmata comprehendi faciat, exposcit ipsa notio Revelationis. Perfectissima Religio est, quæ est omnium clarissima; cum illa, quæ prædicat mysteria, contradictiones involvat et diffidentiam causet. Deus, quem adoro, non est Deus tenebrarum, sed lucis, qui et lumen rationis indidit homini, ut scitu digna et necessaria pervideret omnia.

Ita ROUSSEAU, *Emile*, L. III. pag. 105-39. inde deducens pestifera hæc capita: non esse instruendos infantes circa Dei existentiam, vitam futuram et principia morum, prius quam ipsi suæ rationis lumine ea clare percipiant;

non oppido certam esse mundi creationem; omnia mysteria a Religione eliminanda; non rationem sacris litteris, sed has rationi subjiendas; liberum esse unicuique cogitare, loqui, scribere de Religione, prout libuerit.

Resp. Ne in ordine quidem naturali natura et providentia Dei, vel humanæ vitæ principia sua evidentia ita percillant hominum mentes, ut ad assensum cogantur; id manifestum ex gravissimis dissidiis veterum circa omnia, quæ sunt in Philosophia certissima, nec non ex turpissimis erroribus totius fere humani generis circa divinam naturam et Religionis naturalis principia. Quippe in sevit natura humanis mentibus solummodo semina scientiæ et virtutum, scientiam et virtutem non dedit, quæ fructus sunt industriæ et meditationis aut liberalis institutionis, quibus mediis carentes homines illos naturæ igniculos sic quandoque extinguunt, ut nusquam naturæ lumen appareat; ex quo tamen male inferret Rousseau, vanam esse scientiam et virtutem. Numquid in vita etiam civili ceu stultum rideret Rousseau, qui nihil ageret ex eo, quod non haberet certissime compertos exitus suarum actionum?

Deus lucis, non tenebrarum Deus est: sed qui lucem habitat inaccessibilem, qui Deus absconditus vocari amat, et qui posuit tenebras latibulum suum; quod ipsum docet Religio. Nimirum circa œconomiam Revelatam Deus voluit esse locum merito in recto usu omnium facultatum, intellectus et voluntatis; sapientissime ergo actum, ut Religionis splendor omnium oculos haud statim ferret, ut libera essent judicia, et « ut sermo Evangelii tanquam lapis esset lydius, ad quem ingenia sanabilia explorarentur »; ut ait Grotius. Num Mosi et Prophetis, Christo et Apostolis manifestissima missionis divinæ fuerint argumenta? Si solum dubitant, qui illorum claritati attentam mentem denegant, uti Rousseau; aut qui majorem adhibent diligentiam ad inveniendas difficultates, quam in ponderandis rationibus, uti Rousseau. Res non ideo certæ sunt minus, quæ a talibus non admittuntur, qui Deo, summæ veritati credere renuunt, ut rationi credant suæ etiam in naturalibus tenebrosæ.

Obj. III. Ratio et Lex naturalis hominibus a Deo data est ceu vitæ Regula relate ad Deum, seipsum et proximum; nulla ergo necessitas Revelationis est, præsertim cum lex tota naturalis contineatur paucissimis veritatibus simplicissimis, scilicet notitia existentiae et perfectionum Dei; et quod ad praxin attinet, obligatione uti honorandi ac diligendi rerum omnium parentem Deum, sic omnia entia rationalia, cum quibus est nobis juris communio, benevolentia prosequendi. Hæc autem duo præcepta omnibus obvia ac notissima, atque in omnium mentibus uniformia esse, nemo ignorat.

Resp. Simili ratiocinio conficiam adversus Incredulos, nullos nasci surdos aut cæcos, quia datus est a Deo oculus ad res videndas, nec vane a Deo sapienti et bono datus est. Item, nullum esse in mundo malum nec physicum nec morale, quia hæc nobis non videntur consentire cum Dei summa bonitate. Nullius ergo roboris sunt argumenta metaphysica contra facta clarissima. Esto, quod Ratio et Lex naturalis, dum natura adhuc integra esset ac incorrupta, fuerit perfecta vitæ regula; non vero in præsentis conditione naturæ humanæ: certum enim, quod ratio cujusque hominis illam perfectionem jam non habeat, quam habuit homo primum conditus; sicut certum quoque videtur, primam hominis progeniem non fuisse cæcam, neque sur-

dam. Utrum Deus ab hominibus malesanis illa omnia exigat, quæ ab hominibus sanis exigebat, et utrum homines naturalia officia, quæ primus homo integer præstitit, nunc non possint præstare; non est hujus loci definire. Sine dubio parens optimus est æquus creditor, qui metere non vult, ubi non seminavit, usuram talenti commodati tantummodo repetens, et si amplius voluerit, vires daturus ampliores. Id certum, esse homines in summa difficultate veritatis inveniendæ et virtutis exercendæ, quæ difficultas reddit verissimum, quod Lex Rationis sit imperfecta, constituens hominem in magna indigentia opis alicujus supernaturalis.

Principia illa Legis Naturalis paucissima non æque sunt aut fuerunt ante propagationem Religionis (uti jactantur a Theistis) manifestissima, et in omnium mentibus uniformia; cum teste TULLIO in LL. de Nat. Deor. « perdifficilis et perobscura quæstio sit de natura Deorum, quæ et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam Religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum tanque discrepantes sententiæ... » Et apud eundem, L. de amicit. « mihi semper, inquit Plato, visum est, et etiam nunc videtur, hominum ad rectam vitam institutionem omnium longe difficillimam... » cui ibidem consentit ARISTOTELES. Idem vero TULLIUS L. II. de leg. dicit, « raro evenire, ut vel in senectute homines sapiant, rectasque habeant rerum notiones. » Si vero Philosophi optimi et gravissimi tantas in investigandis primariis veritatibus illis difficultates experiantur; quanto magis abest rudis plebs ab hac officiorum perfecta comprehensione, cum illa contineantur tanquam conclusiones in principiis per argumentationem evolventa, et per difficilem quandoque seriem consecratorum.

Obj. IV. Si revelatio est necessaria maxime ideo, quod Ratio hominis sit imperfecta, et sine Revelatione lex naturalis non clare cognoscatur; ergo plurimorum salus redditur impossibilis: maxima enim pars hominum rudis, inculta, agrestis, imo in sylvis enutrita ad Revelationis et legis supernaturalis notitiam pervenire non potest; hæc autem destituta nequidem officia naturalia satis cognoscit. Quis autem de Ente infinite bono et justo vel cogitare ausit, quod hominum æternam salutem alligaverit qua legi naturali valde obscuræ, qua legi supernaturali plurimis impervie?

Resp. Non imputatur in culpam aut in pœnam, quod quis invitus ignorat; quicumque ergo Revelationem penitus ignorat, quidquid ex hac ignorantia perpetrat, nec culpæ subjacet, nec pœnæ. Attamen Revelatione sic destituti in nullis impingunt etiam contra legem naturæ, quamvis sine peccato, ut aiunt, formali; igitur fatendum est Theistis, quod pro legis naturalis nequam in omnibus clarissimæ notitiæ atque observantiæ, et utilis et necessaria sit Revelatio. Ipsi vero Theistæ peccati etiam formalis reatu stringuntur, quod cum possint præceptorum naturalium uberiorem notitiam consequi per ipsam Revelationem, hanc Revelationem, quam ipsa ratio suadet, nulla ratio dissuadet, et multiplex ratio persuadet, perfide abjiciant, ne suos illos mores cogantur attemperare.

Divina sane ac infinita bonitas est, quæ delicta adversus Legem Naturæ ex invincibili ignorantia perpetrata absolvit a reatu; quæ Revelatione sua Rationem et Legem Naturalem adjuvat; quæ vitam conformem iis, quæ manifestat Ratio, ulteriori beneficio dignatur; quæ facientem, quod est in se, fidei

et salutis aeternae mediis vel solitis, vel insolitis etiam neutiquam destituit. Sed et justitia Dei infinita est, quae Incredulos Majestatis suae scrutatores opprimit; quae culpabilem praecceptorum naturalium ignorantiam, neglectum et contemptum Revelationis, et mores Theistarum nec Rationi, nec Revelationi conformes pro gravissimis flagitiis habet; quae fidem divinam, qua se indignos faciunt arrogantes Philosophi, transfert ad gentes; quae tandem in die illa multo tolerabiliora paganis, quam Theistis, supplicia decernet.

Obj. V. Finis cujusvis Religionis est facere bonos et virtuosos, ad quod solae leges conducunt, nihil autem seu dogmata seu mysteria Revelata; maxime cum haec dicantur esse supra Rationem, atque hoc ipso sint contra Rationem. Quod vero pugnat cum Ratione, nec medium est virtutis, nec Religionis objectum esse potest; ac proin Revelatio minime necessaria est, quin etiam indigna vera Religione.

Resp. Vera est Religio, quae devovendo totum hominem Deo, totum hominem efficit bonum. Bonum autem, cognoscere quodvis verum, cum nulla veritas (quamvis diversi ordinis) contradicat veritati; sicque perfici intellectum, cujus objectum est omne verum: bonum, credere Deo revelanti ceu primae et summae veritati; sicque intellectum humanum captivari in obsequium fidei: bonum, obtemperare Deo praecipienti; sicque voluntatem, et quasvis alias facultates devinciri obsequio legum divinarum: bonum, suae naturae imbecillitatem ac depravationem, et horum originem malorum certo rescire; sicque Dei clementiam opemque cum humilitate exposcere: bonum, Dei-Hominis nosse labores, dolores et amorem erga nos summum; sicque ad fiduciam in meritis Redemptoris, ad horrorem peccati, ad amorem infiniti amoris vehementius accendi... Cum igitur Revelatio de peccato originali, de Incarnatione Verbi et de aliis fidei dogmatibus ac mysteriis totum hominem ita Deo devoveat vereque perficiat; quis ambigat, per Revelationem constitui veram Religionem, cujus duo sunt cardines, credere et operari, ita ut nemo sit bonus, qui alterutrum negligat aut contemnat.

Attamen mysteria Theistae contemnunt et dogmata quaevis supernaturalia; eo quod cum rationi non congruant, rationi opponantur; quasi inter *opponi* et *congruere* non sit medium, scilicet esse ordinis superioris. Non est statuenda oppositio inter ea, quae se invicem excedunt, ac ubi inferiora non contingunt superiora, quae a suprema et divina Ratione hominibus communicata tanta auctoritate praestant, ut tametsi Ratio humana pugnet cum divina, huic potius auscultandum foret, atque illa nullo esset loco habenda, vel ipso BAYLIO teste; fere sicut sensuum relatio parum valet in iis, quae sunt purae rationis. Deus imbecillitati humanae consulturus fecit hominem sibi ipsi incomprehensibilem, quo minus possit conqueri, si Deum non comprehendat; hinc fideles vere humiles et quod comprehendunt, et quod non comprehendunt, adorant; probe gnari, hanc vitam esse tempus tenebrarum, in altera primum vita removeri velamina, dissipari umbras, et veritatem omnino detegi. Incredulus, quod non comprehendit vel negat vel in dubium vocat, nihil convictus vel a voce Prophetarum, vel a docilitate caeca humilium, vel a loquela facunda miraculorum. Et quid ultra requiret? an descendat Deus in terram ad edomandam ejus obstinationem? Descendit, nec tamen major est fides Increduli, imo peior exin incredulitas. Deus homo

factus, Deus crucifixus, Deus mortuus: ecce mysteria fidei nostrae, sed et objecta incredulitatis!

Vide BAYLIJ op. *Réponse aux questions d'un Provincial*, ch. 161. Tom. III.

Obj. VI. Mysteria et Dogmata Supernaturalia sunt extra limites humanae intelligentiae; huic ergo applicari non possunt. Sunt incomprehensibilia; ergo et incredibilia: nam per revelationem rerum supernaturalium Deus homini loquitur, ut intelligatur et loquenti habeatur fides. Pleraque Mysteria Revelata manifeste pugnant cum principiis naturae etiam universalissimis; et vera sint ac certissima, quae contradicunt veritati? Nulla ergo necessitas Revelationis relate ad Mysteria, quae Rationis lumen extinguunt, fundamenta naturae evertunt, et legem tollunt naturalem.

Resp. Certum, quod non nisi ignorantia sit aut levitas et falsa metaphysica, quae Mysteriis affingat contradictionem; cum ipsemet BAYLIUS suo Joanni Clerico tandem confessus sit, nullam dari demonstrationem contra veritates fidei, et quascumque rationes illis oppositas et de facto et de jure nullas esse. Potest homo homini patefacere sua cogitata vel sonis articulatis, vel scriptis characteribus, vel aliis signis; et non possit, qui potest omnia, Deus revelando supernaturalia sese homini rite communicare, vel immediate agendo in animas hominum, vel afficiendo sensus et organa corporis humani? Sint Mysteria in se supernaturalia, sint aliqua etiam in se inexplicabilia, sint vero etiam incomprehensibilia comparate ad infimi hominis captum; non vero comparate ad miracula, vaticinia, aliave signa evidentis credibilitatis. Non sit homini plurium Mysteriorum notitia philosophica, quae declaret, quomodo et quare, ut sciat; sed est tamen revelata, quae satis exacte proponit veritatem et motivum fidei, ut credat. Theistae, quibus incredibile est, quod comprehendere non potest, evacuant Mysteria, et cum mysteria naturae non intelligant, capere praetendunt mysteria gratiae; nec prius credere volunt, quam dum nihil credendum superest; qui si in omnibus evidentiam requirunt ad fidem, edicant, quæso, quomodo inter se concilientur Dei immutabilitas cum ejus libertate, aeternitas cum temporaria creatione, praescientia cum libertate humana?

Revelet Deus, et intelligent omnes, quod Deus sit locutus, cujus auctoritas et testimonium, quid enuntietur per terminos, satis sunt ad fidem Mysteriorum. Quamvis autem evidens non sit, quid sit locutus, quomodo et quare res ita se habeat e. g. circa mysterium Trinitatis; attamen ex parte cognoscimus, cum notum sit omnibus, quid nomine naturae ac personae veniat; sed ex parte prophetamus, cum nemo comprehendat modum, quo termini simul connectantur, aut quo in unica Natura Divina tres sint subsistentiae, quae totidem personas divinas constituent.

Quod Mysteria gratiae debili rationi nostrae aut principiis naturae videantur repugnare; id prope necessarium est, ut submissioni nostrae respondeat meritum, et fides laudem virtutis habeat; dum intellectus humanus divinae Revelationi ex tot argumentis certissimae acquiescit prudenter judicans, de Infinito enuntiarum posse infinitas propositiones veras; cum ab humana ratione finita attingi nequeat veritas propositionum numero infinitarum. Verumtamen principia naturae saltem universalialia et ad divina aequae ac humana pertinentia non pugnant reipsa cum Mysteriis fidei; vel quia veritas utrin-

que conciliari rite potest; vel quia oppositio non est facienda inter ea, quæ sunt infimi, et quæ sunt supremi ordinis: horum enim tanta auctoritas est, quanta est Dei, qui omnem olim altitudinem sapientiæ philosophicæ, Magiæ diabolicæ, nobilitatis ac potentiæ extollentem se adversus scientiam Dei, toto orbe destruxerit; omnemque intellectum quamvis sapientia sua præfidentem vicerit, et in captivitatem redactum Christo et Evangelio subjugaverit; qui jamdum in creatione Mundi stultum ostenderit illud axioma Philosophorum: ex nihilo nihil fit; stultum in Incarnatione illud: Deus corpore, loco, tempore concludi non potest; in Passione Domini istud: Deus immortalis pati et mori non potest; et in Eucharistia illa heterodoxorum principia: corpus nequit esse in puncto, et duo corpora nequeunt esse in eodem loco.

Quam igitur verum illud Apostoli effatum: *Nonne stultum fecit Deus sapientiam hujus Mundi?* 1. Cor. 1. 20.

Obj. VII. Hominem a statu perfectionis et felicitatis culpa primorum parentum in labores et ærumnas præsentis ævi devenisse, videtur repugnare Divinæ sapientiæ, justitiæ ac bonitati; ut neque prophetiis, neque miraculis, neque ullo prorsus argumento vindicari queat. Methodus reparandi humani generis per mediationem Filii Dei Incarnati tam singularis est et absona, ut refugiat mens sana, nec fidem addere possit; nulla ergo necessitas est Revelationis ad cognoscendum seu dogma peccati originalis, seu Mysterium Incarnationis.

Addit LA METRIE: si vero docet Revelatio, nos in peccato conceptos fuisse, ex quo dein vehementes illi sensationum delectabilium appetitus in nobis enascuntur; hic status erit naturalis, in quo et manendum et emoriendum sit.

RESP. Quod felicitior primi hominis conditio fuerit, ac nunc est, et quod fœnesta hæc mutatio ex culpa primorum parentum contigerit; id ex communi et constanti populorum Traditione accepimus; id Poeta in suis de aureo seculo carminibus reliquerunt; id ipsi etiam sapientiores Philosophi, PYTHAGORAS, PLATO et alii (quamvis fors allegorice doctrinam nostram exposuerint) putaverunt, quod liquet ex dictis. Non ergo Religio Revelata facit nos miseros aut malos, sicut nec causa est nostræ a parentibus in Deum rebellibus originis. Quod per pœnitentiam haud valeant homines suis malis afferre medelam; neque id efficit Revelatio, sed plana res est ab experientia, quæ nimis omnibus comperta testatur, pœnitentia non reddi firmiorem valetudinem jam infirmam, nec morbis seu corporis seu animi pœnitentiam mederi.

Si vero etiam in Societate civili (cujus constitutio pertinet ad Providentiam naturalem) pœnitentia nunquam visa est sufficiens expiatio criminis, ut ad vindictam scelerum pœnæ repetantur, quandoque etiam universam familiam omnesque posteros malefactoris attingentes: quo fundamento negant Theistæ, hanc administrationis rationem locum habuisse in initio mundi, aut habituram in vita futura? Demum quod methodus reparandi generis humani per mediationem Filii Dei Incarnati (si generalim consideretur) naturali etiam rerum ordini valde analoga sit, vel exinde patet, quod in ordine naturali nostra perfectio et felicitas magna ex parte ab aliorum hominum mediatione pendeat. Nonne parentum mediatione nascimur?

Nonne magistrorum mediatione explicantur facultates? nonne omnes vitæ jucunditates per aliorum hominum mediationem accipimus? Et supernaturali constitutioni adversetur, consulere hominum salutem mediatione Christi, qui est auctoris nostri Unigenitus? Plura, ubi de Religione Christiana.

Illam vero LAMETRII argutatio tam est heteroclitica, quam est ipse homo paradoxus: ad revelationem circa peccatum originis provocat; ex eadem ergo revelatione addiscat, quod homo etiam pro statu, ut vocant, naturæ lapsæ, vere liber possit, si velit, frænare concupiscentias et rebelles animi sui propensiones compescere ope supernæ gratiæ, quæ omnibus præsto est; media salutis æternæ consecrari, et merita et præmium supra naturam longissime elevata adipisci.

§ III. COROLLARIA.

Itaque cum in statu, quem vivimus, et magna sit hominis dignitas, ad quam æternus Conditor ac Redemptor Deus hominem elevavit; et magna etiam vilitas, ad quam peccatum hominem depressit; nihil utilius, nihil magis necessarium homini, quam Religio Revelata, ut humanæ tum dignitatis tum vilitatis diversum edoceat principium, ac utriusque salubre medium, uni quidem animi demissionem, alteri vero animi erectionem adhibeat; ne vel ex desperatione, vel ex præsumptione homo proruat in perditionem. Namque altera facile æquabit Deo, altera bestiis: illa naturam incorruptam, hæc irreparabilem statuet. Atque exin Sectarum quondam diversitas exorta, præprimis Stoicorum, Epicureorum, Dogmatistarum et Academicorum; quorum alii perspecta dumtaxat naturæ humanæ præstantia elationem; alii considerata sola naturæ corruptæ miseria abjectionem animi ingerebant, geminam scaturiginem vitiorum omnium, quæ secta altera refugiebat ceu præsumptuosa, altera ceu desperabunda liberrime omnia sectabatur; indeque etiam Academicis omnia incerta, Dogmatistis omnia erant certissima; quamvis illos natura, et hos ipsa ratio confutaret.

Æquis autem utriusque malo rite medebitur, nisi Revelatio? Hæc dum justos, quos ad ipsius Divinitatis participationem attollit, facit memores peccati et miseriæ et erroris et mortis ex peccato; hæc dum injustis, quibus æternum vitæ intentat, gratiam offert Redemptoris, qua convertantur et vivant: peccatum et gratiam ceu vera contrarietatum in homine principia ita exponit, ut terrorem incutiendo iis, quos justificat, et inspirando solamen iis, quos condemnat, cum spe timorem dexterrime jungat; ac infinite magis, quam valeat superbia naturæ, elevet dignitatem hominis a Deo-Homine reparati, quin tamen ingerat superbiam; ac infinite magis, quam valeat sola ratio, deprimat vilitatem hominis, qui omnis nascitur filius iræ et servus peccati, quin tamen agat in desperationem.

Atque ita Religio Revelata, cum sola sit expers erroris ac vitii, sola est Magistra hominum, ad docendas veritates, ad deducendos errores et vitia, quovis tempore et cuivis mortalium summopere necessaria.

SECTIO IV.

REVELATÆ RELIGIONIS EXISTENTIA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Sat notum omnibus, homines non solum de Deo, sed etiam ad Deum loqui, cum suis precibus Dei opem implorant; Deum vero ad homines locutum aliquando fuisse, pernegant Theistæ, eo quod divinæ ad nos locutionis (præterquam quod vix possibilis ac inutilis videatur) indicia nulla sat idonea dari existiment. Ubi ergo demonstratum a nobis fuerit, quod Deus pro omni statu, Naturæ, Legis et Evangelii plura hominem nosse voluerit, quæ per lumen rationis naturalis non innotescunt; quodque ipsa extent semperque extiterint aliqua ad memoriam nostram a Majoribus prodita, quæ nec sciri, nec scribi, nisi Deo peculiariter revelante, potuerint (uli est præ cæteris futurorum prænotio, quæ omnium non tantum Christianorum et Judeorum, sed et gentilium Philosophorum ac Poetarum consensu vim nostræ rationis et facultatem excedit), indubia erit Divinæ Revelationis existentia.

§ II. THEMATA.

I. Existit Divina Revelatio, quæ Verbo Dei dicta, scripto et tradito continetur.

PROBATIO. In omni ætate et statu hominum Deus locutus est. In Lege Naturæ sanctissimis illis Patriarchis, ADAMO, NOEMO, ABRAHAMO; et quidem primo Homini præcipiendo: *de omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. II. 16. Alteri vero parenti gentis humanæ severe edicendo: *carne cum sanguine non comedetis.* Gen. IX. 4. *In quo benedicenda erant omnes Nationes terræ.... egredere de terra tua, et de domo Patris tui.... et excidetur ex vobis omne masculinum.* Gen. XII. XVII. XVIII. In Lege scripta longe plures extiterunt, cum primis autem MOSES et PROPHETÆ, ad quos Deus verba fecerit. In Lege Gratiae præter Prophetas, quos ea initio habuit, ipsum Dei Verbum auditum est, nobisque Deus in FILIO locutus. Cum igitur Verbum dictum non sit aliud, quam quod a Deo, vel ab Angelo Dei vicario auditur: cum de prædicto Dei Verbo non solum Mosen, sed antiquissimos etiam Scriptores alios habeamus testes: cumque nihil eorum, quæ Deus hac ratione locutus fuit, aut lex aut ratio naturalis dictaverit; certissime existit semperque extilit Divina Revelatio in Verbo Dei dicto.

Verbum Dei scriptum, quod Legi Naturæ aut deficit, aut ejus saltem nul-

lum authenticum extat monumentum, in Lege scripta multis Codicibus sacris (quibus divina oracula continentur) consignatum totius antiquitatis fides attestatur et prædicat. Lex Gratiae etiam suos habet libros divinos, et majoris quidem momenti, summa omnium seculorum ac populorum veneratione comprobatos.

Verbum Dei traditum eloquantur pro Lege Naturæ ea omnia, quæ de re sacra et cultu divino a primis parentibus accepta magna cura quasi per manus tradebantur. In Lege Mosaica fuisse divinas Traditiones, evincit illa Christi ad Phariseos exprobratio, quod genuinas ac divinas Traditiones adulteraverint; imo non nisi traditione illum ritum tenebant, qui sceminis ad peccatum originis eluendum adhiberi consueverat; ejusmodi remedium extitisse, omnes consentiunt. In Lege demum Nova quot et quanta non fecit auctor fidei et gratiæ CHRISTUS JESUS, quæ, oculato teste sancto JOANNE, nullo volumine comprehendi possint? Hinc Ecclesia suas Traditiones servat Christi et Apostolorum ore acceptas, et nudis verbis jam inde ad nos transmissas.

Itaque in Verbo Dei scripto et tradito existit Revelatio Divinæ Religionis, certissima ex totius generis humani fide ac persuasione.

II. Sacrarum Scripturarum semper fuit ac esse debet summa fides et veneratio.

PROBATIO. 1^o. Scripturæ Sacræ nihil enuntiant, quod fidem non mereatur, aut ejus non dentur exempla plurima æque digna fide; nihil quod genio et ingenio illius ævi, circumstantiis personarum, aut nationum (de quibus loquuntur) moribus non exacte consentiat; id quod prodigio simile in Historia Fœderis tam antiqui, dum cœva aliorum Scriptorum monumenta fabulis et mendaciis ferme omnia scateant. Si qua obscuritas aut ambiguitas sese objicit; hoc fere totum est circa unum alterumve textum perperam intellectum, circa historiam ævi nostri moribus ac crisi non satis accommodam, aut circa aliam apparentem in Genealogia aut Chronologia difficultatem; ut mirum sit, Theistas (quamvis de hisce rebus, ob linguæ usum, mores, sensa, loca, tempora et varias differentias aliarum nationum orientalium nobis parum cognitæ, ob temporis longinquitatem et narrationis brevitate, rite dijudicare ipsi omnium minime valeant) propterea toti tam venerando fidei deposito illudant, narrationes sacras suis ideis et anecdotis accommodent, ad sensus extraneos quævis detorqueant, et quidquid apertum ac verum, sanctum et divinum est in Libris divinis, proscindant atque exsibent.

2^o. Scriptores Sacri candore ac simplicitate, veritatis integerrimo studio, zelo divinæ gloriæ maximo, atque aliis Theopneustorum hominum characteribus ubique ita præfulgent, ut ceu veracissimi hominum, et a quæstu seu æris seu famæ remotissimi, omnium quoque fide dignissimi sint; qui demonstrant, quod enarrant; qui rerum ac temporum catastrophas, quam consignant, ipsi vivendo contigerunt, vel saltem eidem proximi fuerunt; quorum sinceritatem vel ipsæ apparentes hinc inde antilogiæ manifestant; quæ scriptis evulgant, pleraque Ephesi, Jerosolymæ et celebrioribus in locis, atque publica in luce gesta erant; ea libertate styli ac securitate usi, ut (quod humana duntaxat sapientia certo prohibuisset) non tantum suos et suæ gentis, sed et summorum virorum (qui capita et fundamenta Religionis

erant) ABRAHÆ, DAVIDIS, PETRI et PAULI nævos propalarent; ut tametsi pro veritate verbera, carceres et mortem ferrent a Judæis et gentibus; tamen veritatis revelatæ hostes Scriptorum authenticam nunquam inficiarentur.

3º. Tota Antiquitas; scriptores fere omnes, qui in mores et regiones orientalium accuratius inquisierunt; Mythologia etiam gentilium, in qua si veritatis superest vestigium, ex sacris Litteris depromptum fuit; quin et hostes Religionis Judaicæ ac Christianæ, nolint velint, SS. Scripturarum divinitatem, antiquitatem et auctoritatem attestantur, prout erudite ac copiose demonstrant Eusebius, Grotius, Huetius, Prideaux, Schuckford, Lavaur, Lardner, Biscoe, Kœcher et alii recentiores, ex quibus manifestum, quod nulla unquam monumenta historica (uti illa SS. Scripturarum) tanta fuerint ac curatione discussa, et nulla alia tam concordii assensu declarata ceu verissima; quod doctrina in Libris divinis contenta tam sit pura et sancta, ut si gens humana suos eidem mores conformaret, felicissimus foret orbis terrarum; quod denique apud omnes Gentes summa SS. Bibliorum veneratio viguerit, ut jam dum trecentis annis ante Christi adventum Rex PTOLEMÆUS verti curaverit hebræum Codicem in græcum idioma, ac Regi ARISTÆUS enarraverit de Theocteti et Theopompi irreverentia erga SS. Codices, in uno vertigine cerebri, et in altero oculorum cæcitate vindicata, ita ut hic cæcutiret, et ille insaniret, dum suam tandem perfidiam ejurassent cum proposito nunquam deinceps Libris divinis ad nugas et fabulas abutendi.

III. Divinæ Traditiones ejusdem cum Sacris Scripturis auctoritatis sunt.

PROBATIO. Verbum Dei traditum æque est Verbum Dei, ac Verbum Dei scriptum, cujus summa auctoritas non est a scriptore vel traditore, a calamo vel ore, ab atramento vel aure, a charta vel corde, sed ab eodem Revelationis traditæ ac scriptæ divino auctore. Si hujus infinita sapientia et veracitas omne excludit dubium, omnemque removet suspicionem erroris a Verbo scripto, quidni a tradito? Si hujus infinita Providentia conservandæ SS. Scripturarum integritati mire invigilet, quidni conservandæ divinarum Traditionum authenticæ; cum utrinque sit Verbum, quod Deus locutus est? Quin ausim dicere, Verbum traditum non majoris quidem auctoritatis, sed potioris conditionis esse, quam scriptum: nempe traditione quadam tenemus, Vulgatam illam, ut vocant, editionem veram esse et legitimam; et licet Florentinum ac Tridentinum statuerint, tot et non plures sacri textus Codices, hos et non alios esse admittendos; hoc tamen ex antiqua Ecclesiæ traditione didicerant.

Imo, quod sit in Ecclesia quædam Regula fidei fallere nescia, licet ex sacris paginis habeamus; id tamen ex communi quadam traditione firmiter tenemus, quæ sacri textus germanum sensum retinet, quem multi in multis aliorum, atque scripta sunt, flectere ac detorquere facile possunt. Igitur recte credit, qui cum S. AUGUSTINO Evangelio non crederet, nisi ecclesiasticæ traditionis auctoritate niteretur: recte sentit, qui cum S. CURYSOSTOMO nihil amplius quærendum esse judicat, ubi ad traditionem perventum est: recte docet, qui cum APOSTOLO prædicat, servandas esse a cunctis fidelibus omnes traditiones ab Apostolis seu verbo, seu scripto relictas: pessime vero sibi ipsi contradicit, qui rejicit traditiones, ac soli textui insistit. Si enim dun-

taxat id divina fide tenendum, quod in SS. Libris scriptum est, (quod ipsum in iis nusquam legitur) ergo vel hoc ipsum non scripto, sed traditione tenetur; si vero id traditione accepimus, alia quoque esse possunt, nudo verbo non scripto jam inde a Christo ad nos transmissa.

Obj. I. Si Deus locutus est (ait ROUSSEAU, *Emile*, T. III.) cur mihi non est locutus? Nonne id Deo perinde fuisset, ac mihi consultius contra periculum perversionis? Tandem quid obsit, nulli prætensarum Revelationum assentiri; dum certus sum circa agendorum obligationes? Serviam Deo in simplicitate cordis, atque ea præcise addiscam, quæ mei sunt officii, parum sollicitus de doctrina, quæ ad mores et vitæ rationes non attinet.

RESP. Dubium plane est, ROUSSEAU et ejus asseclas, qui ad tantam lucem veritatis Evangelicæ (quam is alicubi confitetur) nihilominus dubitant, dubitatos non fuisse, si Deus ipsis locutus fuisset. Procul dubio huic inspirationi divinæ suum illud inconceptibile, contradictorium et ἀδύνατον iterato opposuissent. Item cur minus timenda cordis mei deceptio, quam aliena delusio? adhuc uti Deo liberum, loqui ad homines; ita liberum, huic vel illi homini loqui. Tune ausis obstrepere summæ veritati, cui placuit Prophetis loqui et Apostolis; Ecclesiam vero eam custodire divinam locutionem, ac fidelibus fidelissime tradere?

De vita et moribus suis quæ debuccinat, verba quam splendida, tam sunt fucus illita. Quid si Deus ad ea te obliget officia, quæ nescis, aut quæ sola Ratio non attingit? Ecce mortalium in statu elevationis ad finem supernaturalem sit certitudo de notitia omnium suarum obligationum absque revelatione? Quæ cordis simplicitas sine perfecta cordis submissione ad nutum supremi Numinis, sine animo ac studio investigandi Revelationem reipsa extantem? Nonne inter omnia hominis officia non sola voluntatis, sed intellectus etiam obedientia est, Deo loquenti æque ab intellectu, ac Deo præcipienti a voluntate præstanda? Cui certo non constat, falsam esse quæcumque Revelationem; nec tamen inquit, sed contemnit; is fallit et fallitur, cum dicit, rescire se ac adimplere omne suum officium, injurius Deo, incurius salutis.

Obj. II. Præcepta divina de ligno scientiæ boni et mali, de non comedenda carne cum sanguine, atque de circumcidendo omni masculino, non fuerunt universo hominum generi imposita; aut si præceptum illud Adamo datum, ejusdemque prævaricatio, et redemptionis per Messiam necessitas ad omnes omnino homines pertinebat; ecurr labis originariæ contagio, atque divini Redemptoris promissio non statim omnibus patefacta, nec statim ab omnibus cognita fuit; illa omnibus funestissima, hæc vero omnibus optatissima?

RESP. Si pœnam cuncti mortales luimus mortem per peccatum ingressam in mundum; quidni et culpæ rei simus, cui illa statuta est pœna? Ad omnes quippe pertinet illud: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Legem Noëmo datam strinxisse etiam posteros, vel ex eo conficitur, quod qua fuit auctoritate lata, eadem fuerit multo post tempore abrogata. Quod ABRAHÆ præceptum fuit, stringit universos, at spirituali sensu, quo videlicet Abra-

ham pater noster est, fideique ac spei nostræ typus et exemplar. Si enim de illo dictum: *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, de nobis tenet illud: *accedentem ad Deum oportet credere... quia sine fide impossibile est, placere Deo*. Quod Abraham promisit Deus: *Noli timere, ego protector tuus sum, et merces magna nimis*; hoc nos quoque excitare debet ad spem futuræ gloriæ, quæ est in cœlis ipsius Dei visio facie ad faciem; Theistas vero edocere, quod ad felicitatem æternam sibi comparandam Abraham haud visum fuerit sufficiens, suum cuique mortalium reddere, et mores suos ad præscriptum rationis exigere; qui insuper fide duce et ex amore optimi Dei parentes et patriam deseruit, per gentes et regiones exteras peregrinatus est, et ad filium adeo charissimum immolandum extitit paratissimus; hisce contendens, Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex totis viribus diligere.

Equidem placuit Altissimo successiva evolutio Revelationis de venturo Redemptore, ita ut ADAMO serpentis, mulieris et seminis allegoria; ABRAHAMO, ISAACO et JACOBO iterata Messia et promissio et prædictio sufficeret; Prophetas autem in dies perspicua magis collustraret notitia de legato illo cœlesti, de Reparatore mundi deperditi, de Legislatore populorum, de lumine in revelationem gentium, de salute Israelis, de Sancto Sanctorum, qui deleturus sit terræ iniquitatem, spiritu Dei repleturus orbem terrarum, æternam et justitiam et pacem daturus omnibus hominibus; quos etiam fines ac munia Messia palam omnibus et ubique prædicabant. Attamen omnes Patriarchæ et Prophetæ qua desiderii ac votis, qua vaticiniis, figuris et ceremoniis de Messia abunde testati sunt ad necessariam et de peccato Adæ, et de adventu Reparatoris fidem. Tota certo natio Judaica hac semper spe repleta fuit, quæ tam aliis etiamnum radicibus fixa hæret, ut post septemdecim seculorum durissimam servitutem cum incredibili malorum omnium tolerantia exspectent, qui venturus est, sed qui dudum venit.

Obj. III. Libri Sacræ Scripturæ sunt vitati; cum SS. Patres, IRENEUS, JUSTINUS et HIERONYMUS Judæis ac Hæreticis impingant crimen Scripturæ adulteratæ. Sunt inter illos libri plures deperditi, et plures apocryphi, quos passim omnes aut ignorant aut abjiciunt. Nulla extant amplius Autographa. Apographa, præsertim Hebraica et Græca, non sunt authentica, prout de his fatentur ipsimet orthodoxi. Apographum autem signatum testibus fide dignis in foro fidem facit, cum exemplum apographi quacumque firmatum auctoritate nullius sit ponderis. Latina denique versio a mendis fere sexcentis ac innumeris lectionibus variantibus deformata est. Quæ igitur divinitas Revelationis descriptæ in libris, quorum nulla est authenticitas?

Ita fere LOCKIUS, L. IV. de Intellig. hum. c. 16.

Resp. Apage nœnias Incredulorum contra totius generis humani contestationem! Nonnulla Bibliorum exemplaria ab hæreticis corrupta, et versiones aliquas a Judæis, Aquila, Symmacho et Theodotione male redditas fuisse, conqueruntur Patres: quid paucorum hominum impudentia officiat divinæ Revelationi, aut sacrorum Voluminum substantiæ? Catholicorum exemplaria, ne circa fidem et mores, aut res majoris momenti depravarentur; id cavet Dei Providentia, nec cura Patrum aut Episcoporum unquam permisit. Quantopere cordi fuerit Ecclesiis, ut haberent emendatissimos Codices,

SS. Scripturarum, vel indefessa ORIGENIS et S. HIERONYMI studia satis declarant.

De libris deperditis quis scit, utrum canonici aliquando fuerint, an inspirati divinitus, an non sub aliis nominibus nunc extant in ipsis libris Canonis insertis? Et quis dubitat, iis jam deperditis, sua Canonem V. T. integritate valere, maxime si hi ad illum nunquam spectabant? Numquid sine iis in hodierno Canone elucet Revelationis divinæ, Religionis Judaicæ et Thearchici Regiminis idea omnibus numeris absoluta? Hanc recipiant, hanc venerentur Theistæ, et salva res erit. Quos universalis Ecclesia a divinarum Scripturarum canone excludit, et nos excludimus ceu apocryphos; quin vel minimum decedat Revelationi, cujus divinitas inde magis commendatur. Credat, agat Theista, quæ ex hodierno Canone N. T. credenda et agenda proponit Ecclesia; et certus sit de summa vitæ ac religionis perfectione.

Verum Autographa requiris, Incredule? requiro et ego autographa Sanctorum Patrum, imo Scriptorum profanorum. Si non exhibeas; ex tota antiquitate nullum suscipiam Scriptorum ceu genuinum. En! quo deducant argutiæ Incredulorum. In Apographis nostris idem esse Dei Verbum, quod erat in Autographis consignatum, æque ex constanti ætatum sibi succedentium judicio et testimonio discimus, ac genuinos esse aliorum Scriptorum libros. Qui humano majus testimonium postulat pro authentia Librorum sacrorum, non nobis, sed crucem figit iis, qui Ecclesiam non audiunt. LOCKIUS respondendum, recte constitutum esse, ut non valeat exemplum Apographi, licet valeat ipsum Apographum; non quia certi esse non possumus, quod exemplum sit accurate descriptum, sed quia nulla ratio est, cur non adeatur ipsum instrumentum. Rejici debet testimonium magis remotum, cum aliud minus remotum haberi possit. Sed si aliquo casu instrumentum ipsum primum interiisset, sine dubio Apographum ipsius locum teneret instrumenti, ex quo postea alia Apographa valerent. Sic in Religione tradita, cum vetustate consumpta sunt prima instrumenta, non vetat Regula Juris, quin valeant antiquissima et fide dignissima Apographa, et ex illis nova descripta. De fontibus quam imperita objectio? Ex iis certe omnes Catholici majorem claritatem, elegantiam et energiam in multis hauriunt, iisque ceu fontibus (siquidem extant puri) summam deferunt fidem et venerationem.

Vide hic P. HERM. GOLDHAGEN S. J. *Introduct. P. I. et P. FRANC. WIDDENHOFFER S. J. Sacræ Scripturæ Dogm. et Polem. explicatæ, Tom. I. Wirceburgi, 1753.*

Menda et sphalmata, quæ in Libris sacris occurrunt, levioris momenti sunt, et summam rei seu Religionis Revelatæ, quam lacescunt Theistæ, nequam attingunt; prout MILLIUS et HEINECCIUS exhibent in Bibliis Quadrilinguis. Et sane varietas lectionum adeo nihil officit, ut potius causam nostram juvet. Nam si omnis plane abesset variatio; nonne, qui criminantur omnia, Theistæ dicerent: qui possibile est, per tot secula nec litterulam ullam excidisse, aut mutatam, aut transpositam fuisse, in Codicibus prope innumeris, quales ante inventam Typographiam descripti fuere a librariis nec doctis, nec accuratis? At quomodo placent Theistis TERENTI Comædiæ? Audio exclamantes: o quam purus et integer textus! quamvis plusquam

viginti millia lectionum variantium ex copia Manuscriptorum adnotaverint eruditi.

De his AUGUSTUS NOESSELT § 232... P. HERM. GOLDHAGEN S. J. in Præf. ad Editionem Novi Testamenti Græci, Moguntiae 1753. Ejusdem Introduct. in S. Scripturam, P. I. Sect. II. Q. X.

Obj. IV. Scriptura sacra abundat obscuritatibus, ambiguitatibus, anti-logiis et paradoxis, uli sunt: littera occidit, contingebant omnia in figuris, duplex captivitas, Christus humiliatus usque ad mortem Crucis, Messias triumphans de morte per mortem suam... Sensus item S. Scripturae est mere allegoricus, quo Seculi IV. et V. Scriptores unice usos fuisse, ostendit WOOLSTONUS; non ergo lex certa Religionis esse potest.

RESP. Jam iterum Theistae muscas venantur. Lucem volunt et non tenebras; et non est lux Incredulis, cum fides sit lux vera, quae illuminat. Caliginem et ambiguitatem divinae locutionis incusant, quam dudum SS. Patres, et novi et antiqui Interpretes felici opera dispulerunt. Contradictoriae rea conclamant divina oracula, quae vel non est contradictoria nisi ad speciem, et pridem conciliata; vel salva historiae ac doctrinae veritate permittitur, « ut per hanc ipsa, quae in eis contraria videri possint, multi excæcarentur digne traditi in concupiscentias cordis, et in reprobum sensum, et multi excercerentur ad elimandum pium intellectum »; AUG. L. de *Consensu Evangel.* Res mira, ubi tenebricosos Homeri, Virgilio et Ovidii libros volvunt Naturalistae; summa ubique claritas refulget, quamvis sua de natura et cultu Deorum, uti et de fine hominis sensa nusquam declarent. Ubi vero libros ex omnium consensu vere divinos inspexerint; quantum undique chaos offunditur oculis, sed caecorum!

Quae ceu paradoxa feriunt Theistas, velut in luce posita intuentur fideles, et qua adimpleta, qua illustrata a Christo et ab Apostolis consent assensu fidei dignissima. Duplicem esse sensum S. Scripturae, litteralem et mysticum, semper agnovit Ecclesia: Doctores Ecclesiae, Concilia, et Sancti Patres non raro usi sunt; qui tamen fere omnes (si cum Philone et Origene unum alterumve excipias) litteralem ceu fundamentum ante positum credebant, cui dein pro majori fidelium utilitate sensus allegoricos innectebant. Recte igitur suam Woolstono malam fidem exprobrant ipsi Angli Schmalbrockius et Stackhusius.

Copiose ac eximie de his pertractat P. ALPHONSUS NICOLAI S. J. Dissertationum in S. Scripturam Tom. I. Dissert. I. Florentiae, 1736.

Obj. V. Religio Traditione propagata facile mutatur, facilius vitatur, et cum multae etiam fabulae per manus tradantur, quis veras Traditiones a falsis discernat? Legitimum vix erit testimonium hominum in re tanti momenti, nisi de eorum probitate ac propensionibus constet; sed Judaei testes Revelationis Mosaicae pro gente nimis credula et superstitiosa semper habiti sunt; et Christiani Christianae Revelationis testes sunt in propria causa.

RESP. Multa sane suppetunt exempla, quae probent sacrum quoque textum a depravatione haud esse prorsus immunem. Imo scriptis mandata longe

facilius adulterantur, quam communi Traditioni, hoc est, omnium hominum memoriae credita; quanquam utrumque depravari potest Verbum Scriptum et Traditum, et utrumque certam regulam fallere nesciam desiderat, cujus opera verum ac legitimum a spurio et adulterino discernatur, sine qua neutrum valet ex auctoritate, quam divinae fidei firmitas postularet. Catholicis pro regula tam necessaria est infallibile Ecclesiae judicium, quae assistente Spiritu sancto (qui docet omnem veritatem) et inter Traditiones rite discernit. Sed Heterodoxi, qui Ecclesiam non audiunt, et divinas Traditiones rejiciunt, qua ratione Christianae Revelationis in Libris divinis existentiam Theistis persuadebunt? Quippe mutant hic scenam, et (prout reperi in Protestantis Christianismi vindictis recentioribus) ad hoc praecise dogma de existentia Sacrae Scripturae, ceu fundamentale, requirunt divinam Traditionem. Verum si hanc Protestantium in suis principiis inconstantiam, ac malam coherentiam resciant Theistae; si propter obscuriores divinitatis notas nec Scripturam S. nec Traditionem illam admittant; si Sacrae Scripturae in multis obscuritatem ad oculos exhibeant, cujus illi clarissimam in omnibus lucem mirifice praedicant; dubito plane, quod multos de gente Theistica suae sectae proselytos facturi sint Protestantes.

Pro Traditione Judaica et Christiana stat testimonium universale aut pene universale, cui legitime constituto error omnino et undequaque repugnat; idque secundum veritates illas nobis veluti congenitas: non omnes insaniant homines; in fraudem uno ore consentire omnes non possunt; non sunt omnes mendaces in uno seculo et sinceri in altero; nec universum genus humanum ad decipiendum aliquem conspirat; nec aliquis toti generi humano illudere potest; quibus adde illud CICERONIS: « Commenta enim delet dies ».

§ III. COROLLARIA.

Viguit ergo ab initio mundi, proin ante Mosis tempora, vera Religio, cujus beneficio potuerunt omnes, quod fecere pauci, a vero et recto non deficere. Vel in fabellis Gentilium mundi creatio, diluvium aliaque historiae sanctae capita memorantur. Noverat cum Aegyptiis primus ille PHARAO, manum Dei esse cum JOSEPH, et noverat eum soli Deo vero servire. Vidit, obstupuit et ingemuit Aegyptus ad splendidissima illa Mosis prodigia, atque digitum Dei hic esse, probe cognovit. Rescierunt populi finitimi Israelitarum, et ab his alii, unum a posteris ABRAHAE coli Deum, caeli et terrae conditorem. Percrebuit ubique fama de sapientia et de religione SALOMONIS. Ad Ninivitas missus fuit JONAS; et Babylois diu permixti vixere DANIEL, EZECHIEL et plures alii a Religione celebres viri, quos inter TOBIAS ad filios Israel his verbis usus: *Ideo dispersit vos inter gentes, quae ignorant eum, ut enarretis vos mirabilia ejus; et faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens praeter eum.* Demum versio LXX. Interpretum lectionem SS. Librorum Graecis omnibus aperuit.

Verum quia oculos plerique claudabant, ne viderent lumen; quia arrogantia elati evanuerunt in suis cogitationibus; quia, lege naturae liberrime violata, abierunt post concupiscentias suas; quia, spreto vero Numine, creaturam se ipsis pejorem pro Deo coluerunt; merito subtracta est lux veritatis,

ita ut *Aegyptus* etiam ad tot tantorumque prodigiorum divinam lucem obduresceret magis; et *Philistæi*, quamvis *Dagon* suum ante arcam *Dei Israel* prostratum viderent, nequaquam cessarunt clamare ad invicem: *Confortamini adversus Deum, et estote viri, ne serviamus Hebræis*. Theistæ numquid meliores, quorum tota fortitudo et virile robur in eo est, ne serviant Christo, sed *Dagon*, hoc est idolo rationis suæ, cui vero non tam ipsi serviunt, quam ipsis ratio ad quosvis errores et vitia deservire debet?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS Y SERVICIOS DE INFORMACIÓN



DISSERTATIO V.

DE RELIGIONE PAGANICA.

SECTIO I.

DE ATHEISMO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Athei, fax hominum pessima, Deum a Mundo hoc aspectabili non discernunt: Mundo aseitatem, necessitatem existendi et æternitatem asserunt: Providentiæ Dei substituunt fatum, casum, fortunam cæcamque necessitatem: animam eodem cum corpore interitu perimunt: pro una et summa lege habent propriam utilitatem quacumque ratione procurandam. Hujus Atheismi ævo recentiore professores extiterunt *Benedictus Spinoza*, *Boclainvillierus*, *Joannes Tolandus*, *Lametrius*, nec non *Edelmannus*. Athei minus, quanquam satis impudentes, Deum quidem profitentur, sed qui humana cuncta negligat se solo contentus; ac proin negant attributa divina, cumprimis autem specialem Dei Providentiam, animæ immortalitatem, pœnarum et præmiorum æternitatem; totam vero hominis justitiam quacumque legis naturalis observantia, et felicitatem quacumque affectuum seu passionum tranquillitate ita definiunt, ut non minus ac illi quamvis Religionem pessumdent. Hujus impietatis famosi defensores fuere *Hobbesius* in suo *Leviathan*, et *Bolinsbroeckius* in suis operibus philosophicis.

Equidem homines tam sui, Dei ac Religionis incurii haud digni sunt cura aliena, sed merito suæ vesaniæ ac pervicaciæ relinquendi; tamen quia vera Religio zelatur pro omnium salute, de qua hac in vita nemini est desperandum, admittamur lucis aliquid hisce tenebrarum filiis affundere, ut si velint nostram hanc opellam sincera mente pervolvere, nec cor suum obdurare ad vocem veritatis, deinceps nolint esse increduli, sed fideles.

ita ut Ægyptus etiam ad tot tantorumque prodigiorum divinam lucem obduresceret magis; et Philistæi, quamvis Dagon suum ante arcam Dei Israel prostratum viderent, nequaquam cessarunt clamare ad invicem: *Confortamini adversus Deum, et estote viri, ne serviamus Hebræis*. Theistæ numquid meliores, quorum tota fortitudo et virile robur in eo est, ne serviant Christo, sed Dagon, hoc est idolo rationis suæ, cui vero non tam ipsi serviunt, quam ipsis ratio ad quosvis errores et vitia deservire debet?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



DISSERTATIO V.

DE RELIGIONE PAGANICA.

SECTIO I.

DE ATHEISMO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Athei, fax hominum pessima, Deum a Mundo hoc aspectabili non discernunt: Mundo aseitatem, necessitatem existendi et æternitatem asserunt: Providentiæ Dei substituunt fatum, casum, fortunam cæcamque necessitatem: animam eodem cum corpore interitu perimunt: pro una et summa lege habent propriam utilitatem quacumque ratione procurandam. Hujus Atheismi ævo recentiore professores extiterunt BENEDICTUS SPINOZA, BOULAINVILLIERUS, JOANNES TOLANDUS, LAMETRIUS, nec non EDELMANNUS. Athei minus, quanquam satis impudentes, Deum quidem profitentur, sed qui humana cuncta negligat se solo contentus; ac proin negant attributa divina, cumprimis autem specialem Dei Providentiam, animæ immortalitatem, pœnarum et præmiorum æternitatem; totam vero hominis justitiam quacumque legis naturalis observantia, et felicitatem quacumque affectuum seu passionum tranquillitate ita definiunt, ut non minus ac illi quamvis Religionem pessumdent. Hujus impietatis famosi defensores fuere HOBBS in suo Leviathan, et BOLINGBROEK in suis operibus philosophicis.

Equidem homines tam sui, Dei ac Religionis incurii haud digni sunt cura aliena, sed merito suæ vesaniæ ac pervicaciæ relinquendi; tamen quia vera Religio zelatur pro omnium salute, de qua hac in vita nemini est desperandum, admittamur lucis aliquid hisce tenebrarum filiis affundere, ut si velint nostram hanc opellam sincera mente pervolvere, nec cor suum obdurare ad vocem veritatis, deinceps nolint esse increduli, sed fideles.

§ II. THEMATA.

I. Atheismo, siquidem datur, nihil sceleratius in Deum et homines.

PROBATIO. Impius est, qui dicit, hoc est, optat in corde suo, non esse Deum; cum tamen mens persuadeat, Deum esse; vitium enim cordis, non mentis est Atheismus illorum, qui Deum suum Conditorum, quem tota natura prædicat, cælo exturbare, atque annihilare contendunt, ut ne, quem vitæ sceleratæ testem habuerunt, vindicem sentiant et punitorem. Impius est, qui summum rerum omnium opificem a quo omnis homo libertate et intelligendi facultate instructus est ad agnitionem et cultum Dei, ceu Non Ens ridet ac exsultat, ut eo liberitus summam illam Majestatem quavis impietate lacessat. Impius est, qui Dei (a quo non alia de causa mortalium animis impressus est inextinguibilis nisus ad summam beatitudinem, ac quod voluerit Deus eos tanti boni reddere participes) existentiam intrepide negat, idque in plena luce Evangelii. Impius est, qui ex aliorum quoque animis insitam naturæ humanæ agnitionem Numinis (quæ nulla arte, nulla præfocari industria possit) eradicare nititur, sicque hominibus etiam corruptissimis aut atheisticam Irreligionem, aut improbitatem Hobbesianam reddat intolerabilem. Impius est, qui in profundum malitiæ, excæcationis ac obdurationis eoque immersus est, ut nec ratio, nec natura, nec militia cæli, nec totius, quoque versus diffunditur, naturæ spectaculum, nec bonorum monita, exempla et præmia, nec malorum supplicia et interitus, nec cælum, nec terra, nec infernus dimovere queant.

Ne igitur oleum et operam ego perderem, plus mihi in animo est ac fuit ab initio harum Dissertationum, eos qui de Supremo Numine bene sentiunt, hisce confirmare.

Improbitas atheistica eo detestanda magis, quod sit humanæ Reipublicæ perniciosissima. Gens quippe athea præfractæ negat ac pernegat, quidquid commentis suis adversatur, quamvis Seculorum ac Gentium consensione firmatum; statim ergo tibi e re sua esse judicaverit, negabit eos, qui præsumunt Principes, legitime præesse; negabit obtemperandum legibus seu præcipientibus seu prohibentibus; negabit pervicacissime omnia, quæ ad Deum, ad cultum Dei, ad potestatem Imperantium (quæ est a Deo) ad obedientiam subditorum, ad quævis humanæ societatis officia pertinent. Horum enim multa pendent a primoribus factis, quæ certius non constant, quam quæ hactenus a nobis pro Dei existentia et pro Dei locutione protulimus. His adde, quæ supra demonstravimus de necessitate Religionis, sine qua non est vera honestas, nulla salus Reipublicæ, nulla Principum securitas, ita ut, quotquot sunt sine Deo et sine Religione rebelles Numini cives, tot sint metuendæ pestes humanæ societatis.

II. Atheistarum uti summa est impietas, sic et vesania summa est.

PROBATIO. Hodierni Increduli sic fere ratiocinantur: nescio, quis mei sit conditor; quid et unde sit mundus; quid corpus et quid corporis sensus; quid anima, quid ego ipse sim, nescio; nescio, unde veniam, et quo vadam, nescio;

hoc scio unum, quod sit moriendum, adeoque decidendum vel in nihilum, vel ut putant alii, in statum felicitatis aut infelicitatis æternæ; inter quæ nihil jam mediat, nisi vita brevis et fragilis. Quapropter vivam brevi hoc tempore sine cura et metu futurorum, quæ non apparent; cum quieta oblivione præteritorum, quæ nunc disparent; in jucunda fruitione præsentium, quæ comparent; ne casu, quo verum sit, Incredulos post hanc vitam æternum fore miseros, et hinc et illinc miser esse cogar. Quam detestanda hominum deliria, qui cum alii sint in aliis omnibus, et quævis minima anxie prospiciant ac pertimescant, imo dies noctesque velut rabidi transigant ob dispendium muneris, aut ob læsionem honoris; divina, cœlestia et æterna nec serio cogitent, nec curent, nec sperent, nec formident!

Detentus carcere reus post horæ spatium capitis damnabitur: rescire horam et feralem evitare sententiam potest; sed ludendo ac jocando et tempus perdit et vitam. Quid tibi videtur, Incredule? ringeris præ ira et spumans in illum detonas, vesanum caput! Et tu stolido hoc reo longe stolidior es: non enim de hac vita brevi et misera, sed de vita et morte æterna agitur; et rides, et ludis, et ruis, quo minime reris, momento temporis in abyssum miseriarum, incurris, dum viveres, Dei, Religionis, salutis et interitus sempiterni. Profecto gloriosum veræ Religionis, quod tam vesanos homines suos habeat inimicos, qui veritatem Religionis sua vesania stabiliunt magis, quam enervent.

Docet Religio naturæ depravationem, et depravatæ reparationem per Christum; hanc quidem negant Impii, sed illam multoties suis deliriis contestantur: quid enim depravatum magis, quam obstinate dubitare de iis, quorum notitia summe necessaria commode haberi potest? quid summam spiritus imbecillitatem prodit magis, quam non cognoscere, quanta sit hominis miseria sine Dei et Religionis cultu et cognitione? quæ inertia et cordis abjectio magis propudiosa, quam exoptare, ut non sint promissiones divinæ ac æternæ; ut non sit Deus summum et infinitum bonum, cui soli suavitas tam antiqua, tam nova, quæ satiet semper, nauseam creet nunquam, propria est? quæ tandem vesania hominum maxima, qui sapere supra homines ambiunt, eoque desipere, ut semetipsos plantis æquiparent, quæ brevi flaccescunt? aut machinæ fragili, quæ casu quovis corrui? aut certe vilissimis animantibus, quibuscum mori exoptant, ut vivere cum illis impune liceat sine Deo, sine Religione, sine ratione, sine humanitate, sine spe æternorum? dum contra, qui Deum agnoscunt et colunt, Deum habeant pro suo auctore, objecto, fine et præmio sempiterno.

Obj. I. Chaos est infinitum, quod Deum separat ab homine; cum ergo hominis finita ratio suadere nihil possit in tanta distantia, ego ne vel asseverando vel inficiando, Deum esse, agam male; media tutissimus incedam, asseverando nihil.

Resp. Cum et ratio totius universi vocibus excita invicte probet, et fides superno lumine collustrata certissime edoceat, quod et quid sit Deus, quantum ad salutem satis et necessum sit; jam non asseverare, quod sit Deus, et asseverare, quod non sit Deus, eundem habet reatum stultitiæ, perfidiæ ac damnationis. Attamen (seposita tantisper Revelatione utraque tam naturali, quam supernaturali) quid lucraris Impie, credendo esse Deum, si est Deus?

et quid deperdis itidem credendo, Deum esse, si non est Deus? Si est Deus; lucraris omnia: si non est; nihil deperdis. Igitur cum asseverandum est aliquid, ne si est, quod discredis, perdas omnia; absque ulla hæsitacione, quod sit, asseverandum est. Ludis adhuc et dicis, periculum lucri et dispendii haud esse æquale, cum incertum sit, an lucreris, certum autem sit periculum non lucrandi? at tibimet pessime illudis: nonne enim omnis, qui ludit, exponit certum pro incerto, quin eum temeritatis arguas? Adde, si vis, certissima testimonia Sacrarum Scripturarum, atque alia veræ Religionis firmissima argumenta, quæ de lucro vitæ supernaturalis ac æternæ beatæ certiozem te reddent, quam sis certus de tua vita naturali.

Obj. II. Deus solummodo notus est per suas operationes; de quibus non constat nisi ab experientia; ab hac experientia progredi ad asserendam Dei existentiam, modus est plane insolitus, nempe causam ab effectis demonstrandi.

Ita HUMUS, *Essais philosophiques sur l'entendement humain.*

RESP. Nescit HUMUS, aut renuit scire, quod et quantis argumentis Christianus philosophus Dei existentiam evincat; non quidem ex solis operationibus, sed ex sensu etiam intimo, ex persuasione naturali, ex contingentia omnium entium, ex possibilitate et existentia Entis Necessarii? Adeat ergo quamvis invitus præstantissimos scriptores orthodoxos et heterodoxos, ut sciat tandem, quam vere Philosophia ab effectis visibilibus ad causæ invisibilis existentiam progrediatur. Si quem ista nihil admodum moveant, ut impiissimis scriptis identidem invadat Entis supremi existentiam: næ is mihi homine infideli deterior sit, cum adeo a Mahumetanis Summa D. Thomæ, eo quod hanc præseferat quæstionem (an Deus sit? videtur, quod non...) combusta dicatur.

Sunt vero contra atheisticam Irreligionem opera præstantissima: P. MAUBERT, *Traité de la Religion contre les Athées...* FENELON, *Démonstration de l'existence de Dieu...* Expositio P. BUFFIER, et Demonstratio P. LE FEBRE S. J. ... RICHARDI BENTLEY Stultitia et irrationabilitas Atheismi, 1696... GILBERTI BURNETI, *Extrait des Ecrits publiés pour fondation de M. Boyle.*

Obj. III. Verius refunditur omnis sensus Numinis in versutiam Legislatorum, qui cum intelligerent fore, ut multo facilius in officio erga Magistratus continerentur cives, si Deum esse putarent; vitia illa naturæ, pavorem et ignorantiam sollicite foverunt, feceruntque semina Religionis.

Hanc veterum Atheorum mentem expressit PLATO L. X. de Leg. Iude HOBESIIUS ex sua et recentiorum Atheorum sententia Religionem ac superstitionem sic definiit: «Metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ publice, Religio est: si publice acceptæ non sint, superstitio».

RESP. Quod Legislatores ad unum omnes usi sint Religione ad continendos cives; id non juvat Atheos, quia ita agere debuissent, si naturalis fuit in hominibus Numinis sensus. Quod versutia Legislatorum Religionem in

id primitus excogitaverit; quæstio facti est exemplis confirmanda, quod nullum habent Athei. Quod civitas quævis Deos proprios habuerit; id non est profectum ex diversa indole Legislatorum, qui summi viri fuerunt, et a vulgi imperitia ac stupore multum distantes; sed ex levitate multitudinis, quæ præter communem omnium parentem suos habere voluit Deos indigenas, locales, gentilitios et tutelares; cui populari ingenio morem gerere coacti sunt præstantissimi Philosophi, et summi Legislatores.

Si legibus aut institutis introducta fuit de Deo opinio, cur ea non minus viguit apud barbaras gentes, quæ carent omni cultu civili? cur, quæ hominibus molesta supponitur Deorum Religio, tam facile omnium animos occupavit? cur docti etiam et sapientes, Reges et magistratus vanis somniis deludi se patiuntur, et necdum illud veterum Regum et Sapientum arcuum detexerunt? cur cæteris opinionibus fictis et vanis diuturnitate extabescentibus, hæc de Deo opinio stabilis permansit, et cum seculis hominumque ætatibus inveterata? Qui factum denique, ut cum fraudem a tot seculis Athei detexerint, hominesque admonuerint; tanta tamen sit hominum in errore isto perversitas, ut Magistros Atheos irrideant, exhorreant, et salutarem illorum doctrinam indignati aspernentur?

Plura CUDWORT in system. Intellect. GENUENSIS in Dissert. de Natura Dei...

SECTIO II.

DE PYRRHONISMO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Atheis haud absimiles Sceptici ac Pyrrhonici, qui uti de omnibus aliis, ita quoque de existentia et providentia Dei, et vel maxime de animæ immortalitate ac æternitate pœnarum sic dubitant, ut vel captui humano hæc omnia plane impervia, vel illorum fidem tamdiu suspendendam esse dicant, donec aliquando lumen hominum mentibus illuxerit, quo illustratus homo et humana et divina comprehendat. Qui vesanus Scepticorum dubitantismus quod nihilo melior sit impietate atheistica, sat produunt infames sequelæ, quæ cultum et fidem divinam, morum honestatem, vitæ sanctitatem, et veram hominis felicitatem neglectui ac contemptui exponunt æque ac Atheismus. Illud vero improbitatis præcipuum caput est, quod ex ipsa Revelationis necessitate a nobis hætenus asserta inferre audeant suum aut Pyrrhonismum aut Atheismum. Hoc itaque mendacium refellendum est, et stabilita jamdum Existentia et Providentia Dei, ea hic loci vindicanda restant, quæ ad munus divinæ Providentiæ cumprimis attinent; videlicet decerni a supremo legislatore justis post hanc vitam præmia, injustis supplicia eaque æterna, ac proin animam post fata hominis superstitem vereque immortalem esse.

et quid deperdis itidem credendo, Deum esse, si non est Deus? Si est Deus; lucraris omnia: si non est; nihil deperdis. Igitur cum asseverandum est aliquid, ne si est, quod discredis, perdas omnia; absque ulla hæsitacione, quod sit, asseverandum est. Ludis adhuc et dicis, periculum lucri et dispendii haud esse æquale, cum incertum sit, an lucreris, certum autem sit periculum non lucrandi? at tibimet pessime illudis: nonne enim omnis, qui ludit, exponit certum pro incerto, quin eum temeritatis arguas? Adde, si vis, certissima testimonia Sacrarum Scripturarum, atque alia veræ Religionis firmissima argumenta, quæ de lucro vitæ supernaturalis ac æternæ beatæ certiorē te reddent, quam sis certus de tua vita naturali.

Obj. II. Deus solummodo notus est per suas operationes; de quibus non constat nisi ab experientia; ab hac experientia progredi ad asserendam Dei existentiam, modus est plane insolitus, nempe causam ab effectis demonstrandi.

Ita HUMUS, *Essais philosophiques sur l'entendement humain.*

RESP. Nescit HUMUS, aut renuit scire, quod et quantis argumentis Christianus philosophus Dei existentiam evincat; non quidem ex solis operationibus, sed ex sensu etiam intimo, ex persuasionē naturali, ex contingentia omnium entium, ex possibilitate et existentia Entis Necessarii? Adeat ergo quamvis invitus præstantissimos scriptores orthodoxos et heterodoxos, ut sciat tandem, quam vere Philosophia ab effectis visibilibus ad causæ invisibilis existentiam progrediatur. Si quem ista nihil admodum moveant, ut impiissimis scriptis identidem invadat Entis supremi existentiam: næ is mihi homine infideli deterior sit, cum adeo a Mahumetanis Summa D. Thomæ, eo quod hanc præseferat quæstionem (an Deus sit? videtur, quod non...) combusta dicatur.

Sunt vero contra atheisticam Irreligionem opera præstantissima: P. MAUDUIT, *Traité de la Religion contre les Athées...* FENELON, *Démonstration de l'existence de Dieu...* Expositio P. BUFFIER, et Demonstratio P. LE FEBRE S. J... RICHARDI BENTLEY Stultitia et irrationabilitas Atheismi, 1696... GILBERTI BURNETI, *Extrait des Ecrits publiés pour fondation de M. Boyle.*

Obj. III. Verius refunditur omnis sensus Numinis in versutiam Legislatorum, qui cum intelligerent fore, ut multo facilius in officio erga Magistratus continerentur cives, si Deum esse putarent; vitia illa naturæ, pavorem et ignorantiam sollicite foverunt, feceruntque semina Religionis.

Hanc veterum Atheorum mentem expressit PLATO L. X. de Leg. Iude HOBESIIUS ex sua et recentiorum Atheorum sententia Religionem ac superstitionem sic definiit: «Metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ publice, Religio est: si publice acceptæ non sint, superstitio».

RESP. Quod Legislatores ad unum omnes usi sint Religione ad continendos cives; id non juvat Atheos, quia ita agere debuissent, si naturalis fuit in hominibus Numinis sensus. Quod versutia Legislatorum Religionem in

id primitus excogitaverit; quæstio facti est exemplis confirmanda, quod nullum habent Athei. Quod civitas quævis Deos proprios habuerit; id non est profectum ex diversa indole Legislatorum, qui summi viri fuerunt, et a vulgi imperitia ac stupore multum distantes; sed ex levitate multitudinis, quæ præter communem omnium parentem suos habere voluit Deos indigenas, locales, gentilitios et tutelares; cui populari ingenio morem gerere coacti sunt præstantissimi Philosophi, et summi Legislatores.

Si legibus aut institutis introducta fuit de Deo opinio, cur ea non minus viguit apud barbaras gentes, quæ carent omni cultu civili? cur, quæ hominibus molesta supponitur Deorum Religio, tam facile omnium animos occupavit? cur docti etiam et sapientes, Reges et magistratus vanis somniis deludi se patiuntur, et necdum illud veterum Regum et Sapientum arcuum detexerunt? cur cæteris opinionibus fictis et vanis diuturnitate extabescentibus, hæc de Deo opinio stabilis permansit, et cum seculis hominumque ætatibus inveterata? Qui factum denique, ut cum fraudem a tot seculis Athei detexerint, hominesque admonuerint; tanta tamen sit hominum in errore isto perversitas, ut Magistros Atheos irrideant, exhorreant, et salutarem illorum doctrinam indignati aspernentur?

Plura CUDWORT in system. Intellect. GENUENSIS in Dissert. de Natura Dei...

SECTIO II.

DE PYRRHONISMO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Atheis haud absimiles Sceptici ac Pyrrhonic, qui uti de omnibus aliis, ita quoque de existentia et providentia Dei, et vel maxime de animæ immortalitate ac æternitate pœnarum sic dubitant, ut vel captui humano hæc omnia plane impervia, vel illorum fidem tamdiu suspendendam esse dicant, donec aliquando lumen hominum mentibus illuxerit, quo illustratus homo et humana et divina comprehendat. Qui vesanus Scepticorum dubitantismus quod nihilo melior sit impietate atheistica, sat produunt infames sequelæ, quæ cultum et fidem divinam, morum honestatem, vitæ sanctitatem, et veram hominis felicitatem neglectui ac contemptui exponunt æque ac Atheismus. Illud vero improbitatis præcipuum caput est, quod ex ipsa Revelationis necessitate a nobis hætenus asserta inferre audeant suum aut Pyrrhonismum aut Atheismum. Hoc itaque mendacium refellendum est, et stabilita jamdum Existentia et Providentia Dei, ea hic loci vindicanda restant, quæ ad munus divinæ Providentiæ cumprimis attinent; videlicet decerni a supremo legislatore justis post hanc vitam præmia, injustis supplicia eaque æterna, ac proin animam post fata hominis superstitem vereque immortalem esse.

Duces hae in legione Incredulorum fuere BAYLIUS in diversis opusculis, *Dictionnaire historique et critique, Pensées diverses sur les comètes, Réponse aux questions d'un Provincial*; VOLTAIRE *Dictionnaire philos. portatif*; Auctor libri, *de la Nature*; COLLINSIUS in libro *de libertate cogitandi*, ROBINETUS, HUMIUS.

§ II. THEMATA.

I. *Mendacium est pulcherrimum, quod Revelationis necessitas sit causa Pyrrhonismi.*

PROBATIO. En fallaces et futes Pyrrhonorum argutias : necessaria est revelatio, eo quod ratio haud sufficiat in iis, quae ad Deum et mores pertinent; si autem ratio in his, multo magis in aliis errori obnoxia erit; igitur de omnibus dubitandum, ut atheus illi (qui urget, ut credat Deum existere) non abs re dicat: ut quid esse Deum firmissime teneam, ad cuius cognitionem non nisi fallacis rationis ope assurgere possum? Dicam ergo iterum, quod saepe dixi, ut si non velit semper et in omnibus desipere incredulus, sapiat tandem et capiat, quid valeat ratio, quid non valeat, et cur necessario Rationi Revelatio ferat suppetias.

Ratio sat potens est contra Pyrrhonismum, quia naturae totius voce excita evidenter certissimeque docet, existere Ens necessarium, sapientissimum ac perfectissimum, hujus mundi Auctorem, Rectorem ac Moderatorem naturae rationalis sanctissimum aequae ac justissimum. Attamen nimis etiam infirma est sola ratio contra Pyrrhonismum, cum aliquanto plus progressa multoties haeserit etiam inter Philosophiae principes et patres Sectarum. Quippe dubitavit aliquamdiu ratio illorum, an non summus ille Deus cultum suae creaturae dedignetur. Id cum detexit, dubitatum, an quid poenae iis immineat, qui neglecto Deo haerent in corporeis. Dubitat, an post mortem plectatur reus aeterno cruciatu. Dubitat, an haec vel illa actio, fornicatio vel mollities, rectam rationem et in ipsa Deum offendant. Quamvis ergo multum valeat ratio saltem in iis, qui sunt vel perspicacioris ingenii, vel animi purioris, ad detegenda quaedam primaria hominis officia, ad fundamentalia quaedam morum et Religionis principia, et praepriis ad necessitatem Revelationis cognoscendam; tamen ad omnia non sufficit, prout tum veterum Philosophorum, tum hodiernorum Theistarum exemplo et agendi ratione comprobatur.

Cum insuper neque futurum sit, ut pueri, plebei, ac tenuioris ingenii homines (qui tertiam et eo plus partem mundi constituunt) sola rationis ope cultum Dei legitimum, vitii et virtutis distantiam, atque saniora purioris Ethicae principia detegant; neque ut haec certo addiscant a Philosophis, tum ob defectum auctoritatis legislativae, tum ob perpetuas eorundem dissensiones; quid pronum magis, quam inferre necessitatem Revelationis? quid falsum magis, quam necessitatem istam accusare ceu viam ad Pyrrhonismum, cuius illa caecitatem depellit, frangit pervicaciam, vesaniam confundit, et ceu praecipuum Dei munus naturae ac rationis humanae imbecillitati summopere opitulatur?

Quippe totis viribus adlaborant increduli, ut dubio subjiciant id omne, quod metuunt, prout arcanum hoc prodidit LUCRETIVS, quo teste timor po-

tius sustulisse Deos, quam fecisse videtur. Decetne autem sapientem, metuere ac horrere parentem naturae, auctorem gratiae, fontem vitae aeternae? Decetne philosophum, sensum immortalitatis ac aeternitatis, quem natura indidit, extirpare? Equidem id paucis aut nullis contingere fatentur scholae Magistri EPICURUS et LUCRETIVS. Si autem feliciter succederet, quis foret quaestus? praecclarum hoc adepti erunt, quod credant, se totos esse in aeternum perituros; quid ista res laetabile habet aut gloriosum, et quid non habet exitiale? Nam publice recepta communem, privatim admissa privatam certissime operatur ruinam. Quis erit hujus philosophiae fructus post mortem? si Deus nullus sit, nec caelum, nec infernus; bene est: sed si forte sit aliquis mundi Rector, arbiter et censor humanarum actionum...?

Hunc Pyrrhonismum festive explosum exhibet: le BARON VAN HESDEN, *ou la République des incrédules, Toulouse, 1762.*

II. *Pyrrhonismus circa animae immortalitatem et poenarum aeternitatem a tota Antiquitate exploditur.*

PROBATIO. Animam hominis post hanc vitam esse superstitem, fore post mortem hominis iudicium, praemia et supplicia, esse infernum et paradysum, et in utroque vel gaudia vel tormenta sempiterna; gentes universae, Hebraei, Aegyptii, Chaldaei, Indi, Persae, Getae, Galli, Graeci, Romani, quin et genus omne Philosophorum pro compertis semper habuerunt. De GALLIS veteribus Caius Caesar L. VI. Bell. Gall. testatur: « Et hi et cum his alii interitus expertes dicunt animas ». De AEGYPTIIS Herodotus in Euterpe: « Dogma illorum est morte carere animas ». De THRACIBUS Solinus C. 10. « Nonnulli putant obeuntium animas reverfi, alii, non extingui, sed beatas magis fieri ». INDI Brachmanes, teste Strabone L. XV. « Mortem aiebant esse partum ad eam vitam, quae vere vita est planeque beata iis, qui sapientiam sectati fuerint ». Cum his vero omnes consentiunt, qui hodie sunt terrae incolae, Mexicani, Peruviani, Brasilienses... Demum si specimen naturae cujuslibet a natura optima sumendum est, uti possumus praecclarissimis ingenii et summis Philosophis in omni gente, CONFUCIO, ZOROASTRE, SOCRATE, innumerisque aliis, quorum extant gravissimae haec de re sententiae.

PLUTARCHUS apud Steuchum L. X. « Est, inquit, providentia, idque veris apparet exemplis; haec docet animos immortales, hos post mortem remanentes manere vel coronas vel supplicia; ea enim est ratio, cur providentia inducat immortalitatem animorum, ne vel probitas contempta jaceat (contemnitur autem in hac vita) vel improbitas triumphet impunis ». Idem testatur C. 27., HOMERUM, PINDARUM, SOPHOCLEM praecclarissimos Poetas de poenis inferorum scripsisse. C. 28. describit locum iis suppliciis destinatum; tum recenset virorum sapientum sententias imprimis JAMBlici, et hic refert doctrinam PYTHAGORAE de poenis inferorum, TULLI quoque testimonium: « Illi impii, quos cecidistis, etiam ad inferos poenas parricidii luent ». PLATO L. V. « Accipe, quod aiunt, egregiam praecclaramque narrationem. Qui juste sancteque vixisset, eum post obitum ad beatorum insulas profectum in omni felicitate degere malis omnibus liberatum; qui vero scelerate et impie, hunc in supplicii poenarumque carcerem, quem Tartarum appellant, descendere,

Deinde toto apparatu nudatos iudicium subire oportebit, utpote quod jam mortui subituri sunt. Hæc ego, mi Callicles, quæ auditione accepi, vera esse credo ». Et L. XI. « Verum hoc in genere cum aliis, quæ hac de re ex omni memoria celebrantur, habenda fides, tum legislatoribus, etiam ita statuentibus, nisi eos amentes omnino esse velis ». Idem in Dialogo de anima : « Animus igitur ille noster hoc statu si discedat, ad illud continuo se se recipiet, quod affine sibi est, divinum quiddam utique, immortale simul ac sapiens, quo cum pervenerit, tum demum felix esse incipit, ab errore, inscitia, insanis amoribus ac reliqua morborum humanorum contagione liberatus ». PORPHYRIUS L. I. ad Boeth. « Utrum, inquit, immortalis sit animus, omnique interitu superior?..... quorsum alias ejus immortalitati probandæ rationes exquiras, ac non potius istam sat esse censeas, quod nimirum Deo similes agendi vires accepissent nunquam, nisi esset ipse divinus ». Unde et PLATONICI nullum peccatum a pœna immune esse posse dixerunt, sed vel in hac vita plectendum, vel post mortem expiandum esse; de quo testatur S. AUG. L. XXI. de Civ. C. 13. ibidem recitans illos VIRGILII versus :

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendant; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Etiam de resurrectione corporum iidem fere testantur, quam in rem præclare disputat ATHENAGORAS, Tom. II. Biblioth. PP. edit. Lugdun. 1677.

Nec minus de æternitate suppliciorum testatur communis sensus: PLATO L. X. de Republ. narrat, quemdam duodecimo a morte die revixisse, atque inter cætera narrasse, a se visum fuisse Arideum tyrannum Pamphylia, aliosque in carcere conclusos sine spe exeundi; quam quidem narrationem refert S. JUSTINUS in parenesi ad Græcos. Idem, Dialogo de anima, fabulis vera miscens ait: « Qui propter scelorum atrocitatem locum remedio nullum reliquisse videtur..... hos vero digna plane sors in Tartarum, unde non emergant, præcipites agit..... qui autem Philosophiæ opera expiati omnino purgatique discesserint; si non modo sine molestiis ævo sempiterno vivunt, sed etiam in domicilia nobiliora perveniunt, quæ nec verbis describere facile sit, nec per tempus commemorare jam licet ». Idem sensisse PYTHAGORAM, multis exhibet Reuchlinus de art. Cabal. L. II. PLUTARCHUS in Libro (an recte dictum, latenter est vivendum) « Tertia, ait, via est eorum, qui impie et flagitiose vixerunt, quæ animas in orcum et voraginem detrudit..... oblivione in fluvium illum illætabilem abripiens, inque abyssum demergens ». SENECA in Hippol. « Non unquam amplius convexa tetigit supera, qui merus semel adiit silentem nocte perpetua domum ».

Quod eidem dogmati olim consenserint JUDÆI, constat ex L. Midras Tehilim; ex Josephi testimonio, et ex Bartoloccio Rabbino inter Talmudistas eruditissimo. De GRÆCIS testatur ex Platone Huetius; de ROMANIS Montfauconius; de ÆGYPTIIS Diodorus Siculus; de INDIS Strabo; et de MAHOMETANIS, saltem quoad infideles, Classenius et Huetius. De sensu CHRISTIANORUM inde a primis Ecclesiæ seculis testatur S. AUG. L. de hæc C. 43. quod sententia Origenis de finiendis impiorum suppliciis in censum veniat illorum dogma-

tum, « quæ Catholica Ecclesia omnino non recipit; quis enim Catholicus Christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eam, quam ORIGENES dicit purgationem malorum »? Alibi: « Origenem et propter hoc.... non immerito reprobavit Ecclesia ». Atque hunc Origenis errorem tot jam seculis consepultum (quo nemo unus istud fidei dogma hucusque impugnavit) ex ore hodieum revocant ævi nostri increduli. Contra quos ex pagano- rum testimoniis eodem fere modo decertandum, quo SS. Patres et Apologetæ Christiani gentiles olim Sophistas refellebant.

Sic THEOPHILUS ANTIOCH. L. II. ad Autol. fidem ultimi iudicii adstruit ex ipsa hac sententia ab Homero asserta: « credere iudicium futurum etiam illi, qui negabant, post mortem esse sensum ». Homerus quidem dixit: « anima instar somnii avolabit..... anima ex membris avolans ad inferos descendit..... sepelire me, ut quamprimum portas Plutonis transeam ». ANNOBIUS L. II. cont. Gent. « audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisque cognovimus. Quid Plato idem vester in eo volumine, quod de animæ immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluvios et Periphlegetontem nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? » TERTULLIANUS in Apolog. c. 47. « Ridemur Deum prædicantes iudicaturum: Sic enim et Poetæ et Philosophi tribunal apud inferos ponunt; et gehennam si comminentur, quæ est ignis arcani subterraneus ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur; sic enim et Periphlegeton apud mortuos amnis est..... unde hæc, oro vos, Philosophis aut Poetis tam consimilia? non nisi de nostris sacramentis: si de nostris sacramentis, ut de prioribus; ergo fideliora sunt nostra, magisque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt ».

III. Immortalitas animæ ceu indubitata veritas solidissimis contra Pyrrhonismum argumentis vindicatur.

PROBATIO. In gubernatione spirituum magis, quam in quavis alia re agnoscendus est Rector mundi sapiens, parens bonus, æquus sanctusque iudex; ergo cum ne corpora quidem per mortem hominis illico resolvantur in elementa, certe anima dissoluto corpore saltem aliquamdiu superstes erit. Si vero superstes est; suas haud dubie functiones peragit, intellectiones ac volitiones, quibus suam anima justæ mercedem, et suam anima injusti pœnam recipiat, seu virtutibus, seu flagitiis a vita reliquis debita. Sin, decedet sapientiæ divini Legislatoris, quod efficaci suarum legum observantiæ non prospexerit, quarum infractorem pari loco habens cum observatore effecit, ut ille magis ac magis recedat a lege, quæ difficile impletur, et impune negligitur; hic vero pœnalem simul et infructuosam legem abiciat. Decedet bonitati divinæ, sine qua nulla majestas est, eo quod leges tulerit nullo modo efficientes suarum creaturarum felicitatem; siquidem religiosi propter pietatem in Deum (quæ sæpe ad ærumnas ducit et miseras) infelices erunt, improbis propter impietatem suas in hac vita utilitates consecutis. Decedet justitiæ Dei, cujus est, justos hac in vita partim intus scrupulis et tentationibus, partim exterius magnis sæpe calamitatibus ac potentum injuriis ad

extremum usque spiritum excruciatos in altera vita reficere, quia *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiles sumus omnibus hominibus*, ait APOSTOLUS 1. Corinth. XV. 19. Contra vero injustos, quibus per omnem vitam id unum curæ fuerat, ut per fas et nefas genio ac voluptate indulgerent, bonisque omnibus affluerent, plectere in futuro seculo; idque ad ipsam naturæ vocem, quam exhibent illa ad divitem Epulonem Abrahæ verba: *fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Luc. XVI. 25.

Si vero aliquamdiu, eecur non perpetuo duret post mortem anima ceu substantia, quæ ab intrinseco dissolvi non potest, et ab extrinseco dissolvi non debet? Creaturæ non nisi dissolvendo rem in partes destruunt, quas simplex et spiritualis anima nullas habet. A Deo autem quamvis in originarium nihilum redigi posset, tamen cum ex unanimi consensu Philosophorum inde ab ortu mundi nullam vel atomum in nihilum Deus redegerit: quæ sit Deo causa, nobilissimam sui imaginem (quam cum germine immortalitatis ipse condidit) redigendi in nihilum? Illam hominis animam, quæ aliarum rerum existentie nil obturbat; et finem quo creata est, semper retinet cum invicta beatitudinis cupidine, quam cum non frustra dedit Deus (qui nihil operatur frustra), profecto non ad interitum animam condidit, sed ad illius jugiter expetitæ felicitatis possessionem. Tenetur anima rationalis Deum diligere totis viribus et super omnia, etiam cum dispendio omnium bonorum hujus vite; quidni bona sua et felicitatem æternam suis Deus amicis ac filiis communicet, sed parum cum brutis interitum, ita ut, si non sit spes æternorum, natura rationalis brutorum conditione multo sit deterior? Optant et student mortalium plerique, ut nomen suum etiam post obitum proferant ac gloriosum transcribant posteritati; quidni natura rationalis anhelet magis veram nominis gloriam eamque in cælis immortalam? Dedit Deus homini cor irrequietum, donec requiescat in Deo, tanquam in possessione summi boni; eecur Deus, cum possit, eam animæ capacitatem, innatamque cupidinem adeo non expleat, ut prius animam, quam corpus in nihilum redigat?

Proh! qualem Deum sibi fingunt Increduli? videlicet Principem, qui egenum quempiam hodie de terra suscitet, opibus, nobilitate, ac prope regia instruat dignitate, jubeatque a suis aulicis æque ac a plebe eum suppliciter honorari; sed ut eundem cras annihilent. Deum, inquam, qui creet animas, quæ nulla in terris creatura nobilior, nulla ad Numinis representationem splendidior, nulla dominatu in cætera creata potentior, nulla totius fere mundi fruitione beatior; ut illas, dum homo brevi vixit tempore multis repletus miseris, interimat et annihilent.

Adi hic opera Philosophica FENELON, P. I. n. 23. *Dissertationes de præcipuis Religionis Fundamentis*, Q. 11. p. 209. *Traité sur la spiritualité et l'immortalité de l'âme*, auctore R. P. Huberto HAYER. Item novissimam editionem Psychologiæ P. Sigism. STORCHENAU S. J. Viennæ 1769.

IV. *Pœnarum æternitas momentis pariter gravissimis fulcitur contra eosdem Incredulos.*

PROBATIO. Homo, qui gravi offensa lædit æternum Numen, in eaque decedit non expiata, in eum se statum liberrime coniecit, in quo gratia et charitate spoliatus, nunquam se eximere potest a reatu, quem contraxit et culpæ et pœnæ. Delinquendo graviter omnem suum amorem et finem ultimum reposuit in creatura, propudiose contempto creatore, in quo uno vera felicitas est. Conversus ad creaturas, et aversus a Deo per lethale crimen sponte renuntiavit divinæ amicitie, filii adoptivi juribus, regniq; cælestis promissæ hæreditati, et palam se Dei inimicum professus, cum tam hostili odio immoreretur, spem nullam habet reconciliationis in loco vindictæ, et ubi tempus gratiæ in æternum nullum erit. En ratiocinia GREGORII M., AUGUSTINI et CHRYSOSTOMI, quos non tam ut Doctores Ecclesiæ, quam ut Philosophos Incredulis opponere visum est, tantos quidem, ut iis nulli Theistæ aut Pyrrhonii ingenio, nulli sapientia pares inveniantur.

Dubitant adhuc minuti Philosophi, possitne peccatum quantumlibet magnum, parvo scilicet tempore perpetratum, pœna castigari nunquam finienda? Definiunt quasi ex tripode Increduli, sine fine puniri non debere culpam cum fine, et quod peccato non æterno commissum est, æterno non esse tormento vindicandum? Sed audiant tantilli tantos veritatis Magistros et conticescant! Inter octo genera pœnarum, quas TULLIUS scribit esse in Legibus, « damnum (ait S. AUGUST. L. XXI de Civ. c. 41.), ignominia, exilium, servitus plerumque sic infliguntur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vite modo similia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum: et tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœna, brevissimo tempore perpetrantur; nec quisquam extitit, qui censeret tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis ac impietatis magnitudine metiendum. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid mora, qua occiditur, quæ perbrevis est, ejus supplicium leges æstimant, et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium »?

Audiant GREGORIUM M. (L. XXXIV. Moral. in Job. c. 19. n. 36). « Quibus citius respondemus, quod recte dicerent, si iudex justus districtusque veniens non corda hominum, sed facta tantum pensaret: iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo iudicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato: et nullus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis ». Audiant S. JUSTINUM Apolog. I. « Hoc si non sit (pœna reproborum in futuro seculo) neque Deum esse; aut si sit, nihil illi curæ esse res humanas, atque nec virtutem esse, nec vitium ». Idem docet S. CHRYSOSTOMUS Homil. II. in Epist. ad Coloss. Si vero etiam nec sapientissimi, nec sanctissimi homines fidem merentur apud Incredulos; credant Deo, qui de æternitate suppliciorum

manifestissime testatur, et metuant Incredulitatis justissimum vindicem, qui pœnam æternam comminatus non fuisset, si eam juste inferre non posset. Credunt, quod Deus bonas unius fere momenti actiones sempiternis præmiis compenset? credant vero etiam, quod malas æternis castigare possit. Credunt rationi suæ, quæ negat, quod metuunt? credant Revelationi, quæ confirmat invicte, quod recta etiam ratio de inferno docet; credant divinis oraculis et Patrum effatis, et Ecclesiæ, et fidelium sensui, et infidelium consensui, ut, quod metuunt (ac præ omnibus malis maxime metuendum est) certius evitent.

De præmiorum æternitate non ita obstrepunt Theistæ, quanquam ipsorum non sit regnum cœlorum: nam *qui non crediderit, condemnabitur*. Quippe vitam æternam ipsa ratio ex dictis probe intelligit; consensus omnium fere nationum reipsa futuram confirmat; et divina oracula clarissime eloquuntur de regno sanctis paratò a constitutione mundi, ejus non erit finis, quia regnum Jesu Christi est, qui ejusdem beatitudinis consortes facturum suos fideles servos dicit: *Intra in gaudium Domini tui*, quod plenum est gaudium sine luctu, morte, clamore et dolore ullo, itaque perpetuum, ut nunquam auferatur.

Gravissima est lucubratiō VINC. PATUZZI. O. P. de futuro impiorum statu adversus Incredulos, Venetiis an. 1764. Hanc vide.

Obj. I. Ait VOLTAIRE non abs re, quod fides commendat credulitatem de animæ immortalitate, quam vero nulla ratione probet; quod hæc quarundam nationum credulitas, præsertim Ægyptiorum, fuerit commentum mundanæ politices; quod nec Hebræi, et ne illorum quidem Patriarchæ immortalis animi vitæque æternæ fidem habuerint; quod demum Salomon, ut prætendit COLLINSIUS, eam fidem prorsus abnegaverit.

RESP. Quam miseræ sunt hæc VOLTAIRII argutiæ! Nonne decedere divinæ providentiæ, bonitati et justitiæ, si mortalis est anima, ostensum hactenus? Ergo probat ratio, quod fides commendat. Politices inventum oggerit, sed oggerit pro more, quin probet. Audiat vero ipsius naturæ vocem in media gentilitate! CICERO: « omnibus curæ est (ait L. II. Tusc. QQ.) quæ post mortem futura sunt ». De Senect. c. 21. « Cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admixtum, non posse eam dividi; quod si non possit, non posse interire ». In L. de Amicit. « Neque assentior iis, qui nuper disserere cœperunt, cum corporibus simul animos interire, plus ad me antiquorum auctoritas valet ». In Cat. Maj. c. 21. « Neque me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem; sed nobilitas etiam summorum Philosophorum et auctoritas ». L. I. Tusc. QQ. c. 13. « Omni autem in re consensus omnium gentium lex naturæ putanda est... atque hæc ita sentimus natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina; maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare ». SOCRATES et PLATO L. X. Ethic. c. 6. « Separata anima a corpore est ipsum id, quod est ». SENECA Consol. ad Marciam: « Animus nititur, unde dimissus est; ibi illum æterna requies manet ». Ad Helviam: « Animus quidem ipse sacer et æternus est, et cui non possit injici manus ». ARISTOTELES L. II. de anima: « Potest separari a corpore, sicut perpetuum a corruptibili ».

L. 1. c. 4. « Mens videtur ingigni essentia quædam existens, neque corrumpi ».

De fide aut persuasione Ægyptiorum testantur HEROBOTUS et DIODORUS Siculus; iidem de Getis, de Thracibus, de Chaldæis, de Brachmannis, et de Arcadiæ populis. De Gallis scribit CÆSAR L. VI. de Bello Gall. « Imprimis hoc volunt persuadere Druides, non interire animos ». APPIANUS in Celticò de Germanis: « Germani mortis contemptores ob spem secundæ vitæ ». De Gothis JOANNES Magnus Gothus L. II. Hist. c. 13. De Sinensibus MASCRER Tom. V. de Rit. Relig. p. 380. De Japonensibus P. KIRCHER. De Peruanis P. HAYER. Huc faciunt gentilium epitaphia: « Vale: gaude: ave et vale, æternum ave. Commendatum habeatis meum carum ». (Vide GRUTERUM et MONTFAUCONIUM Suppl. T. V. L. 2.) Item libationes gentilium super sepulcra defunctorum, de quibus, uti aliis eorum ritibus, GORI, BONAROTTI et MORINUS. Demum PLATO in Mem. « Quicumque, scribit, Poetarum divini sunt homines, tradunt animam esse immortalem ». Ex his rite concludit SENECA epist. 117. « Cum de animorum immortalitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium: utor hac persuasione publica ». Quin et VOLTAIRE non diffitetur, quod intersit boni publici, ut credant homines, animam esse immortalem; cur vero ipsemet aut dubitat, aut negat? Num hostis est boni publici, aut deterior cunctis gentibus homo, qui ad vocem naturæ solus obdurescat?

Demum de fide Hebræorum, magis autem Patriarcharum et Prophetarum, hæc sibi habeat VOLTAIRE; descripsit MOSES creationem mundi juxta Majorum avitam traditionem; inibi vero manifeste discernit inter corpus ceu pulverem, et inter animam ceu spiritum vitæ. JACOB Gen. XLVII. 9. suam apud Pharaonem vitam, uti et Patrum suorum, compellavit peregrinationem, de quibus APOSTOLUS: *Confitentur, quia peregrini et hospites sunt super terram; qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere*; Hebr. XI. 13. BALAAM exclamat: *Moriatur anima mea morte justorum*; Num. XXIII. 10. Igitur aliam post mortem vitam speravit. Juxta illud DAVIDIS: *non derelinques animam meam in inferno*, certa extitit fides resurrectionis. Idem de beatitudine æterna: *satiabor cum apparuerit gloria tua*; et de beatis: *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*. DANIEL: *suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum in seculum, et in seculum seculorum*.

COLLINSIO ipse respondet SALOMON (Sap. V. 8.) ore reproborum: *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra... talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt*. Proverb. XIV.: *Sperat autem justus in morte sua*. Eccles. XII. 7. *Memento creatoris tui...; antequam... revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Idem prædicant ISAIAS, XXVI. 19... LVII. 2. TOBIAS II. 8. Idem de Hebræis testatur JOSEPHUS L. II. cont. Appion. « Futurum omnino credunt, ut illis, qui leges servaverint... vite vicissim alterius longèque melioris fructum Deus largiatur ». Et de iisdem ORIGENES, quod vix nati et adhuc balbutientes didicerint animæ immortalitatem, subterranea tribunalia, mercedem recte viventibus destinamam ».

ARNALDUM docere ausum, *Apolog. de Port Royal*, quod veteri Legi nonnisi bona terrena fuerint promissa, solide confutat Cl. Fleury in L. de Moribus

Israelitarum; confoditque illa Machabæi ad Antiochum oratio: tu quidem, sceleratissime! in præsentī vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 2. Mach. VII. 9.

Obj. II. Si immortalem animum Deus homini infudit, cur nullos patitur mortuos reverti, qui de hac immortalitate tantopere dubia inter mortales certiora edoceant? Cur hominum etiam sanctissimi tam vehementer abhorrent a morte, quam ceu liberationem a corpore, quod aggravat animam, optare satius foret animo nunquam morituro? Nonne quo magis liber a corpore mortis hujus est animus, eo magis ad functiones spiritui convenientes viget expeditus?

Resp. Epiphantias mortuorum postulant Increduli; et quid demum magis eorum dubitantismo subderetur, ac illæ? Deus homini providit de lumine rationis, de luce Revelationis, de Scripturis sacris et de auctoritate Ecclesiæ: si vero his omnibus (quorum infinite major est certitudo) nec aures nec cor accommodant suum Pyrrhonii; num spes sit fore, ut spectrum (quod omne alibi exsibilant) pro vitæ et fidei arbitro ac magistro habeant? Attamen neque hoc immortalitatis testimonium deesse voluit Deus, uti in multis aliis, ita in Mose, qui inde a mille quingentis annis jamdum vita functus, vivus intererat Christi in monte (ut vocant) Transfigurationi, oculatis testibus Petro, Joanne et Jacobo, inter quos PETRUS 2. epist. I. testatum reliquit, quod et Christi Jesu gloriam oculis, et Patris cœlestis vocem suis auribus perceperint.

Vide hic etiam Matth. XVII. Marc. IX. et Luc. IX.

Mortem non admodum horret, quam potius exoptat anima justī, tum illis APOSTOLI verbis: *cupio dissolvi et esse cum Christo*; tum illis S. HILARIONIS: *egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis Christo serviisti, et mortem times?* Si horret animus mortem, non is ratione animi præcise existit horror, sed ratione vinculi arctissimi corpus inter et animam morte dirumpendi; nec non ratione futurorum, quæ servantur homini incerta. Hic autem sensus conscientiæ immortalitatem, quam adstruit magis, minime labefactat.

Obj. III. Infernus, gehenna, ignis inextinguibilis, pœna damni et sensus æterna inanes sunt strepitus, et vana hominum terricula, ad quæ nequicquam moventur spiritus fortes. Si est infernus; cur nemo unus inde ad nos ascendit; quod et potuit et debuit Deus concedere hominibus, quorum omnium tam fidem, quam rationem superant, infligenda a Deo, summo bono, summa æternaque mala iis, quos libere condidit ad gaudia sempiterna?

Resp. Quanta sapientiæ vis, objicere se periculo præsentissimo sempiterni interitus? quanta spiritus fortitudo, cum summo æternæ salutis discrimine toti antiquitati obstrepere, omnium sapientum sensa irridere, divinam humanamque auctoritatem, qua fulcitur pœnarum æternitas, conculcare? Si qualecumque periculum esset æternum pereundi; si invictè probaretur contra tot tantaque testimonia, periculum illud verum non esse, sed mere fictitium; indulgendum esset aliquid Incredulorum dicacitati ac irrisionibus. Cum vero ex una parte infernus, (cujus æternæ intentantur pœnæ) et omnium et

summorum colluvies sit malorum: atque ex altera parte ad eludendas tam graves minas nihil adduci possit, quam frivola dubia, levissimæ conjecturæ et ridiculæ argutiæ, illudque frigidum *peut-être*, nonne Incredulos jure dixerim hominum abjectissimos, stupidissimos, infelicissimos, et sui et aliorum maximos impostores? Jam iterum ex orco testes expostulant; verum cum illos de cœlo submissos, Mosen et Prophetas, Christum et Apostolos, Evangelium et Ecclesiam non audiant, nec stygios audient magistros; id quod nuperrime unus de grege incredulorum palam suis in scriptis asseverare non dubitavit, videlicet nec resurgenti mortuo, nec emergenti e styge reprobo se crediturum quicquam, si aliud, quam quod sua sibi ratio dictat, is esset annuntiaturus.

Sed incredula Theistarum ratio in suis argutiis adeo delirat, ut ex iis sequi videatur, Deum potius debuisse non creare hominem, quam creare peccabilem (quod de homine immutabiliter justo systema BAYLI dudum a Leibnizio, Joanne Clerico aliisque explosum est) imo Deum nequidem posse per plura secula, per annum, per diem, per horam dirissimis inferni pœnis immortalem animam (sui imaginem et Regni cœlestis hæredem) ob peccatum sæpe unicum ac prope momentaneum exercuciare. En! quo demum abducant deliria incredulorum.

Obj. IV. Metus gehennæ totam hominis vitam angoribus terroribusque infestat, ac prope infelicem reddit: singulis fere momentis imaginem mortis objiciens vix ullam patitur animi humani quietudinem, minus lætitiæ cordis ullam. Sit enimvero in vicem gehennæ remorsus conscientiæ pro malefactis, ac ipsa vitiorum turpitudine in vindictam flagitiorum; sicque redibit sua vitæ honestæ serenitas, et suus inhonestæ tortor erit satis truculentus.

Resp. Sed cujus est hæc animadversio? LUCRETII poetæ ethnici, cujus magister EPICURUS. Sat est ad confutationem impietatis, hos nominasse magistros et duces impiissimos. Virtutem sibi metipsi præmium, et vitium sibi metipsi sufficiens esse supplicium; id si fors locum habeat in imaginaria PLATONIS republica, non item in nostra, quam vivimus, societate humana; in qua tantas patitur difficultates assidua virtutum exercitatio vitiorumque omnium fuga, ut si omnis absit aut metus aut spes præmiorum pœnarumve (quas divinus æternusque decernat judex) et vitia passim omnia grassatura esse, et virtutes ubique neglectum iri, certissime conjiciatur. In republica seu epicurea seu theistica ecquid valebunt (qui vix illi forent) remorsus conscientiæ; cum ibidem nulla legis, nisi politicæ, transgressio reatum criminis haberet, sacratissimis etiam naturæ legibus impune violatis? Ad hæc undenam enascuntur acres conscientiæ stimuli? ex eo videlicet, quod homo seu male seu bene agens pro certo habeat, suum judicium divino judicio vel consentaneum vel dissentaneum esse; id vero identidem locum non habet in systemate incredulorum, quibus uti Deus nil approbat boni, ita nec mali quidpiam redarguit.

Sint vero etiam remorsus conscientiæ; num sublato æterni Vindicis metu, id genus frenum in tanta hominum corruptione satis compescet concupiscentias et libidines? Nonne tragica omnium ætatum exempla docent, impios, extincta pene synderesi, iniquitatem velut aquam bibere, et cum in profundum

venerint, contemnere non solum aculeos utut acres, sed et minas quasvis atrocissimas? Sane ubi futurorum ac æternorum exultat fides, spes aut timor; effreni evoment ore increduli: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Isa. XXII. 13. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra... opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ... sit fortitudo nostra lex justitiæ.* Sap. II.

Vide Antilucretium Card. de POLIGNAC; cui præstantissimo operi ad decorem, ad eruditionem, ad soliditatem adeo deest nihil, ut omnium expectationem longe superaverit.

Obj. V. Pœnarum æternitas pro delictis hujus vitæ, tam brevis, tam fragilis, tam periculis et scandalis plenæ, adversatur et fini ultimo creature rationalis, qui est æterna felicitas a provido mundi Rectore constituta; et bonitati, justitiæ, divinæque sapientiæ. Qui enim de optimo Parente vel cogitari sine crimine possit, quod velit hominem, sui imaginem et ad æterna gaudia conditum, æternis ignibus durissimisque cruciatibus excarnificare ob unicum ac sæpe momentaneum delictum, et quidem Deus infinite bonus?

Ita BAYLIUS, TILLOTSONUS, TOLANDUS, TINDALIUS....

Resp. Contra apertissimam ex verbo Dei scripto et tradito voluntatem Dei, contra infallibilem Ecclesiæ decisionem, contra omnium hominum fidelium, quin et infidelium sensum ac consensum parum valent argutiæ Theistarum. Deus finem, quem sibi præstituit (gloriam Nominis sui) sive creatura rationalis suum (nempe felicitatem æternam) obtineat, sive non obtineat, semper assequitur; hinc in ostensione justitiæ, et illinc in ostensione bonitatis. Huic nihil præjudicat perditio hominis, cui et libertatem et gratiam et media necessaria ad salutem suppeditaverat. Finita hominum merita, sæpe vix non momentanea, Deus præmiat vita æterna, quod patet in Martyribus; quippe infinite bonus est. Cur non etiam pœna æterna castiget hominum demerita, quamvis in se finita aut fors momentanea (quorum autem malitia et moraliter et respective infinita est in gravi delicto) cum infinite justus sit? Bonitas Dei infinita est, sed ita, ut leges æquitatis a Deo sapientissime constitutas haud violet; constitutum autem est lege ordinaria, quam Dei providentia non præterit: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Inter judicem divinum et humanum infinita est distantia; attamen hic quoque plectit delicta hominum perpetuo exilio, perpetuo carcere, perpetua infamia, mortis item supplicio, quæ pœnæ (si nunquam aliunde moriendum esset homini) reipsa forent æternæ; ac nunc etiam patrii soli dulcedinem, bonæ famæ honorem, ac ipsum vitæ hujus usum eripiunt in perpetuum, idque ob homicidium aliudve delictum intra brevissimam temporis moram perpetratum. Homo graviter peccando, in eoque peccato ad mortem usque perseverando, avertit se a Deo, in creatura posuit finem suum ultimum, Dei amicitiam dissolvit, gratia et charitate semet spoliavit, ac proin se se conjecit libere in eum statum, e quo se in æternum eximere peccator ipse non potest; Deus autem nec vult, nec debet eximere, cum post mortem non jam veniæ, sed vindictæ tempus et locus sit. Hinc Ecclesia pro damnatis nec orat, nec oravit unquam, utpote quos novit esse extra communionem Sanctorum;

hinc Sancti in cælis nunquam pro iisdem intercedent apud Deum, cujus sanctissimam et justissimam de pœnarum æternitate voluntatem intuentur et adorant; hinc S. GREGORIUS, « Omnipotens Deus, ait, quia pius est, miserrorum cruciatu non pascitur, quia autem justus est, ab iniquorum ultione non sedatur »; et S. AUGUSTINUS docet: « quia cuicumque culpæ, qualis est quanta pœna debetur, divini judicii est, non humani; sic scriptum est: o altitudo »! Hæc non capis, incredule! crede, et time infinitam justitiam, ut olim sentias infinitam bonitatem.

GREG. Dialog. IV..... AUG. de Nat. Boni. c. 31.

Obj. VI. Quis sit ille locus tormentorum, et ubi sit domicilium damnatorum, nemo hominum novit. Dicitur gehenna, quæ autem vox nulli in V. T. pro inferno accipitur; et ex radice Chaldaica præcise denotat vallem filiorum Hennon. Dicitur infernus, hebraice SCHEOL, quæ vox pro sepulchro ponitur; uti de se JACOB dixit: *descendam ad filium meum lugens in infernum*; imo vox eadem exprimit infernum, in quem vivi descendisse dicuntur Core, Dathan et Abiron. Demum nec de immortalitate animæ, nec de inferno vel verbum habet Pentateuchus Mosis, de quibus tamen et potuit et debuit ceu Legislator edocere populum Dei; cum metus gehennæ frenum sit potentissimum adversus legum divinarum prævaricationes. VOLTAIRE.

Resp. Quantum ad fidem et ad salutem sufficit ac necessum est, circa mentis humanæ immortalitatem, pœnarumque et præmiorum æternitatem; id omne docet Revelatio, declarat Ecclesia, confirmat ratio et consensus omnium seculorum. Non exprimi gehennam in Pentateucho, verum quidem; sed eam abesse ab omnibus Libris V. T. falsum est: nam 4. Reg. XXIII. 10. Jerem. VII. 31. fit mentio gehennæ, quæ v. 32. Dei jussu dicta est vallis interfectionis. Isaïæ XXX. 33. legitur de Tophet (qui erat mons ad illam vallis interfectionis), *Cujus nutrimenta ignis et ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam.* Erat autem gehenna vallis filiorum Hennon, in qua primum Judæi idololatræ filios suos et filias suas idolo Moloch per ignem consecrabant, excitato ingenti strepitu tympanorum et tubarum, ne gemitus et lamenta immolatorum audirentur. Posthac facta est colluvies ac sentina omnium sordium. Atque hæc fecit absurditas et impietas, ut infernus Chaldaeis a tympano vocaretur Tophet, a Christo et Apostolis gehenna, non solum ceu locus ignis æterni, quo cremantur rebelles filii inter horrendos damnatorum æque ac tortorum clamores et ululatus; sed et ceu locus ac sentina omnium turpitudinum atque flagitiorum. Adde, quod ex Psalmis etiam, ex Libris Job, Judith, Danielis et Isaïæ certissime constet, Judæis quondam fuisse revelatam Dei vindicis contra impios justam æternamque ultionem.

De vocibus *inferi, infernus, scheol*, fatemur cum S. AUGUSTINO, quod tametsi in V. T. sortem mortuorum generatim significant, sicque sub multiplici intellectu uti rerum, de quibus agitur, sensus exigit, accipiantur; tamen cum eodem et S. Hieronymo dicendum, illud Num. XVI. de Core, Dathan et Abiron intelligendum esse, quod vere descenderint in eundem locum tormentorum, in quo sepultus est dives mortuus, et in quem rebelles Angeli detrusi, tanquam carceribus inferni puniendi reservantur, quique opponitur Abrahamæ sanctorumque Angelorum demorationi in cælo superiore.

Quis enim dicat, plus hic tribuendum incredulis, sæpe vix trium litterarum homulis, quam Hieronymo græcæ, hebraicæ ac chaldaicæ linguæ peritissimo, cui nullus seu Patrum seu Theologorum unquam ausus est refragari ad usque ætatem Novatorum. Ipsi etiam LXX Interpretes vocem *scheol* transtulerunt ibidem, non in vocem græcam *τάφος* sepulcrum, sed *ᾗδης* quæ orcum, tartarum et inferos significat; prout constat ex Euripide, Platone, Luciano, S. Epiphano et Theophilo Antiocheno. Ac demum voces illas *inferi*, *infernus*, aliis vocabulis, quam quibus sepulchrum exprimitur, indicant cæteræ nationes in suis linguis.

Quod in toto Pentateuco nihil omnino legatur sive de inferno, sive de immortalitate animæ; in hoc pro more suo fallit et fallitur Voltaire. Numquid enim Num. XVI. Core, Dathan et Abiron descenderunt vivi in infernum? Numquid credendum a Judæis (proin revelatum fuit) Deum et remuneratorem omnium honorum, et vindicem omnium malorum esse? Numquid in iis, quæ fametsi necessaria ad salutem, tamen scripta non essent, aut non dabatur, aut non sufficiebat Traditio? Numquid cum in libris Mosis legere est diversissimam corporis et animæ humanæ productionem, frequentem Angelorum cum hominibus consuetudinem, Henochi ex hac vita raptum ob pietatem, vitam Patriarcharum, quam dicerent suam velut hospitium in terra peregrinationem: cum Deus ABRAHE promitteret, quod sit futurus ipse merces ejus magna nimis: cum in morte Jacob ediceret: *Salutare tuum expectabo, Domine?* Numquid in his et Deus, et sensus fidelium non edocuerunt animæ immortalitatem, ac præmii æternitatem? Numquid cum Deus Exodi III. 6. diceret: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob;* et hanc Christus (Matth. XXII. 32.) urgeret sententiam contra Sadducæos (qui solum Pentateuchum agnoscebant ceu librum divinum, et negabant resurrectionem corporum, junctam cum immortalitate animorum veritatem), hanc et Deus et Dei Filius abunde testati sunt? Nemo quippe dicitur dominus rei, quæ omnino periit; vivunt ergo Abraham, Isaac et Jacob, non quidem corpore, sed anima.

Demum quod noluerit Deus, ut sublimior doctrina simul et semel omnis et omnibus clarissime innotesceret; sed ut successu temporis magis evolveretur, facta quidem primitus Revelatio de scitu et creditu necessariis; œconomia divina est, et abyssus consiliorum Dei. Vide I. Objectionem hic.

Obj. VII. Æternitas poenarum, si est veritas tam eliquata, atque a mundi exordio ad nostra usque tempora rite propagata; eceur ab ORIGENE tanti viro ingenii ea fuit negata, et a SS. Patribus Origene cum anterioribus tum posterioribus, Justino, Irenæo, utroque Gregorio, Ambrosio et Hieronymo in dubium vocata?

RESP. Non sine grandi injuria error Origenistarum SS. Patribus imponitur; cum certum sit ex S. AUGUSTINO, THEOPHILO ALEX. et S. EPIPHANIO, neminem fuisse ante Origenem, qui vel indicium quoddam hujus erroris dederit; ac proinde certum, neque sententias illorum Patrum controversas attingere illam fidei sententiam sive de poenis inferni, sive de poenarum æternitate.

S. JUSTINUS affirmat, animam non esse immortalem eo sensu, quo Plato docuit, ut nimirum sit ingenita; non tamen esse mortalem eo sensu, quo Epicurus putavit, ut ipsa pereat cum corpore; et Apologia I. exustionem

futuram iam Angelorum, quam hominum vocat supplicium in igne sempiterno reportandum.

S. IRENÆUS in eundem sensum loquitur; et L. V. cont. Hæres. c. 27. « Christum, ait, venire, ut colligat zizania, et comburat igne inextinguibili, hædosque in æternum ignem mittat ».

S. CYPRIANUS serm. de Ascens. Dom. docet: « immortales miseri vivent inter incendia, et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent ».

S. BASILIUS in Reg. Brev. ad Interrog. 267. « plerique homines, inquit, quo majore cum audacia peccent, supplicii sibi finem præscribunt... itaque sciendum est, neque illud: *capulabit paucis*, neque illud: *capulabit multis*, significare finem, sed diversitatem supplicii ».

S. GREGORIUS Nyss. orat. de Bapt. docet: « eos, qui sine baptismo decedunt, frustra et inutiliter deslere ac penitere, non secus ac divitem epulonem; quos utrinque maneat ignis, qui extingui non potest ».

S. GREGORIUS Naz. orat. 15. identidem affirmat æternitatem suppliciorum, et inustam sempiternæ ignominie notam; nullibi autem id negat, aut dubitat; sed censet duntaxat, poenas impiis constitutas mitiores esse, quam a justo malorum vindice constitui possint.

S. AMBROSIIUS Præf. in Ps. 37. ait: « Si hiuc peccata gravia portaveris, illic requiem non habebis »: Et in Psalm. 118. « Christus suos castigat, quos diligit; alienos tanquam generali damnatione impietatis adstrictos poenæ donat æternæ ».

S. CHRYSOSTOMUS Homil. 25. ad Rom. « Si ergo vita æterna est, supplicium est æternum... Hæc dico, non ut mœrore conficiam, sed ut cautiore reddam ».

S. HIERONYMUS suæ doctrinæ integritatem ipse vindicavit scripta contra Rufinum Apologia; et in suis Commentariis ubi ubi occasio se offerebat, æternos cruciatus asseruit (videlicet in c. 5. Isaia: in epist. ad Pammachium, ad Avitum: in c. 5. Jonæ, et in c. 5. epist. ad Ephes. v. 6.). Ubi generatim pronuntiat peccatorum supplicia non esse æterna, id negat in sensu Pelagii, qui nullum voluit esse peccatum veniale. Contra eosdem Pelagianos discernit inter impios seu gravium delictorum reos, et inter peccatores levium duntaxat culparum reos; hos, non illos negat æternum perire. Equidem recenset testimonia illorum, qui volunt supplicia aliquando finire; iis vero non subscribit, sed identidem cum APOSTOLO asseverat: « Qui prævaricati sunt in Dominum, æternis tradentur tortoribus ». Dum explicat v. 9. c. 1. Prophete NABUM, refutat errorem Marcionis, qui Legis veteris auctorem alium, alium vero novæ Legis esse credidit, atque illum quidem crudelem.

Igitur cum nihil ab Heterodoxis ac Theistis ex SS. Patrum effatis extundi queat adversum integerrimæ fidei dogmata de poenarum æternitate; habent illi, quod in his imitentur, nimirum superbæ rationis suæ debitam submissionem ad dogma fidei divinæ; habent, quod in ORIGENE pertimescant, nempe tanti ingenii tantum lapsum, atque in ejus asseclis luctuosissimum fidei et salutis naufragium.

Plerisque aliis hic objici solitis satisfit tum ex Psychologia, tum ex Theologia. Vide Inst. Theol. P. HENR. KILBER S. J. de Peccatis; S. ALPH. de LICORI *Verità della Fede*, P. II. p. 260-284; P. ROBERTI PERSON S. J. *Directorium ad christianam vitam*.

SECTIO III.

DE POLYTHEISMO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Rationis naturalis sibi relictae partus omnium deterrimus fuit Idololatria. Extulit hæc orco caput post diluvium. Nam ut primum facta per terras mortalium dispersio fuerat, acceptam a majoribus Dei scientiam putidis inquinare commentis cœperunt, et Religio in fœda superstitionum monstra degeneravit. Assyrii sub Nixo rege dicuntur initium fecisse: secuti sunt Ægyptii, Græci, Romani: hodie adhuc Sinenses, Japonæ et plures Indiæ et Americæ populi eadem detinentur. Initio cœlum, terram et astra, horum pulchritudine et utilitate illecti, pro Diis habuerunt. Posthac iis etiam hominibus divini honores delati, quos vel ceu Heroes finxerat insigne quoddam facinus non raro scelestum, vel ceu benefactores eximios commendaverat profusa in alios liberalitas: horum in numero sunt BACCUS et CERES, quibus terræ fertilitatem, MARS, cui victorias, JANUS, cui populorum felicitatem et pacem, ÆSCULAPIUS, cui bonam et firmam valetudinem in acceptis referebant; et VENUS adeo meretrix Cypria, non ob singulare beneficium, sed ob effusam libidinem a suo amatore consecrata. Tertium genus Deorum, ex poetarum, præsertim Hesiodi et Homeri, Theogonia subnatum, terræ cœlique liberos continet, Oceanum et Tethyn; horum Phorcyn, Saturnum et Opem; ex Saturno et Ope Jovem, Junonem...

Sed quia fabulis poetarum turpissima quæque admiscebantur (uti quod Jupiter nec sorori suæ pepercerit, et Apollo Hyacinthum, Leucotoin, Cyparissum, Clitiam et alios prope innumeros contra omnem naturæ legem efflicti deperierit) Philosophi in allegorias ea detorserunt, ut sic quantum Deorum genus prodiret, vel eo nomine res naturales (ut per Saturnum tempus, per Jovem mundum aut mentem, per Apollinem solem, per Dianam lunam...) vel affectus humanos, vitia et artes intelligendo (puta iram per Martem, cupidinem per Venerem, ebrietatem per Bacchum, rationem per Minervam...). Tandem ipsos etiam diabolos ceu Deos coluerunt, veluti hominum maleficorum patronos et principes. Necdum finis insanie: muta adeo animalia, cepas et porcos, cloacinam, pavorem, pallorem (et quid non utut vile ac turpe?) divinitatis loco habuerunt Ægyptii, Romani, cæteræque nationes idololatriæ.

Explodenda est hæc farrago Numinum stupidissima, ex ipsa ratione, ex ipsa veri et summi Dei notionem, ex ipsa mundi hujus ordinatissima gubernatione, quam uni dumtaxat et primæ causæ rerum omnium convenire, vetustissimæ gentes, omnesque inter Ethnicos sapientes semper consenserunt, juxta illud TERTULLIANI: « Summo magno nihil sinit adæquari ». Exhibenda

vanitas prodigiorum, queis gloriantur Ethnici, falsitas Oraculorum omnisque divinationis; Theologiæ aut Mythologiæ paganicæ stultitia, rituumque impuritas; ut corruat cum sonitu Pantheon illud Idolorum, non sine strage impietatis theisticæ, quæ paribus innititur fundamentis cariosissimis,

§ II. THEMATA.

I. Polytheismus seu Idololatria, vesana ratione objecti, abominanda ratione cultus, impia ratione dogmatum, suamet absurditate opprimitur.

PROBATIO. Religio, quæ divinos honores impendit iis, qui nec profanis digni sunt, ipsa quoque Religionis nomine indignissima et mera abominatio est. Quæ enim insania magis abominanda naturæ rationali, quam cultus divinus eorum, quæ vel sunt inanima et mera simulacra aut statuæ, quibus assideat Numen; vel animata, sed ratione destituta; vel rationalia quidem entia, sed quæ aut nunquam extiterint (cum nota alias eorum origo foret) aut tantum a sceleribus famosa fuerint, quorum malim corruptos mores et spurcicias premere silentio, quam ex iis potentius argumentari? Quæ abominatio pudenda magis, quam Deorum flagitiis Deos colere flagitiosissime, ne, qui Deos colunt, homines Diis suis meliores viderentur? aut si ab ebrietate Bacchi, a furtis Mercurii, a latrociniiis Martis, a libidine Veneris, ab incestu et adulteriis Jovis sese abstineant, Deorum inimicos se constituerent? Ubi vero summa flagitia ceu divinitates colere necessum est; ubi Deos libidine furentes imitari oporteat; ubi Bacchi orgia, lupercalia, cerealia, Jovis Latialis feriæ, Saturnalia, aliaque gentium festa, conculcatis omnibus naturæ legibus, pudore omni prostituto, ipsa humanitate protrita, sanguine etiam humano crudelissime profuso celebranda sunt: quis sine horrore non intelligat, sacra gentilium impiissima, et nonnisi Deastris impiissimis omnium flagitorum magistris ac patronis digna fuisse?

Dogmatum diversitas num major possit esse illa, quæ tot pseudo-Numina, et inter hæc homines sceleratissimos ac ipsos dæmones, uti vitæ exemplar, sic fidei ac Religionis objectum proponat homini, cujus ipsa ratio dictat, insitam hominum animis notionem summi et veri Dei, uni et sanctissimo Numini propriam esse, quod sanctissimo castissimoque corporis et animi cultu sit honorandum? quæ finem hominis ultimum (quem intimus animi sensus docet esse summum et infinitum bonum) in creaturis, in voluptatibus, in flagitiis constituat? quæ cœlum pandat ceu Amphitheatrum omnium scelerum, atque ut omnium oculis ea pateant, omniumque animos polluant, publicis spectaculis reddat celebriora? quæ doctrinæ veritatem ab oraculis deducat, id est, a divinationibus diaboli, qui est pater mendaciorum? Dum enim Pythia, inter Vates celeberrima, quoties ex Apolline promere oracula creditur, Castalium illud os impure insidet, et inferiori sinu muliebri spiritum fatidicum impurissime suscipit, imo dum hæc Vates Pythia, quoties ab Apolline exagitur, ac divexatur, furens nec sui compos oracula promit; quis erit ille spiritus furoris et tenebrarum, nisi dæmon improbus? Idem de Jovis Dodonæi, Ammonis et Clarii oraculis testatur ORIGENES, quod illorum auctores « aliud non sint, quam dæmones, qui cum sacrificiis et nidioribus

gaudeant, in præmium sibi litantibus reddunt aliorum perniciem ». L. VII. cont. Celsum.

En! quam inde christianam sequelam deducat gentilis SENECA L. de Vit. beat. « Quid interest, utrum Deos neges aut infames?..... Quibus (tot scilicet impiis divinitatibus) aliud actum est nil, quam ut pudor hominibus demeretur ». CICERO ait: « quid absurdius, quam homines morte deletos reponere in Deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu »? LACTANTIUS « ipsa vitia, inquit, religiosa sunt; non modo non vitantur, sed etiam coluntur », L. 1. c. 13. Plura in hanc rem TERTULLIANUS in LL. cont. Valentinum, Marcionem et Manichæos, quorum Polytheismum summæ falsitatis, impudentiæ ac improbitatis convincit.

II. Polytheismus eadem fere ratione inter Ethnicos quondam invaluerat, qua hodie dum Theismus orbem Christianum invadit.

PROBATIO. Idololatria ortum fere suum ac propagationem sensibus debet, affectibus et præjudiciis. Mens caeca Paganorum, cum ad unius veri Numinis agnitionem non pertingeret, sensuum criterio dimetiabatur Divinitatem; cum vero sensus spirituale quid (utpote a sensibus omnino remotum) penetrare nequiquam possent, creaturæ visibiles invisibili Creatori fuerunt surrogate. Cor Paganorum depravatum, ut sine freno, sine remorsu, sine ullo vindicis metu suis affectibus indulgeret, sibi effinxit Deos aequè iudices, sed aequè reos omnium vitiorum ac criminum. His vero præjudiciis pessimis ac falsissimis innixa Idololatria facile plurimorum et mentes pervasit iisdem tenebris obvolutas, et corda mancipavit iisdem affectibus depravata.

Numquid melior aut origo aut progressus hodie dum invalescentis Theismi? Nonne Mysteria fidei (quæ oculus non videt, nec percipit auris, non repræsentat phantasia seu sensus communis, nec ratio infirma assequitur) ceu yana et falsa explodit ideo, quod sensui plus deferatur, quam rationi; et plus rationi, quam Revelationi? Si vel Metaphysici essent Theiste, ex Dæmonologia ceu Spirituum scientia edocti meliora, facilius assentirentur summæ et primæ Veritati, revelanti veritates a sensibus plane abstractas, insensibiles ac supernaturales. Nonne depravatio cordis est (cui ut liceret, quod libet, circa fidem et mores) odio et contemptui esse cœpit Christianismus? Hic ut victima caderet pravorum affectuum, omnis divina Revelatio seu scripta seu tradita, seu Novo seu Veteri Testamento consignata, erat conculcanda inter mille diceria et opprobria (quorum scopus Idololatria esse debuerat) congesta in veram divinamque, hoc est, unius ac veri Numinis Religionem.

Quam ergo verum est, quod Baco pronuntiat: minuta Philosophia adducit ad irreligionem, vera Philosophia ad Religionem? Quam verum: Theista sicut Idololatra vivit sibi, quia sensibus credit, et affectibus obsequitur; Christianus Deo vivit, cui credit in omnibus, quem colit, quem amat per omnia, et cui in omnibus ceu Deo unico, unice vero, vereque provido et rationis et revelationis auctori obsecundat?

Obj. I. Religio Paganica erat mundo congenita, per universum orbem diffusa, universali assensu et persuasione firmata; ergo legitimum Numinis

cultum habere debuit, ne dicendus sit Deus, omnium temporum et omnium locorum homines (si Judæam, mundi angulum, excipias) voluisse obnoxios errori et mendacio, quod pugnat maxime cum infinita bonitate.

RESP. Qua fronte ausint Increduli ethnicam superstitionem, ut ementiantur divinam, ceu mundo cœviam prædicare; cum per duo annorum millia et amplius, sicut unum idemque loquendi genus inter homines, ita unus cœli terræque Dominus erat, quamvis non pari ab omnibus pietate cultus, nullo tamen ullibi vestigio Polytheismi apparente? Divina ergo non est Religio, quam nesciverunt primi homines a Deo recens conditi ac informati. Cum deinde per vesanam turris Babel structuram inducta linguarum diversitas, et genus humanum ubique dispersum fuit; cœpit quidem in mundo et crevit superstitio idololatriæ; attamen error non erat universalis, cum posteri Sem, Abrahæ et Jacob, totaque gens Judaica in accepta a Majoribus notitia et fide veri ac unius Dei sancte perstiterint. Quamvis autem inter alias gentes confictis sensim innumeris Deastris obliterari videretur unitas veri Dei; tamen nullo non tempore extiterunt inter gentiles etiam, ut Græci et Romani philosophi ac poætæ, inter quos Orpheus, Xenophanes, Parmenidas, Hesiodus, Homerus, Pythagoras, Socrates, Plato, Antisthenes, Xenophon, Cleantes, Cicero... (tametsi ex tyrannorum aut vulgi metu simulacra colerent) unum tamen reapse Deum esse, persuasum habebant.

Quin et de vulgo seu plebe Gentilium observat TERTULLIANUS in Apolog. quod licet « pravis institutionibus circumscripta, libidinibus et concupiscentiis evigorata, et falsis Diis exancillata, cum tamen respicere, ut ex crapula, ut ex somno, Deum nominat, quia proprie verus hic unus Deus, bonus et magnus ».

Quod tandem ingentes in orbe progressus fecerit Idololatria; id neque est ex instinctu Numinis, sicut nec illa per omnes homines diffusa in sensuum illecebras et voluptates corporis propensio; sed ex metu Imperantium, ex regionum præjudiciis, ex impunitate criminis contra leges perpetrati: neque veram efficit Religionem, quæ nec legitimo summeque veraci nitatur auctoritate, nec hominem sancte perficiat in omnibus officiis Deo, sibi et proximo debitis: neque Dei paternæ bonitati præjudicat, quæ conjuncta justitiæ (ad instar patris prolem usque rebellem ac perfidam tandem abjicientis) dimisit gentes ingredi vias suas, quin seipsum Deus relinqueret sine multiplici naturæ et gratiæ testimonio.

Obj. II. Luculentissimum veritatis divinitatisque argumentum suppediant oracula et vaticinia; hæc vero non defuere gentibus, cum teste Tullio ingens illorum volumen Chrysippus congesserit. Vel ergo non solide probant pro Revelatione Christiana Prophetarum oracula, in multis ambigua, plerumque obscura, nec raro præsaga eventuum, qui prævideri perspicacia naturali poterant: vel etiam Ethnicorum vaticinia (illa vero Sybillarum oracula præcipue) ethnicæ Religionis divinitatem commonstrant.

RESP. Qui fuerint universim apud Gentiles oraculorum characteres, gentilis edoceat CICERO (L. II. de Div.) exprobrans suum Chrysippo volumen ceu repletum Oraculis « partim falsis, partim casu veris, partim flexiloquis et obscuris, ut interpret egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes; partim ambiguis, et quæ ad Dialecticum referenda sint ». Edoceat Demos-

THENES, qui Pythiam irridens dixit, a Philippo Rege auro corruptam $\Phi\lambda\iota\pi\pi\alpha\lambda\epsilon\iota\upsilon$. Edoceant ARISTOTELES, EPICURUS et PORPHYRIUS, cum primis de Apolline, ejusmodi vaticinia, quæ nebulonem, non item Deum scelerum et mendaciorum osorem decent; ejusmodi oracula Deorum, quæ innocentem mortem, libidinum infamias et ineluctabilis fati doctrinam præcipiebant, Qui vero Religionem ista divinam comprobent, quæ tum in factis, tum in dogmatibus saniora ipsius naturæ jura subvertant, non sine summa auctoris naturæ injuria?

Sed oracula Prophetarum de omnibus fati Judaicæ gentis, de Messia nascituro ex Juda, de Regnorum ac Imperiorum conversionibus et revolutionibus, de nascituro post ducentos annos Rege Persarum Cyro, Judæorum liberatore, et horum similibus; nonne expressa clare, et eventu certissimo comprobata, hominibus contraria omnia agentibus, vel plane non cogitantibus, ac postea eventuposito prophetiam recognoscentibus, cum omnibus loci et personarum circumstantiis exactissime convenientem? Si qua in nonnullis obscuritas erat, eventus declaravit, et fidei meritum compensavit.

In oraculis Sybillarum, si tanta est certitudo tantaque evidentia, cur ea non intelligebant Gentiles; et quæ de vera Religione prænuntiarent, cur non solerter investigabant, ut ad veritatem pervenirent? Nonne, recte ait CLEMENS Alex., « quomodo Deus Judæos salvos esse voluit dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos, propriæ suæ linguæ exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo secrevit »? Quippe demonstrabant, ait LACTANTIUS, « monstrosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec tempus, nec auctor designabatur »; ut adeo ex illis, quia veris falsa miscabant, sacrilegos ritus Romani eruerent.

De his plura vide apud NATAL. ALEX. Diss. I. in seculum I. HONORATUM a S. Maria, L. II. Critices Diss. II. P. THOM. HOLZKLAU S. J. Inst. Theol. de Deo Verbo Incarn. Diss. I. Sect. III.

Obj. III. Falsitas Religionis non stat cum Miraculis, quæ sunt veritatis pignus certissimum. Nemo autem ignorat, quot et quanta inter Gentiles prodigia evenerint. Jam sanati sunt cæci in Æsculapii et Serapidis templo; jam Alexandri milites in templo Cereris, quod spoliare parabant, irrudente flamma excæcati; jam Brennus ille Gallorum dux, qui Apollinis templum ad prædam ingressus, ex vindicta Apollinis furibundus suicida factus; nihil ut de Ancyli cœlitus submisso, de Tucciæ cribro, de Claudii cingulo, de Vespasiani et Apollonii Tyanæi prodigiis commemorem, vere tantis, ut illa non ægre admiserit ceu vera miracula S. AUGUSTINUS, Lib. XXII. de Civ. c. 10.

RESP. Cum de Miraculis Gentilium sermo incidit, ridendum sane est cum VESPASIANO, quem risisse narrat Tacitus, dum cæcus et debilis se ab illo sanari peterent. Quippe ridiculum, aut ab homine petere miraculum, quod humanas vires infinite superat; vel a dæmone obtentum (nescio quale portentum) venditare ceu verum Religionis miraculum, ejusmodi solus Deus verus et unus operatur, ut dæmonis subvertat imperium. Quin et is pluries victum se confessus est; sive in Evangelio, cum Christo testimonium perhibuit; sive in Actis Apostolorum, cum Pauli et sociorum ejus sanctitatem commendavit; sive deinceps, cum ad reliquias S. Babylæ Martyris conticuit Daphniticus

Apollo. Quæcumque paganorum mirabilia recensentur, vel naturales hominum aut dæmonum vires non transcendunt; et miracula non sunt, cum maximis, splendidissimis et invictissimis illis Mosis et Prophetarum, Christi et Apostolorum prodigiis nullo modo comparanda; (id quod vel in una Resurrectione manifestum, de qua cum a PAULO audivissent Ethnici, « novorum dæmoniorum seu Numinum annuntiator » visus est PAULUS, a quo sicut Christum esse Deum, ita Resurrectionem veluti Deam ab eo prædicari putabant) vel pleraque errori ac mendacio obnoxia, cum velut incerta et ut plurimum fictitia suis a sponsoribus referantur.

Nonne vel in limine sui operis fatetur TITUS LIVIUS, se fabulas fictaque pro arbitrio prodigia recitaturum? Numquid major fiducia VALERII MAXIMI, ubi de prodigiis Deorum scribit: « sed fidem auctores, qui hæc primi scripserint, sibi vindicent »? Num alia mens TULLII, qui relata per Quintum fratrem suum trecenta Deorum mirabilia in Libro I. Divinationum, eadem ceu frivola, Numine indigna, et per superstitionem invecta in Libro II. Divinationum explodit? Demum S. AUGUSTINUS plus non admittit, quam quod, teste Scriptura sacra, interdum a Deo permittantur dæmonibus quædam prodigii ejusmodi speciem referentia ex virtute causarum naturalium, et quidem ad obscurandam ex illorum intentione (si fieri posset) lucem Evangelii et Christi gloriam. Sed vel ex hoc fine pessimo illorum mirabilium patescit et falsitas et malignitas.

De Miraculis Gentilium plura exhibent P. HERM. GOLDHAGEN S. J. Introduct. in S. Script. Tom. III. Nec non Instit. Theol. P. HENR. KILBER S. J. de Deo.

Obj. IV. Argumenta contra Deorum pluralitatem non minus feriunt Trinitatem Personarum divinarum; præsertim ex illo dilemmate, quod vel una persona satis sit, vel non, ad condendum et regendum mundum; item quod vel quælibet sit id, quo aliud melius cogitari non potest, vel non sit. Hanc tamen toto corde suscipiunt Christiani; eceur illam tantopere detestantur? Profecto non est, quod sua Polytheis tot Numina invideant, qui et ipsi non solum Deum, sed Angelos etiam et Archangelos, Martyres quoque et homines alios, quin et imagines et statuas, resque adeo inanimes, cruces, ossa, cineres et lacinas religiose venerantur.

RESP. Inter Deos Gentilium cum sint alii minores, alii majores, et Deus Deorum Jupiter; diversa in singulis natura, diversa voluntas, diversa potentia est, quod aperte pugnat cum idea Summi Magni, et cum creatione ac gubernatione hujus Universi. Pater, Filius, et Spiritus Sanctus ejusdem naturæ, voluntatis et potentiæ sunt; nec personæ divinæ, in quantum personæ sunt, creant aut regunt mundum, sed in quantum Deus sunt, per potentiam et voluntatem, quæ in omnibus una est. Quælibet earum in genere personæ est id, quo melius nihil possit excogitari, cum nihil desit ad summam perfectionem; nihil ex parte naturæ, quam secundum perfectiones essentielles unaquæque totam habet; nihil ex parte personalitatis, quam aliis Personis æqualem habet, imo et quarum hypostasim identice possidet in essentia.

Circa cultum Sanctorum quanta sint inter Christi et Idolorum cultores differentia, declarant Christiani orbis lumina, Cyprianus, Ambrosius, Augu-

stinus, Gregorius M. et Arnobius : « Honoramus sane memorias eorum tanquam amicorum aut sanctorum hominum Dei... Quis autem auditit aliquando stantem Sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus : offero tibi sacrificium, Petre vel Paule vel Cypriane ? cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit ; ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum eodem invocato in auxilium, ex illorum memoriæ renovatione adhortemur » ? Gentiles suis Deastris singulis peræque sua templa, altaria, sacrificia et sacerdotia constituunt ; et quos fatentur improbos, etiam dæmones sacrificiis et precibus honorant ; nos vero sanctis duntaxat Angelis ceu fidelibus Dei servis cultum divino longe inferiorem impendimus ; cacodæmones vero ex obsessis etiam corporibus, accepta a Deo potestate, ejicimus, ut ab iis, nos rogemur, quos Ethnici rogant, nos timeamur ab iis, quos Ethnici adorant..... Nos denique nec Cruci, nec imaginibus aut reliquiis Sanctorum divinitatis quidquam inesse credimus. Etiam ante Salvatoris imaginem non quasi ante divinitatem prosternimur ; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed in throno sedentem recordamur. At gentiles astra, elementa, simulacra ipsa aut Deos omnino esse, aut divinitatem in iis residere, atque ideo divinis honoribus afficiendos esse arbitrantur.

Digna est, quæ ex toto perlegatur, dissertatio ARNOBII diu in castris versati, omniaque Idolomanie arcana edocti, L. VI. cont. Gentes, sub finem. Vide etiam hanc in rem, de Cultu Sanctorum et Imaginum P. THOM. HOLZKLAU Instit. Theol. de Deo Incarn.

Obj. V. Religio paganica suos habuit cultores undequaque honestos et virtuosos, ita ut datæ fidei, sobrietatis, temperantiæ, pudicitiae et fortitudinis eximia reperias documenta inter Paganos, qui non omnino omnes aut ita delirabant, aut ita furebant circa cultum suorum Numinum, prout nuper assertum fuit.

Resp. Vera virtus ex fine dignoscenda atque æstimanda est. Quæcumque grandia patravit antiquitas ethnica, non ex studio laudis et gloriæ divinæ, sed ex spiritu superbiæ et laudis propriæ cupidine profecta sunt ; veræ proin virtutis laude carent. Et virtus sit, quæ parum boni, mali vero plurimum aspersit factis Gentilium ? fœdatur Lucretia nolens, et se dolori impar trucidat ; quid non hic mali ? servat fidem Attilius Regulus datam hostibus ? idem atheus præstat in suam vel patriæ gloriam. Sobrius ac temperans miles Romanus prædicatur ; sed idem ferro et flammis universum orbem invadit, succendit, depopulatur. Et virtus sit ibi, ubi sunt secretæ, non raro manifestæ Gentilium abominationes, quas nec ipsi scriptores ethnici siluerunt, et nervose insectatus est PAULUS ?

Sint vero etiam ac fuerint inter ethnicos ethnici « perhonesti, inquit Arnobius, sed audire deponimus, quot sint aut fuerint numero..... unus, duo, tres : at genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex cæteris omnibus æstimari convenit ». Et ne hi pauculi quidem honesti ex Idololatria, sed ex spiritu, qui ubi vult spirat. Et vere pauculi, cum in celeberrimis ac sapientissimis Rebuspublicis, Romæ, Athenis et Corinthi summa flagitia in aris et templis

honorata fuerint, sacrificiis in publica probra, festis et solemnitatibus in nefandas helluationes deterrimaque spectacula degenerantibus.

§ III. COROLLARIA.

Quam igitur verum est, Deum ceu Ens summum, perfectissimum, necessarium et infinitum non nisi unum esse et unicum esse posse ; tam falsum est, quod Gentes vel ex lumine naturali illam veritatem pervidere non potuerint. Testis est S. CYRILLUS, quod gentiles Philosophi Deum unum maximum, creatorem, rectorem et conservatorem hujus universi agnoverint, a quo alii Dii omnes dependeant. ONATUS Pythagoræus scribit : « imperat omnibus Deus is, qui virtute præstat ; hic universum mundum moderatur et continet ; reliqui Dii cœlum eodem, quo tota rerum universitas motu decurrunt, primum illum Deum ordine sequentes ». CICERO : « Deus (inquit) alio modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta et libera, omnia sentiens et movens ». ARISTOTELES : « omnes homines affirmant, Deos esse sub imperio ».

De Poetis testatur S. CHRYSOSTOMUS orat XXXVI. « Poetæ omnes primum principemque Deum universe parentem appellant rerum omnium ». ORPHEUS, SOPHOCLES et PLAUTUS dicunt : « qui est Imperator Divum atque hominum Jupiter ». VIRGILIUS : « o pater, o hominum Divumque æterna potestas ! ». HORATIUS : « qui res hominum et Deorum temperat horis ». OVIDIUS : « moderantem cuncta Deorum ». BEROSUS de Chaldæis scribit, quod Bero sive Jupiter ipsis fuerit creator Universi. STRABO de Æthiopiis, quod unus ipsis Deus immortalis fuerit causa omnium. De Persiis ZOROASTER, quod inter suas leges hanc Dei descriptionem habuerint : « Ens est primum, æternum, immortale, sine socio aut æquali, a se existens perpetuum ». De Romanis et Græcis constat, quod solum Jovem dicerent Optimum, Maximum ; ac idem fere Historici (Rochefort, Du-Tertre, et Sagard) testantur de Indiarum, Sinarum, Africae et Americae populis. Addit Cl. HOOCKE, quod calumnie loco haberent Gentiles, si plures Deos a se invicem non dependentes ab ipsis coli, Christiani edicerent.

SECTIO IV.

DE RELIGIONE MAHUMETANA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Nihil tam vesanum ac impium, quod Rousseau non effutiat. Emilii Tomo III. summopere dilaudat Religionem, quæ tres admittat Revelationes, per quam intelligit Mahumetismum, ceu systema ævi nostri genio accommodatum magis, et præ cæteris Religionibus maxime coherens. Hanc quoque blasphemiam exprimit CURETUS in opere suo posthumo. Pejus vero delirant alii

stinus, Gregorius M. et Arnobius : « Honoramus sane memorias eorum tanquam amicorum aut sanctorum hominum Dei... Quis autem auditit aliquando stantem Sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus : offero tibi sacrificium, Petre vel Paule vel Cypriane ? cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit ; ut ea celebritate et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum eodem invocato in auxilium, ex illorum memoriæ renovatione adhortemur » ? Gentiles suis Deastris singulis peræque sua templa, altaria, sacrificia et sacerdotia constituunt ; et quos fatentur improbos, etiam dæmones sacrificiis et precibus honorant ; nos vero sanctis duntaxat Angelis ceu fidelibus Dei servis cultum divino longe inferiorem impendimus ; cacodæmones vero ex obsessis etiam corporibus, accepta a Deo potestate, ejicimus, ut ab iis, nos rogemur, quos Ethnici rogant, nos timeamur ab iis, quos Ethnici adorant..... Nos denique nec Cruci, nec imaginibus aut reliquiis Sanctorum divinitatis quidquam inesse credimus. Etiam ante Salvatoris imaginem non quasi ante divinitatem prosternimur ; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum aut passum, sed in throno sedentem recordamur. At gentiles astra, elementa, simulacra ipsa aut Deos omnino esse, aut divinitatem in iis residere, atque ideo divinis honoribus afficiendos esse arbitrantur.

Digna est, quæ ex toto perlegatur, dissertatio ARNOBII diu in castris versati, omniaque Idolomanie arcana edocti, L. VI. cont. Gentes, sub finem. Vide etiam hanc in rem, de Cultu Sanctorum et Imaginum P. THOM. HOLZKLAU Instit. Theol. de Deo Incarn.

Obj. V. Religio paganica suos habuit cultores undequaque honestos et virtuosos, ita ut datæ fidei, sobrietatis, temperantiæ, pudicitiae et fortitudinis eximia reperias documenta inter Paganos, qui non omnino omnes aut ita delirabant, aut ita furebant circa cultum suorum Numinum, prout nuper assertum fuit.

Resp. Vera virtus ex fine dignoscenda atque æstimanda est. Quæcumque grandia patravit antiquitas ethnica, non ex studio laudis et gloriæ divinæ, sed ex spiritu superbiæ et laudis propriæ cupidine profecta sunt ; veræ proin virtutis laude carent. Et virtus sit, quæ parum boni, mali vero plurimum aspersit factis Gentilium ? fœdatur Lucretia nolens, et se dolori impar trucidat ; quid non hic mali ? servat fidem Attilius Regulus datam hostibus ? idem atheus præstat in suam vel patriæ gloriam. Sobrius ac temperans miles Romanus prædicatur ; sed idem ferro et flammis universum orbem invadit, succendit, depopulatur. Et virtus sit ibi, ubi sunt secretæ, non raro manifestæ Gentilium abominationes, quas nec ipsi scriptores ethnici siluerunt, et nervose insectatus est PAULUS ?

Sint vero etiam ac fuerint inter ethnicos ethnici « perhonesti, inquit Arnobius, sed audire deprecemur, quot sint aut fuerint numero..... unus, duo, tres : at genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex cæteris omnibus æstimari convenit ». Et ne hi pauculi quidem honesti ex Idololatria, sed ex spiritu, qui ubi vult spirat. Et vere pauculi, cum in celeberrimis ac sapientissimis Rebuspublicis, Romæ, Athenis et Corinthi summa flagitia in aris et templis

honorata fuerint, sacrificiis in publica probra, festis et solemnitatibus in nefandas helluationes deterrimaque spectacula degenerantibus.

§ III. COROLLARIA.

Quam igitur verum est, Deum ceu Ens summum, perfectissimum, necessarium et infinitum non nisi unum esse et unicum esse posse ; tam falsum est, quod Gentes vel ex lumine naturali illam veritatem pervidere non potuerint. Testis est S. CYRILLUS, quod gentiles Philosophi Deum unum maximum, creatorem, rectorem et conservatorem hujus universi agnoverint, a quo alii Dii omnes dependeant. ONATUS Pythagoræus scribit : « imperat omnibus Deus is, qui virtute præstat ; hic universum mundum moderatur et continet ; reliqui Dii cælum eodem, quo tota rerum universitas motu decurrunt, primum illum Deum ordine sequentes ». CICERO : « Deus (inquit) alio modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta et libera, omnia sentiens et movens ». ARISTOTELES : « omnes homines affirmant, Deos esse sub imperio ».

De Poetis testatur S. CHRYSOSTOMUS orat XXXVI. « Poetæ omnes primum principemque Deum universe parentem appellant rerum omnium ». ORPHEUS, SOPHOCLES et PLAUTUS dicunt : « qui est Imperator Divum atque hominum Jupiter ». VIRGILIUS : « o pater, o hominum Divumque æterna potestas ! ». HORATIUS : « qui res hominum et Deorum temperat horis ». OVIDIUS : « moderantem cuncta Deorum ». BEROSUS de Chaldæis scribit, quod Bero sive Jupiter ipsis fuerit creator Universi. STRABO de Æthiopiis, quod unus ipsis Deus immortalis fuerit causa omnium. De Persiis ZOROASTER, quod inter suas leges hanc Dei descriptionem habuerint : « Ens est primum, æternum, immortale, sine socio aut æquali, a se existens perpetuum ». De Romanis et Græcis constat, quod solum Jovem dicerent Optimum, Maximum ; ac idem fere Historici (Rochefort, Du-Tertre, et Sagard) testantur de Indiarum, Sinarum, Africae et Americae populis. Addit Cl. HOOCKE, quod calumnie loco haberent Gentiles, si plures Deos a se invicem non dependentes ab ipsis coli, Christiani edicerent.

SECTIO IV.

DE RELIGIONE MAHUMETANA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Nihil tam vesanum ac impium, quod Rousseau non effutiat. Emilii Tomo III. summopere dilaudat Religionem, quæ tres admittat Revelationes, per quam intelligit Mahumetismum, ceu systema ævi nostri genio accommodatum magis, et præ cæteris Religionibus maxime coherens. Hanc quoque blasphemiam exprimit CUREVUS in opere suo posthumo. Pejus vero delirant alii

et pessime blasphemant, qui non tantum æquiparant Mahumetismo Christianismum, quantum ad utriusque propagationem ac conservationem; sed una cum EDELMANNO aut quovis alio impiissimo auctore libri (de tribus Impostoribus) et Mosen et Christum et Mahumetem eadem imposturæ infamia contaminant. Patescet omnibus mysterium iniquitatis inauditum, ubi de Mahumete, Mahumetis Alcorano et Mahumetis secta, veriora, at simul probatissima viderint.

§ II. THEMATA.

I. Mahumes impostor omnium maximus fuit.

PROBATIO. Impostor facinorosissimus est, qui Dei prophetam se dicit cœlitus submissum ad instituendam Religionem, cum non sit nisi mercatura, fraudibus, latrociniiis et armis inclytus, homo ferus et mulierosus; qui tot vesanos ac impios tradat errores, quot capita doctrinæ; quot doctrinæ suæ discipulos, tot latrocinantes Saracenos; quot raptus et colloquia cœlestia, tot aniles fabulas; quot miracula, tot putida mendacia hominibus imponat; qui sacras Scripturas V. ac N. T. commendat, et ubique tamen totus est in eo, ut pessumdet utrumque; quem suimet contribules quamvis rudes, ob defectum miraculorum (quibus novam doctrinam suam ad instar Mosis et Christi stabiliret), ceu insanum impostorem cum tota familia proseripserunt; qui demum ut sceleratissimus fuit, auctore cœlo scelestus esse voluit. Hæc vero omnia quam exacte conveniant Mahumeti, nemo ignorat, nisi ROCUSSEAU, aut EDELMANNUS aliquis, aliisque Theista, egregii scilicet Mahumetismi encomiastæ, ipsi nihilo meliores Mahumete.

Notum quippe omnibus est, quod Mahumes ære proprio gravis, ut regionis propriæ imperium capesseret, novæ Religionis jecerit fundamenta: notum, quod collectis opibus inflatus et suffultus latrociniiis suorum sequacium in prophetam et principem se erexit: notum, quod suis asseclis bellum prædationemque præceperit dicens, se non cum miraculis, sed cum armis a Deo missum esse: notum, quod capi et interfici mandaverit eos omnes, qui suæ sectæ associari, nec tamen prædones esse voluerint: notum, quod comitalem, quo laborabat, morbum ementitis visionibus et colloquiis cum Gabriele Archangelo oculere solitus: notum, quod desertus a plerisque, ex urbe Medina ceu pseudo-propheta ejectus fuerit: notum, quod prodigii nihil aliud proferre potuerit, quam Lunæ scissæ redintegrationem, suam ad cœlos subvectionem, Cameli secum locutionem, aut similes nœnias: notum, quod, cum miracula ab eo peterentur, ea jam ceu inutilia rejecerit, ut quæ neminem olim converterint; jam increpaverit suorum auditorum infidelitatem, quæ eruptura alioqui pleno fonte prodigia sua cohibeat; jam fassus fuerit (quod primum dici debuerat) se non ad patranda miracula, sed ad aperiendam salutis viam emissum esse: notum, quod negaverit Christum, se dixisse Filium Dei, quod Mariam Christi matrem cum sorore Mosis confuderit; quod non Christum, sed alium ejus loco a Judæis cruci affixum asseruerit: notum, quod uxores duxerit ad minus quindecim; pellices, quantum voluit; quod uxores duas repudiaverit, conjugem sui liberti suam fecerit, et quod mulierum commercio ad orationem accendi se diceret:

notum quod ut orta ex his scandala tolleret, per blasphemam scurrilitatem diceret, concessam sibi privilegio Numinis singulari facultatem, quæ sibi placerent, mulieribus fruendi.

Hæccine nota et necessaria sanctitas in Institutore Religionis, effusa in venerem libido, omnisque pudoris ac continentiae exterminium? hæccine divinitas missionis, velut Antichristum quemdam pro viribus agere veræ Religionis subversorem, qui vitam inter facinora transactam pari morte claudet, propinato scilicet a muliercula veneno, ad experiendum, sitne Mahumes amicus Dei, an sycophanta?

II. Mahumetis Alcoranus absurditatum, contradictionum et blasphemiarum plenissimus est.

PROBATIO. Satis esto, ad exhibendam Alcorani summam impietatem, præcipua ejus capita recensere. Capite II. Deum quidem diligi vult, non vero ex toto corde: Cap. LX. inimicorum dilectionem omnino prohibet: Cap. VI. orationem commendat, sed orantibus præfert strenue pugnantibus: Cap. III. ad eleemosynas hortatur, sed deprædationes omnino præcipit: Cap. II. jejunium præsertim mense Ramadan indicit, sed post diurnam inediam noctem in comensationibus et libidine transigi permittit: Cap. XVII. scribit, Deum præcepisse Angelis, ut Adamum adorarent, et omnes dempto Beelzebub paruisse: Cap. XXXII. velat Alcoranum suum vocari in quæstionem; a Christianis vero suæ Religionis exposcit demonstrationem: Cap. XXXVIII. docet Mahumes, Alexandrum M. venisse ad fontem, in quo sol quiescebat: Cap. LXIV. fabulatur, magnam Lunæ partem sibi in manicam delapsam esse, sed remissam iterum, ut sua Lunæ rotunditas restitueretur: Cap. XLIII. Deum pro se orare fingit: Cap. LVI. fingit Deum sibi præcipientem, juramenta delere: Cap. LXXXVII. Deum jurare ait per ventos siccos et imbriferos, dæmonesque licitorum et illicitorum discretos: Cap. XLIII. cuius uxores quatuor ingenuas permittit, quin tot uxores, quot alere quis possit; easque pro arbitrio dimittendi et mutandi facultatem passim concedit, sibi vero a Deo in omnes mulieres datam esse facultatem seu emptas, seu donatas, seu amitæ, seu materteræ filias, seu volenti gratis succumbere cupientes, ut pro suo velle illas possit vel adjungere, vel semovere, et prius abjectis, si placeant, iterato uti: Cap. III. damnandos asserit omnes, qui Alcoranum non servaverint: Cap. XI. Judæos etiam et Christianos salvos fore pronuntiat: Cap. XIX. converti nolentes ad Mahumetismum jubet interfici: Cap. XII. LIV. LXXXVIII. in beatitudinem suis constituit paradisum, ubi dulcissimæ sint aquæ pomagæ multimoda, fructus varii et decentissimæ ac mundissimæ mulieres, puellæ, quas ducent beati, cum oculis claris et immensis, quorum albugines candidissimæ et pupillæ nigerrimæ; ubi vasis vitreis et argenteis potus velut zinziber soporifer ex fonte Zelsibil administrabitur; ubi vestes sericas et deauratas juvenes induent; ubi timentes possidebunt hortos palmarum et vitium, puellasque consocias et consimiles; hoc est enim donum, optimaque remuneratio Dei.

Num quid vero his absurdius reperias vel apud idololatras? videlicet qualis Legislator vere epicureus, talis lex et Religio; et qualis, nempe bruta

Religio, talis est beatitudo, que brutis conveniat magis, quam aut sapienti philosopho, aut fidei et ingenuo homini.

Vide NATAL. ALEX. Dissert. IV. in Hist. Eccl. Seculi VII... PRIDEAUX et Joannem GAGNIER in vita Mahumetis.

III. Mahumetismus Secta omnium falsissima et turpissima est.

PROBATIO. Religio sic dicta Mahumetana pro auctore suo et capite habet virum a perjurio, incestu, fornicatione, adulteriis, viduarum et patrie suae devastatione famosum. Quippe fraudibus Mahumetis sua debet initia Mahumetismus, armorum violentiae suam diffusionem, conservationem et amplificationem servili timori atque ignorantiae turpissimae, quam vi ipsius legis Mahumetanae ne liceat quidem depellere Alcorani discussione et veritatis accuratioris perquisitione. Tradit et tenet Mahumetismus dogmata de Deo, de Officiis et Fine ultimo hominis Deo ac homine indignissima, permittendo polygamiam a Christo vetitam, repudium ab eodem reprobatum adstruendo, et libidinibus omnia complendo; uti constat ex Alcorano. Totam hominis justitiam absolvit externis ablutionibus et projecta dudum a Deo circumcissione corporis, quam tertio decimo aetatis anno ad Ismaelis imitationem peragit. Sacrificium plane nullum habet contra sensum et morem omnium gentium, quibus inde ab humana origine pro praecipuo cultu divino semper erant sacrificia.

Et quis ausit, hoc monstrum Religionis cum sanctissima castissimaque Christi Religione comparare, aut illam diivinitus institutam praedicare? Nemo certe alius, quam qui ipse, sicut Mahumetis irreligio, omni Religione caret, mortalium pessimus ac turpissimus.

Obj. I. Si Mahumetismus totus quantus a recto et vero deficit; qui potuit tam celeri per Asiam, Africam et Europae magnam partem propagatione efflorescere? qui potuit inter tot victrices de Christiana fide progressus in seculum jam duodecimum perdurare? qui demum valuit ea majestate ac felicitate Imperii quaevis Imperia Christiani nominis superare?

RESP. Quasi vero non fuerint majores progressus Ethnicae superstitionis, et multo latior per antiquum Babylonis Romae gentilis Imperium servilus Idolorum; quam ipsi tamen Mahumetani ceu impietatem detestantur? Ecce, qui ex vastitate Imperii Ottomanici amplitudinem Mahumetismi dimetiuntur, non etiam computant illos Musulmanos, qui hodieum manifestae superstitionis pertasi magno numero deflectunt ad Atheismum? Cur non innumeros fere inter ipsos Mahumetanos recensent Christianos, qui licet a se, vel a communi Romana disjuncti, Mahumetismum omnes execrantur? Cur non recolunt ex recentioribus Annalibus clades maximas Saraceno- rum vel in Hungaria acceptas a Christianis, quibus non raro arma, luna et caudae illorum Cruci Christi substratae jacuerunt? Cur tantopere extollunt sectam, cujus amplitudo et temporaria felicitas non tam rationum momentis, quam armis procuratur? et de qua (eo quod carni et sensibus tam plene indulgeat, ut nullam habeat difficultatem in dogmatibus et vix ullam in factis) mirum potius est, sed Christi promissis adscribendum, quod totum

orbem necdum impleverit? Ecce autem illud prodigium longe maximum non commemorant, quod Religio Christiana (quam sensibus et concupiscentiis adversa, quam carni et voluptatibus inimica, quam mundanae gloriae ac omnibus vitiis infesta; tam virtutum maxime arduarum et actuum vere heroicorum in suimet victoria cumprimis studiosa), non obstante tot seculorum dirissima persecutione, atque ipso etiam in sinu Mahumetismi, ejusque promissionum ac illecebrarum, persistit hactenus, persistatque?

Obj. II. Testantur Annales veteres ac recentiores, plerasque gentes ad Religionem quoque Christianam aut illectas, aut vi et armis compulsas fuisse. Id de Imperatoribus Orientis et Occidentis in Seculo IV. et V. certum quoad idololatrias; nec minus certum de Germanis, Hungaris, Normannis, Suevis et Danis in posterioribus Seculis; non ergo hic modus propagandi Religionem praedjudicat Mahumetismo.

Ita BAYLE in Dictionario Critico, artic. *Mahomet*.

RESP. Quantum sit discrimen inter illas Ethnicorum et Mahumetanorum furias ad suam irreligionem orbi obtrudendam, ac inter Christianismi per orbem propagationem, discat BAYLIUS ex LACTANTIO: «at nos contra (inquit sub initium Seculi IV.) non expetimus, ut Deum nostrum, qui est omnium, velit, nolit, colat aliquis invitus, nec si non voluerit, irascimur.... et cum tam nefanda perpetimur; ne verbo quidem reluctamur, sed Deo remittimus ultionem, non ut ii faciunt, qui defensores Deorum suorum videri volunt, et seviunt efferati adversus non colentes». L. IV. Inst. c. 20. Et quid demum armis Christianorum, hoc est, docendo, patiendo et moriendo per tria priora secula effectum? Vixdum a Constantino sublatum est vexillum Crucis ac libertatis Christianae, et Romanus orbis, quin totus pene occidens atque oriens Christianum se vidit et obstupuit.

Esto igitur, quod dominante jam Religione Christiana rebelles adhuc tanto lumini gentes aliquae armorum metu transierint ad Christi sacra; sic quippe consultum etiam nolentibus, quando quid bonum esset, nescirent; at metu tamen cessante, magno pietatis affectu Christum et Christi fidem coluerunt. Sed Mahumetismus arma habet pro essentiali regula; armis propagata fuit superstitio Mahumetis, cujus non nisi arma in ore, in corde, in manu gerentis effatum hoc erat praecipuum, «miraculis sibi opus non esse, armis Religionem suam stabiliendam».

Obj. III. Nec desunt tamen sua Mahumetismo prodigia; videlicet quod sepulchrum Mahumetis sublime pendeat medio in templo: quod Alcoranus e caelo submissus et per Gabrielem ad Mahumetem fuerit delatus: quod Mahumetis caelos caelorum conscenderit, ac ibi hanc sententiam arabice scriptam legerit; «non est Deus praeter Deum, ejusque propheta est Mahumet»: quod voci prophetae columba obedierit, et haec illius aurem ore suo leniter percusserit....

RESP. Somnia non pendet, sed humi jacet sepulchrum impostoris; quod si penderet, vi magnetica elatum penderet; quid in hoc miraculi? Non e caelo demissum, sed ex orco submissum potiori jure dixeris Alcoranum, in quo nihil ullibi deprehendas dignum majestate Religionis, nisi forte in primo jamdum Capite, quod inscribitur de vacca. Raptus Mahumetis ad caelum,

quem Mosseï Doctores inter ipsos Mahumetanos plerique æstimant seu nocturnam visionem, nobis fabula est, donec Archangelus Gabriel, qui solus itineris divini comes fingitur, illius veritatem edoceat; alioqui credendum cuius pseudo-prophetæ et tenebrioni de suis prodigiis enarranti, si citra ullam probationem habenda sit fides. Idem esto iudicium de columba, de camelo, et de quavis alia simili nœnia Alcorani.

Quam ergo putidum est, quod Incredulos non pudeat, ejusmodi præstigias Mahumetis omni evidentia facti destitutas, et unius Mahumetis, hominis aperte mendacis, improbi, luxuriosi et ambitiosi testimonio nixas in medium afferre, non alio consilio, quam ut miracula Christi et Christianorum tantopere testata, et Religionem sexcentis jamdum annis ante Mahumetem iisdem stabilitam evertant?

Obj. IV. Doctrina fere omnis Alcorani a superstitione vindicari potest, si dicatur Mahumes in multis locutus parabolice aut allegorice, ad eum fere modum, quo Christus in Evangelio ad beatitudinem adumbrandam cibi, potus et mensæ typis utitur.

Atque hoc non ita pridem RELANDUS præstitit in Libro. *La Religion des mahométans, exposée par leurs propres Docteurs, 1721*:

RESP. Christus allegorias, quas hinc inde suæ doctrinæ admiscuit, alibi et ipse, et per suos Novæ Legis præcones abunde dilucidavit. Nullius etiam depravati sensus latebat hic suspicio, ubi Christus virgo et virginis filius castimoniam, quam ipse impense coluit, per suos voluit prædicari; constituens paradisi gaudia in visione Dei, et a resurrectione etiam nuptias procul amandans. Mahumetismi autem vita omnis cum ad venerea fuerit projecta, totaque ejus felicitas in mulieribus, quis credat hausisse hircum sua e limpidis fontibus spiritualium gaudiorum? et quis suorum de rudi plebe discipulorum, non omnia Magistri verba, juxta mores et vitam Magistri litteraliter interpretatus, suam fidem, mores et felicitatem posuerit in carnis mundique illecebris ac voluptatibus?

RELANDUS, Missionarios æque ac alios quosvis, qui rem habent cum Mahumetanis, admonet, sedulo cavendum esse, ne illam sententiam *La Allah, Ellalah Mahomed vesul Allah*, vel per jocum repetant, alias vel morte plectendi, prout non ita pridem incauto juveni græco contigit; vel ejuranda erit fides Christiana: item ut ne in rabiem agantur Mahumetani (nunquam sic convertendi), abstineant a diceriis vel in Alcoranum, vel in Mahumetem, et ne quid falsi huic imponant; sed potius ad instar dubii aut inquisitionis in mores, in missionem, in librum Mahumetis deducant ex absurdis ad absurdiora, quo possit Mahumetanus seipso, ni stipes sit, colligere Mahumetis, Alcorani ac Mahumetismi perversitatem. In hoc profecto laudem meretur RELANDUS; non item quod in suis vindiciis Mahumetismi a criminibus falso impactis, adstruere videatur salutis possibilitatem pro omni Religione. Hoc enim quamvis tentari possit a Turca; a scriptore autem Christiano plane abhorret.

SECTIO V.

DE VETERUM PAGANORUM ET MAHUMETANORUM TESTIMONIIS PRO VERA RELIGIONE.

§ I. PRÆCOGNITA.

Tametsi Paganicæ ac Mahumetanæ superstitionis probra omnium oculis pateant ad proborum omnium detestationem, ut adeo Veræ Religionis summus sit honos, divexari ab ejusmodi hostibus, a quorum summa impietas illius sanctitas toto cælo distat; attamen increduli cum suo VOLTAIRIO, quo veram ac præprimis Christianam Religionem novis identidem conviciis prostituunt, ad Ethnicos confugiunt, sic fere argutati: Si Mundo condito coæva est Revelatio; si Religio Mosaica a Deo instituta tot seculis effloruit; si fides Christiana Dei filium auctorem habuit, qui tot tantisque signis et suam et suæ Religionis divinitatem comprobavit in Palæstina Romani Imperii tam spectabili provincia; ecur Revelationes istæ omnium seculorum scriptoribus ethnicis incognitæ fuere? Ecur Romæ, Romano Senatui, Romanis Imperatoribus tempore Christi de Christo et miraculis Christi nihil unquam innotuit?

At vertamus arma incredulorum in ipsos incredulos: si nunquam in Mundo exstitit Revelatio seu Mosaica seu Christiana, certos præferens divinitatis characteres; ecur inde a primordiis æræ christianæ Tacitus, Thallus, Suetonius, Phlegon, Chalcidius, Celsus, Porphyrius et Plinius, omnes ethnici Scriptores; ecur Pilatus adeo et Imperatores ethnici, Tiberius, Hadrianus, Alexander Severus, et Julianus Apostata de Christo, de Miraculis Christi, de sanctitate Legis Christianæ tam aperte eloquuntur, apertissime vero Mahumes ejusque Alcoranus? Ecur antiquissimi Scriptores (quorum fors nomina vix norunt, qui nosse omnia videri volunt) Sanchoniaton, Hesiodus, Megasthenes, Euripides, Berosus, Alexander Polyhistor, Artapanus, Numenius, Diodorus Siculus et horum similes de Revelatione, quæ vixit et ante Mosen, et sub Mose, et post Mosen, ab hoc vero libris primitus consignata fuit, tam abunde testantur? En! quam sit mentita iniquitas sibi, cui majori jam probro os ut oppilectur; sit

§ II. THEMATA.

I. Non defuerunt inter ethnicos scriptores antiquissimi testes Revelationis præsertim Mosaicæ.

PROBATIO. Revelationes sunt, quas ex Scriptura sacra vel ex Traditione certas tenemus de Mundi origine per architectum et gubernatorem Deum, de homine ad imaginem Dei ex terra formato et animantibus cunctis præposito, de religione servandi Sabbati, de præcepto non gustandi fructum ex

quem Mosseï Doctores inter ipsos Mahumetanos plerique æstimant seu nocturnam visionem, nobis fabula est, donec Archangelus Gabriel, qui solus itineris divini comes fingitur, illius veritatem edoceat; alioqui credendum cuius pseudo-prophetæ et tenebrioni de suis prodigiis enarranti, si citra ullam probationem habenda sit fides. Idem esto iudicium de columba, de camelo, et de quavis alia simili nœnia Alcorani.

Quam ergo putidum est, quod Incredulos non pudeat, ejusmodi præstigias Mahumetis omni evidentia facti destitutas, et unius Mahumetis, hominis aperte mendacis, improbi, luxuriosi et ambitiosi testimonio nixas in medium afferre, non alio consilio, quam ut miracula Christi et Christianorum tantopere testata, et Religionem sexcentis jamdum annis ante Mahumetem iisdem stabilitam evertant?

Obj. IV. Doctrina fere omnis Alcorani a superstitione vindicari potest, si dicatur Mahumes in multis locutus parabolice aut allegorice, ad eum fere modum, quo Christus in Evangelio ad beatitudinem adumbrandam cibi, potus et mensæ typis utitur.

Atque hoc non ita pridem RELANDUS præstitit in Libro. *La Religion des mahométans, exposée par leurs propres Docteurs, 1721:*

RESP. Christus allegorias, quas hinc inde suæ doctrinæ admiscuit, alibi et ipse, et per suos Novæ Legis præcones abunde dilucidavit. Nullius etiam depravati sensus latebat hic suspicio, ubi Christus virgo et virginis filius castimoniam, quam ipse impense coluit, per suos voluit prædicari; constituens paradisi gaudia in visione Dei, et a resurrectione etiam nuptias procul amandans. Mahumetismi autem vita omnis cum ad venerea fuerit projecta, totaque ejus felicitas in mulieribus, quis credat hausisse hircum sua e limpidis fontibus spiritualium gaudiorum? et quis suorum de rudi plebe discipulorum, non omnia Magistri verba, juxta mores et vitam Magistri litteraliter interpretatus, suam fidem, mores et felicitatem posuerit in carnis mundique illecebris ac voluptatibus?

RELANDUS, Missionarios æque ac alios quosvis, qui rem habent cum Mahumetanis, admonet, sedulo cavendum esse, ne illam sententiam *La Allah, Ellalah Mahomed vesul Allah*, vel per jocum repetant, alias vel morte plectendi, prout non ita pridem incauto juveni græco contigit; vel ejuranda erit fides Christiana: item ut ne in rabiem agantur Mahumetani (nunquam sic convertendi), abstineant a diceriis vel in Alcoranum, vel in Mahumetem, et ne quid falsi huic imponant; sed potius ad instar dubii aut inquisitionis in mores, in missionem, in librum Mahumetis deducant ex absurdis ad absurdiora, quo possit Mahumetanus seipso, ni stipes sit, colligere Mahumetis, Alcorani ac Mahumetismi perversitatem. In hoc profecto laudem meretur RELANDUS; non item quod in suis vindiciis Mahumetismi a criminibus falso impactis, adstruere videatur salutis possibilitatem pro omni Religione. Hoc enim quamvis tentari possit a Turca; a scriptore autem Christiano plane abhorret.

SECTIO V.

DE VETERUM PAGANORUM ET MAHUMETANORUM TESTIMONIIS PRO VERA RELIGIONE.

§ I. PRÆCOGNITA.

Tametsi Paganicæ ac Mahumetanæ superstitionis probra omnium oculis pateant ad proborum omnium detestationem, ut adeo Veræ Religionis summus sit honos, divexari ab ejusmodi hostibus, a quorum summa impietas illius sanctitas toto cœlo distat; attamen increduli cum suo VOLTARIO, quo veram ac præprimis Christianam Religionem novis identidem conviciis prostituunt, ad Ethnicos confugiunt, sic fere argutati: Si Mundo condito coæva est Revelatio; si Religio Mosaica a Deo instituta tot seculis effloruit; si fides Christiana Dei filium auctorem habuit, qui tot tantisque signis et suam et suæ Religionis divinitatem comprobavit in Palæstina Romani Imperii tam spectabili provincia; ecur Revelationes istæ omnium seculorum scriptoribus ethnicis incognitæ fuere? Ecur Romæ, Romano Senatui, Romanis Imperatoribus tempore Christi de Christo et miraculis Christi nihil unquam innotuit?

At vertamus arma incredulorum in ipsos incredulos: si nunquam in Mundo exstitit Revelatio seu Mosaica seu Christiana, certos præferens divinitatis characteres; ecur inde a primordiis æræ christianæ Tacitus, Thallus, Suetonius, Phlegon, Chalcidius, Celsus, Porphyrius et Plinius, omnes ethnici Scriptores; ecur Pilatus adeo et Imperatores ethnici, Tiberius, Hadrianus, Alexander Severus, et Julianus Apostata de Christo, de Miraculis Christi, de sanctitate Legis Christianæ tam aperte eloquuntur, apertissime vero Mahumes ejusque Alcoranus? Ecur antiquissimi Scriptores (quorum fors nomina vix norunt, qui nosse omnia videri volunt) Sanchoniaton, Hesiodus, Megasthenes, Euripides, Berosus, Alexander Polyhistor, Artapanus, Numenius, Diodorus Siculus et horum similes de Revelatione, quæ vixit et ante Mosen, et sub Mose, et post Mosen, ab hoc vero libris primitus consignata fuit, tam abunde testantur? En! quam sit mentita iniquitas sibi, cui majori jam probro os ut oppilectur; sit

§ II. THEMATA.

I. Non defuerunt inter ethnicos scriptores antiquissimi testes Revelationis præsertim Mosaicæ.

PROBATIO. Revelationes sunt, quas ex Scriptura sacra vel ex Traditione certas tenemus de Mundi origine per architectum et gubernatorem Deum, de homine ad imaginem Dei ex terra formato et animantibus cunctis præposito, de religione servandi Sabbati, de præcepto non gustandi fructum ex

arbore scientiæ boni et mali, de diluvio, de arca Noe servatisque per eam animantibus, de turri Babylonica et linguarum confusione, de prodigiis Mosis, de ritibus et legibus genti Hebrææ impositis. Cum vero de his omnibus apertissima sint testimonia veterum; nimium pertinax sit, qui neget, quod hasce veritates illi didicerint ex Revelatione vel scripta vel tradita; demptisque fabularum additamentis, potissimum ex Pentateucho Mosis, eæ fuerint defloratæ.

De ORIGINE MUNDI scribens Sanchoniaton tenebras, spiritum, chaos sive abyssum ex Genesi commemorat. Laertius in Proæmio, Megasthenes apud Strabonem, Hesiodus in Theogonia Mundi principium aiunt esse molem confusam; ex hac discreta quatuor Elementa et perfecta animalia; Mundum vero uti ortum, ita interiturum esse; simul autem ipsas Mosis voces exprimiunt, Erebum ab *herēb*, Tartarum seu abyssum a *thēom*, Amorem a *merāchephet*, quæ vox columbæ super ovo incubitum significat, et de spiritu Dei super aquas motitante legitur Genesis I. 2.

De CREATIONE HOMINIS, cui Deus os sublime dedit, et quem finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum, canit Ovidius L. I. Metamorphoseos, simul ac exprimit sensum latinum. Euripides adeo cum in supplicibus cecinit de homine per mortem reversuro in pulverem, unde sumpserat primordium, « et ad brevis ævi tempus spiritus cælo redeat, corpusque terræ; » nonne respexit ad Genesis caput III. « *Revertaris in terram, de qua sumptus es;* » et ad Cap. XII. Eccles. « *Revertatur pulvis in terram, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* » De lapsu primi hominis ob esum pomi vetiti ad vocem serpentis, Chalcidius ad Timæum ex libro Genesis describit omnia, quem et Mosis librum diserte tribuit. Quo spectat etiam mos ille in Græcorum mysteriis, monstrandi serpentem cum acclamatione, *Eva*.

De DILUVIO ET ARCA Berossus scripta secutus antiquissima, Abydenus Assyrius in suis Commentariis, Alexander Polyhistor apud S. Cyrillum, Lucianus in Libro de Dea Syria, dilucide ac copiose enarrant ferme totidem Mosis verbis; ex his vero alius Noemum appellat Xisuthrum, alius Deucalionem, qui solus ad secundi generis exordium relictus sit, alius Noachum generis nostri auctorem servatum, cum ea ad cacumina Armeniorum montium se applicuisset...

De SABBATO seu de consuetudine septimi diei celebrandi Numenius: « quid aliud Plato est, quam lingua attica loquens Moses? » sed hæc omnia obsignet Sabbati Religio, quæ jam olim pertigisse ad omnes gentes videtur: Homerus: « septima sacra dies reserato illuxerat orbi »: Hesiodus: « lux septima sancta est ». Quibus accinunt Callimachus, Suetonius, Diogenes grammaticus...

MIRACULA MOSIS, RITUS ET LEGES JUDEORUM, prout ista libris Exodi, Levitici, Numerorum et Deuteronomii continentur, innotuisse gentilibus, manifestum est ex Artapani opere de Judæis, ex Numenii Libro III. de Bono, ex Diodoro Siculo, qui de *εργασίας νόμοις*, de transitu maris rubri, de submersione Pharaonis, de virga Mosis, de farina e cælo deplua, de gravissimis calamitatibus a Museo duce Judeorum in Ægyptum invectis, et quibusvis aliis clarissime effantur. Item ex Græcorum Sacris, quorum nulla teste Plinio offerebantur sine mola salsa, juxta illud Mosis: *in omni oblatione tua offeres sal*. Ex lege Numæ Regis, qua, teste Porphyrio, nullum in templis Dei

simulacrum tolerabatur usque ad annum 170 ab urbe condita, juxta illud Deut. V. *non faciēs tibi sculptilē*. Ex Platonis Republica ad Deuteronomii leges in multis adornata. His adde superius adducta gentilium sensa de Providentia Dei, de animæ immortalitate, de pœnarum ac præmiorum æternitate, quorum et similium dogmatum certitudinem ex Revelatione hauserant.

Prædicta veterum testimonia reperies collecta apud EUSEB. præp. Evāg. L. I. c. 10... L. IX. c. 8. 12. et 27. Apud CLEM. ALEX. L. I. et V. Strom. et in Protreptico. Apud CYRILL. ALEX. L. I. cont. Julianum.

II. Prostant luculentissima gentilium testimonia de Revelatione etiam Christiana.

PROBATIO. Summa capita Revelationis Christianæ his fere continentur; Christum Dei filium ejus auctorem esse; doctrinam Christi et Christianorum fidem ac vitam esse plenam sapientia et sanctitate; Christi et Christianorum miracula vera et maxima esse prodigia. Atque de his quæ et quanta non extant gentilium testimonia? Nam

1°. TIBERIUS cum ex Actis per Pilatum transmissis Christi divinitatem cognovisset, retulit ad Senatū cum prærogativa suffragii sui, ut inter Deos adlegeretur, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. ALEXANDER SEVERUS, inter Romanos Imperatores facile sapientissimus, Christo quem suo in Larario matutinis horis coluit, templum destinaverat. HADRIANUS ut omnia templa Christo consecraret, ea in omnibus civitatibus sine simulacris fieri jussit. PORPHYRIUS, furoris sui in Christum immemor, Christum tum suis, tum Deorum suorum encomiis extollit, scribens, mirum forsitan nonnullis videri, quod Christum Dii summe religiosum fuisse, immortalēque factum esse prodiderint, et de illo cum laude mentionem fecerint.

2°. ALEXANDER SEVERUS summo in pretio habuit doctrinam Christi, ut illius sententiam: « quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris »: et in palatio, et in publicis operibus præscribi juberet. Plinius TRAJANO testis fuit, « hæc esse Christianorum summam culpæ vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent... ». ANTONINUS Imp. laudat constantiam christianorum, « qui pro Deo suo lubentius moriantur, quam incolumnes remaneant, et majorem tunc fiduciam in Deo collocent, cum terræ motibus aliisque flagellis quatiuntur ». JULIANUS Apostata, quamvis infensissimus hostis Christi, tanta in æstimatione habuit Christianismum, ut suum paganismum eidem totis viribus conformare adniteretur.

3°. THALLUS et PILEGON præter eximiam Christi prophetiam de Excidio Hierosolymæ, memorant de excellenti inter omnes, quæ ante illam acciderant, defectione solis facta ad eum annum Olympiadis, qui respondet emortuali anno Christi, quæ et in Annalibus Romanis et Tabulariis publicis fuit consignata. CELSUS et PORPHYRIUS, quamvis Hieronymo teste rabidi canes adversus Christum, in ipsa adeo libris, queis insectantur Christianos, fatentur Jesum patrasse miracula; ac ille quidem: « credidistis, inquit, cum esse Dei filium ideo, quod claudos et cæcos sanavit ». JULIANUS Apostata (quis un-

quam hostis Christianismi deterior ac sceleratior?) « Jesus, ait, qui spiritibus imperabat, et in mari gradiebatur »; cujus et innocentiam et miracula et vaticinia, quamvis invitus, fateri debuit maxime in illo suo vano molimine templi Jerosolymitani rursus ædificandi. Et vel hæc sola Celsi, Porphyrii et Juliani elogia abunde sufficiunt ad veritatem ac divinitatem christianæ Revelationis ex paganorum confessione stabiliendam, quin necessarium sit, illa etiam Taciti, Suetonii et Chalcidii longius enarrare.

Singulorum fidem faciunt TERTULL. Apolog. C. 5. ORIGEN. L. II. cont. Celsum. LAMPRID. in vita Severi. EUSEB. L. IV. Hist. Eccl. C. 12.... Præp. Evang. L. V. CYRILL. ALEX. Cont. Jul. L. VI. S. AUG. in LL. de Civ. Dei. Novissime autem et copiosissime P. Dominicus DE COLONIA S. J. in Libro: *la Religion Chrétienne autorisée par le témoignage des auteurs payens*.

Memoratu vero dignissimum videtur illud testimonium, quod post Eusebium Huetius enarrat ceu prodigium, prop. II. C. 136; et ex Huetio his verbis depromptum extat: Thamus ægyptius navis rector, cum in Italiam tenderet, jamque Echinadas insulas præternavigaret, vento confestim remittente vocem ad Paxas insulas audiit, quæ appellato ex nomine Thamo jussit ipsum, simul ac appulisset ad portum Pelodem, clamare, magnum Pana esse mortuum. Paruit ille, eaque, quam jussus fuerat, voce edita ejulatus auditi sunt, quasi Panos necem gementium. Vectores Romam delati portentum vulgaverunt. Pervenit illud ad Tiberium, qui et a Thamo ipso de re certior factus hominum eruditorum sententiam super ea exquisivit.

Narrat id apud PLUTARCHUM Æmilianus Rhetor, ut sibi a patre suo Ephiterte rei teste traditum. Atque id convenit in tempus mortis Christi, qui verus Pan est, rerum omnium parens et totius naturæ auctor.

III. Splendida sunt Testimonia Mahumetis et Mahumetanorum pro Divinitate Revelationis et Mosaicæ et Christianæ.

PROBATIO. Credidit et credendum reliquit in Alcorano Mahumes, quod locutus sit Deus olim quidem Mosi et Prophetis, novissime autem « Christo Mariæ filio commiserit Evangelium ceu lumen, confirmationem et complementum Veteris Testamenti, rectamque viam omnibus timentibus Deum ». Adstruit miracula plurima a Christo patrata, de quo in colloquio Angelorum ad Mariam ait: « Mariæ filius cæcos et claudos curabit, leprosos emundabit, mortuos creatore cooperante vivificabit, quæ cuncta a credentibus in Deum miracula censentur. Vetus Testamentum confirmabit: quædam tamen prius prohibita licitis annumerabit, seque divina virtute potentiaque venisse patefaciens inquiet: timentes Deum me sequimini ». Ipse in suo ad coelos raptu Christi in septimo cælo omnium supremo constituti precibus se commendasse fatetur. Demum diserte Mahumes enuntiat: « omnes boni Deo serviant, ut Christus Jesus Mariæ filius persuasit ».

Quid vero illustrius pro Revelatione Veteris ac Novi Testamenti; et quid probrosum magis pro incredulis dici aut cogitari potest, quorum adeo incredulitas ab impostore maximo tantopere confunditur; Quid iis futurum esset, ubi suas in Christum blasphemias vel inter Mahumetanos eructarent? Exemplo sit illud, quod narrat ex oculato teste editor RELANDI; videlicet

Mahumetanos Christum venerari adeo, ut e suis unum, qui adversus puram Christi nativitatem blasphemaverat, palo transfigi jusserint Constantinopoli.

Hæc et his similia exhibet ALCORANI AZOARA V. XII. XIII. XXIX..... Consule, si vis, Chardin, *Voyage de Perse*, Tom. X..... HERBELOT Bibliot. Orient....., RELANDI Not. in Compend. Theolog. Mahum.

Obj. Si tam illustria de Christo, de Christi et Christianorum miraculis testimonia vigerunt inter gentiles, præsertim Romanos; cur nunquam effectui datum, quod de Imperatorum propensione in Christi sacra hactenus enarratum fuit? Cur primi Christiani ea non identidem opposuerunt gentilibus? Cur Suetonius, Tacitus et præprimis Mahumes tot falsitatibus et fabulis ea omnia contaminarunt, quæ de Christo et Christianis commemorant? Sane quæ ex mendaciis et naniis accersitur, nulla est auctoritas divinæ Revelationis.


RESP. Sic est apud incredulos. Testatissima ex verbo Dei scripto et tradito, ex universali sensu et consensu Apostolorum, Discipulorum, Martyrum, omniumque Christianorum inde ab initio Ecclesiæ pro veritate Revelationis christianæ argumenta depromis; rident et explodunt omnia, eo quod gentiles illorum temporum scriptores ac ethnicos Imperatores ea prorsus latuerint. Horum vero etiam sat luculenta, nec minus splendida testimonia producis; æque et ista rident atque exprobrant christianis, quod in fabulis et falsitatibus gentilium suæ Revelationis ponant fundamenta. Verum jure optimo ista incredulorum cavillamenta attribuas inveteratæ eorum pervicaciæ; et illam in Romanis Imperatoribus minorem efficaciam, et in Scriptoribus ethnicis tenebras luci offusas Romanorum fastui, Romæ immerse voluptatibus incuriæ, judææ gentis summo inter Romanos despiciatui, ac cumprimis dominantis illo tempore idololatriæ, quæ nihil prorsus movebatur, tametsi de eclipsi illa in morte Christi palam affirmaret Magistratui Romano TERTULLIANUS: « eum Mundi casum in Archiviis vestris habetis ». Quamvis Origenes, Minutius Felix, Lactantius et S. Lucianus Martyr inde contra gentiles pro divinitate Christi tam firmum eruerent argumentum, ut Celsus et Porphyrius ad ejus vim obmutescerent. Quamvis a Justino, Tertulliano et Eusebio contra ethnicos sæpe, magnaque animi firmitate provocatum sit ad tabellaria publica Romana, quibus Pilati relatio de vita, miraculis et morte Christi inserta tertio etiamnum seculo vigeat.

Hæc ergo Paganorum qua cæcitas, qua infelicitas fuit, quod luce Revelationis non collustrati veris falsa miscerent, et falsa magis crederent, quam vera, suis utpote superstitionibus ac libidinibus adversantia. Hæc vero incredulorum summa improbitas est, quod lucem, in qua ambulabant, extinguere, et cæci esse malint, ut impii ac miseri esse possint.

§ III. COROLLARIA.

En impudentiam, proterviam, impietatem Theistarum contra universalem orbis consensionem! Si paucos excipias populos in orbe idololatrias, veluti tristes reliquias gentium olim sine revelatione miserrime aberrantium; universum prope genus humanum Judæis, Christianis et Mahumetanis comprehendes. Sed Christianus per Filium adductus ad Patrem veneratur pro-

phetiam, quæ hunc Dei Filium annuntiavit, suamque Religionem habet pro complemento Judaicæ. Mahumetanus et ipse reveretur prophetiam, quin et Messiam Christianorum (cui tamen successerit suus Mahumes pseudo-propheta), Religionem colit nec judaicam, nec christianam, sed ex utraque monstrose permixtam; utramque vero ante suum Mahumetismum extitisse fateatur, ac proinde non minus, quam Judæus et Christianus Revelationem et fundatam in Revelatione suam credit Religionem. Unus ergo est pusillus grex Theistarum heri coalitus ex quisquiliis gentis humanæ ad contradicendum atque illudendum orbi universo.



DISSERTATIO VI.

DE RELIGIONE JUDAICA.

SECTIO I.


RELIGIO JUDAICA QUONDAM VERA VEREQUE DIVINA.

§ I. PRECOGNITA.

Cum Mundi creatio multis jam seculis esset remotior ab hominum memoria, suscitavit Deus Historiographum sagacissimum, fidelissimum doctissimumque, deputans integrum populum ad custodiam libri ejus, ut præ omnibus scriptis auctoritate summa pollerent Mundi annales, qui tot testes, quot homines gens tota et numerosissima et florentissima haberet. Quotquot etiam de rebus Judaicis scripserunt sive Judæi, sive Christiani, sive Ethnici, de antiquitate et auctoritate Pentateuchi nullum unquam dubium obmoverunt usque ad Spinozam, Hobbesium, Pereirium, et quosdam vanissimos olim Hæreticos. Horum Theistæ vestigia secuti, ut Religionem Christianam (cujus veritatem ex veritate Legis Mosaicæ cum Christus, tum Apostoli non raro demonstrant) quaqua via evertant, Mosen personis romanensibus, et Legem Mosaicam fabulis ac ementitis narratiunculis accensent. Quam quidem Legem alii delirant splendidiori doctrina Alcorani deletam esse; alii ceu plane confictam blasphemant ex eo, quod imitatur familiari Deum inter et Mosen commercio æque fictitio, ac fuerit illud Numæ cum Egeria nympha, Minois cum Jove, et Mahumetis cum Gabriele; alii ceu inventum mere humanum ad scientiæ politicæ (quam in Ægypto Moses didicerat) regulas compositum ab omni Revelatione separant; alii ex Abenezra viro non integræ apud Judæos famæ, ejusque obscuris sententiis asserunt, Pentateuchum non esse a Mose, sed ab alio, qui multis post annis vixerit, quique vera falsis admiscuerit.

His ergo turpissimis incredulorum cavillis opponenda sunt Pentateuchi, qui genuinum est Mosis opus, summa auctoritas, vere divina Mosis legatio, extraordinaria et supernaturalis procuratio Reipublicæ Judaicæ, origo divina Legis Mosaicæ, Legumque Judaicarum fines et institutio sapientissima.

phetiam, quæ hunc Dei Filium annuntiavit, suamque Religionem habet pro complemento Judaicæ. Mahumetanus et ipse reveretur prophetiam, quin et Messiam Christianorum (cui tamen successerit suus Mahumes pseudo-propheta), Religionem colit nec judaicam, nec christianam, sed ex utraque monstrose permixtam; utramque vero ante suum Mahumetismum extitisse fateatur, ac proinde non minus, quam Judæus et Christianus Revelationem et fundatam in Revelatione suam credit Religionem. Unus ergo est pusillus grex Theistarum heri coalitus ex quisquiliis gentis humanæ ad contradicendum atque illudendum orbi universo.



DISSERTATIO VI.

DE RELIGIONE JUDAICA.

SECTIO I.

RELIGIO JUDAICA QUONDAM VERA VEREQUE DIVINA.

§ I. PRECOGNITA.

Cum Mundi creatio multis jam seculis esset remotior ab hominum memoria, suscitavit Deus Historiographum sagacissimum, fidelissimum doctissimumque, deputans integrum populum ad custodiam libri ejus, ut præ omnibus scriptis auctoritate summa pollerent Mundi annales, qui tot testes, quot homines gens tota et numerosissima et florentissima haberet. Quotquot etiam de rebus Judaicis scripserunt sive Judæi, sive Christiani, sive Ethnici, de antiquitate et auctoritate Pentateuchi nullum unquam dubium obmoverunt usque ad Spinozam, Hobbesium, Pereirium, et quosdam vanissimos olim Hæreticos. Horum Theistæ vestigia secuti, ut Religionem Christianam (cujus veritatem ex veritate Legis Mosaicæ cum Christus, tum Apostoli non raro demonstrant) quaqua via evertant, Mosen personis romanensibus, et Legem Mosaicam fabulis ac ementitis narratiunculis accensent. Quam quidem Legem alii delirant splendidiori doctrina Alcorani deletam esse; alii ceu plane confictam blasphemant ex eo, quod imitatur familiari Deum inter et Mosen commercio æque fictitio, ac fuerit illud Numæ cum Egeria nympha, Minois cum Jove, et Mahumetis cum Gabriele; alii ceu inventum mere humanum ad scientiæ politicæ (quam in Ægypto Moses didicerat) regulas compositum ab omni Revelatione separant; alii ex Abenezra viro non integræ apud Judæos famæ, ejusque obscuris sententiis asserunt, Pentateuchum non esse a Mose, sed ab alio, qui multis post annis vixerit, quique vera falsis admiscuerit.

His ergo turpissimis incredulorum cavillis opponenda sunt Pentateuchi, qui genuinum est Mosis opus, summa auctoritas, vere divina Mosis legatio, extraordinaria et supernaturalis procuratio Reipublicæ Judaicæ, origo divina Legis Mosaicæ, Legumque Judaicarum fines et institutio sapientissima.

§ II. THEMATA.

I. *Pentateuchus est genuinum Mosis opus.*

PROBATIO. Ex fide publica tum vocali tum reali evidentissimum est, extitisse Mosen Pentateuchi verum auctorem. Quippe

1^o. Constans semper fuit, et consentiens de hac re omnium hominum vox et opinio ab hac nostra ætate ad remotissima Mosis tempora. Ita credidit ætas Christiana, hoc est, a dissolutione Reipublicæ Judaicæ omnes non solum Judæi et Christiani, quorum magis intererat; sed etiam Ethnici, ut Appion, Diodorus Siculus, Strabo, Celsus, Porphyrius, Trogus Pompeius, Plinius, Longinus et Julianus, qui fere omnes contra Judaicam et Christianam Religionem scripserunt. Ita credidit ætas Hebræorum Pontificia, hoc est, a reedificatione Urbis usque ad interitum Reipublicæ omnes tam Judæi, præsertim Philo, Josephus, Paraphrastæ Chaldaici, Mischna Judæorum ex antiquissimis Scriptoribus, Auctor libri secundi Machabæorum et LXX Interpretes, quam alienigenæ, quorum fragmenta nobis servarunt Justinus Martyr, Clemens Alex. Eusebius et alii apud Huetium, cum primis autem Samaritani, quamvis a Judæorum communione repulsi iisdemque inimicissimi. Id ipsum testantur ipse Pentateuchus, Libri Josue, omnes Scriptores sacri, sive Prophetæ, sive Psalmographi, sive Historici, quos inter Esdras, quem suspicatur Sæsoza auctorem Pentateuchi, se nuncupat scribam velocem in Lege Mosis. Ergo perpetua traditione constat, semper extitisse Mosis genuinum opus, et Pentateuchum esse istud opus.

2^o. Ipsa pariter monumenta temporum atque ipsarum rerum fides aperitissime suffragantur: nam quæ ab origine Reipublicæ per Mosen constituta sunt, ita cum historia Pentateuchi concordant, ut nulla sit res gesta alicujus momenti, quæ non sit etiam symbolis et institutis expressa. Equid enim festum Azymorum, Agni Paschalis ritus, primogenitorum omnium redemptio et Levitarum consecratio loco primogenitorum aliud eloquuntur, quam interfectionem primogenitorum Ægypti et populi Israel immunitatem ab hac plaga, Ægypto cum præcipitatione relicta? Nonne Legis Tabulæ jussu Dei in Arca servatæ ad usque captivitatem Babylonicam confirmabant res gestas ad montem Sinai? Numquid mensura Mannæ ad latus Arce reposita populi cibum per 40 annos cœlitus subministratum, et virga Aaronis induta foliis ibidemque reposita confirmatum a Deo Aaroni ejusque posteris Sacerdotium demonstrabant? Laminæ aureæ altari affixæ nonne in perpetuum designabant interitum Levitarum cum Core, Dathan et Abiron rebellantium, in hujus rei memoriam illic collocatæ? Dum serpens æneus ad usque tempora Ezechie servatus partem aliam Pentateuchi confirmaret.

Sane Tabernaculum, Arca Fœderis, Sacerdotum consecratio, vestes et varia munera, Sacrificiorum ceremoniæ, Purificationes, Familiarum genealogiæ, Tribuum Ruben et Gad cum dimidia tribu Manasse habitatio trans Jordanem, divisio terræ Chanaan, diei initium a vespere sumptum, asyla et aliæ constitutiones, quæ certissime omnes cœvæ fuerunt Reipublicæ, totum Pentateuchum ita exponunt ac complectuntur, ut necesse sit, legem scriptam

et consuetudines illas æqualis esse antiquitatis, atque ex his illam accipere maximam auctoritatem.

Si vero magna insania est, non subscribere fidei publicæ circa Æneidem Virgilio, Homeri Iliadem aut Mahumetis Alcoranum; summa erit vesania, summæ auctoritati et evidentie morali maximæ circa Pentateuchum, ceu genuinum Mosis opus obstrepere; cum per tria annorum millia et amplius ne unus auctor gravis vel levissimam fraudis suspicionem significaverit, cum magnæ gentis tabularia, in quibus autographum Mosis servatum fuit, fidem faciant; cum monumenta ab origine Reipublicæ totius illius Libri imaginem exhibeant; cum testes habeat omnes Reipublicæ Judaicæ cives, quorum mores vitæque civilis et domestica ad illius præscripta componi debuerat; cum in omni ætate plures fuerint, quorum maxime intererat, fraudem fore latentem detegere, in ætate christiana Celsus, Appion, Porphyrius, Julianus aliique hostes nostræ Religionis; ante æram christianam Samaritani, et tempore Antiochi Judæorum persecutores; ante Captivitatem Babylonicam Jeroboam Regesque impii, qui adeo Legibus Mosaicis erant infesti, ut Religionem patriam mutare conati sint.

II. *Moses fuit Scriptor omnium primus et fide dignissimus.*

PROBATIO. Quos Græcia celebrat antiquissimos scriptores, Trojano excidio posteriores fuere HOMERUS et HESIODUS. SANCHONIATON illis etiam vetustior rerum judaicarum scriptor fuit a Mosis ætate disjunctus, teste Porphyrio. TAANTUS græce Ἐρανος hoc est, Mercurius, qui scriptorum omnium primus prædicatur, et vetustissimus (prout multis erudite ostendit Huetius) ipse est MOSES. Artapanus etiam, Polyhistor et Eupolemus testantur, « Mosen primum sapientem fuisse, Judæisque primum litteras tradidisse, a quibus eas Phœnicæ, et a Phœnicibus Græci acceperint, eundemque Judæis leges primum condidisse ». Certum denique, tum quod Phœniciam quondam, tum Judæam, hodie Palæstinam dictam incoluerint Hebræi; tum quod Græcæ litteræ Hebræorum nominibus quidem simillimæ, his tamen uti propriam et singularem quamdam significationem (quæ apud Græcos locum non habet) ita antiquitatis prærogativam cedere debeant. Verbo uno, nullus in hunc diem scriptor Mose antiquior produci potuit.

Scriptoris autem fide digni partes sunt pietas in Deum, quam vere tenerimam in Mose circa divinæ sapientiæ, bonitatis et potentiæ laudes, admirationem atque amorem spirant singulæ paginae Pentateuchi. Studium virtutis, quod quantum in Mose exarserit, probant omnes illæ leges, quas pro extirpandis vitiis sanxit, nec non patheticæ ad populum orationes, quibus ad patientiam, ad fiduciam, et ad omnes virtutes excitabat. Fuga ambitionis ac private utilitatis, quam summa animi demissione contemptuque terrenorum MOSES comprobavit nunquam affectans imperium, nunquam publica privatis postponens commodis, populi liberationem contra omnem spem humanam suscipiens cogente Deo, per totam vitam nil præter molestias perferens ac ærumnas, Sacerdotium, summum in Republica munus, conferens Aaroni fratri ejusque filiis in æternam hæreditatem, constituens Josue virum ex alia tribu Ducem populi, propriis filiis in plebem Levitarum

reductis; ipse quidem Dux populi, sed a quo singulis diebus, ni Deus ferat suppetias, mactandus sit. Ingenuitas in confitendis suis et suorum erroribus, in iisdem reprehendis et castigandis sancta severitas, et in omni re candida nec fucata simplicitas; abhorruit autem Moses quam maxime ab assentatione et adulatione, cum singulari constantia suos populo et principibus naevos exprobrans, in propriam familiam severissime animadvertens, nec eas praetermittens historias de vitulo aureo, de Idololatria, de turpi cum Moabitibus foemina crimine, de incestu Judae, de flagitiis fratrum Joseph, quae haud parum gentis suae et atavorum famam laedunt; naevos ipse suos et peccata sine ulla defensione enarrat, tarditatem linguae, Aegyptium a se occisum, fugam suam in Madianitidem regionem, expostulationem cum Deo, concitatam contra se propter omissum circumcissionis ritum Numinis iram, diffidentiam ad aquas contradictionis, ac demum poenam a Deo impositam; nihil admodum commemorat ad famam sibi comparandam, nihil quod per longum tempus gloriose versatus fuerit in Aula Pharaonis potens in verbis et in operibus suis, nihil quod contra Aethiopas duxerit exercitus; homo fere sui oblitus, et solius Dei rebus intentus.

Demum quidquid fere relatum a Mose, id omne consensu Scriptorum profanorum firmatum esse, exhibet Grotius, *L. de Veritate Religionis Christianae*, et Joannes Clericus in notis ibidem. Verissime autem Grotius, « neque vero, ait, cuiquam prudenti credibile fiet, Mosen, qui non Aegyptios tantum hostes habebat, sed et plurimas gentes alias, Idumaeos, Arabes, Phoenicias, vel de Mundi ortu et rebus antiquissimis ea ausum palam prodere, quae aut aliis Scriptis prioribus revinci possent, aut pugnantem sibi haberent persuasionem veterem atque communem, vel de sui temporis rebus ea praedicasse, quae viventium multorum testimoniis refelli possent ».

III. Moses fuit Auctor Pentateuchi Theopneustus, et divina praeditus auctoritate.

PROBATIO. Tam leges, quam doctrina Pentateuchi divinam innuunt inspirationem atque auctoritatem. Quis enim credat, tam grave ac pene intolérable jugum tot praecceptorum in se suscipere voluisse ingentem populum durae cervicis, incircumcisum corde et divinorum beneficiorum saepe immemorem, pronumque ad murmura contra Deum et ad seditionem contra Duces suos, spirantem minas et vindictam, atque ad caedes promptum et alacrem; si ab humana duntaxat potestate fuisset impositum? Durum sane ac perquam difficile, circumcidi omnes masculos, viros omnes ter per annum sistere se Domino, ne pauca quidem ligna colligere in Sabbato, nulla cum extraneis inire connubia, infidam mulierem gravi supplicio plecti, iterata pro peccatis sacrificia offerre, et plura hujusmodi sub poena capitis adeo imperata. Attamen circa haec et sexcenta alia animos intractabiles ita commovit Moses, ut sua lege Judaeos ab omnibus populis divisos in Mundo Idololatrio, atque in omnium errorum colluvione immunes a superstitionis contagione per tot annorum secula servaverit, ut Judaei millies mori mallent, quam ejurare Legem Mosis. At nonne Moses homo erat praesidiis et opibus destitutus; quibus ergo armis id evicit? caelestis quippe auctoritas et missio divina unus erat titulus, munimen et arma Mosis.

Cedant vel unum Theistae Legislatorem tam potentem, sola fretum auctoritate humana! cedant vel unum volumen ex omnium temporum Mythologia, et ex omnium gentium Philosophia, quod perfectissimam in primo ortu Religionem, omnia Religionis et vitae moralis ac civilis praeccepta, omniaque erga Deum, proximum et seipsum officia hominis complectatur, ac Pentateuchus Mosis! In hoc pro lege fundamentali est: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; Deum, qui est, et cujus nomen, Omnipotens, Aeternus, Deus exercituum, cujus verbo caeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum, cujus caelum sedes est, terra autem scabellum pedum ejus, coram quo omnes gentes nihilum, qui dissipat consilia gentium, et Principum consilia reprobat, qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. In hoc sicut unius Dei dilectio, ita gratiarum actio, ita recursus ad Deum in omni necessitate praecipuntur; commendantur boni persecutio, fuga mali, ejusdemque per poenitentiam reparandi media; districte prohibentur furta, caedes proximi, odium fratris, et quaecumque rei alienae appetitio. In illis vero incertum, an Deus sit unus, an Mundi conditor, an rector Universi, an vindex mali, an liber, an spiritus? id certum, quod circa Dei cultum et honestatem vitae erroribus et absurditatibus plerique scateant Libri gentilium Philosophorum ac Poetarum, et si quid circa Deos suos, heroes, auctores Religionis et morum placita hinc inde proferant quadam divinae sapientiae imbutum specie, id omne (Huetio demonstrante) e Mosaicis vel libris vel traditionibus hauserint, ac pro suis inventis Ethnici vendiderint. Quippe ad tam sancta, sublimia et caelestia pertingere nunquam potuit sola ratio, minus etiam mens caeca gentilium, quae, inspiratus a Deo omnis veritatis, veraeque sanctitatis auctore, Moses didicit, ac populo Dei promulgavit.

IV. Lex Mosis, ac proin Religio Judaica, vere fuit divina.

PROBATIO. Vera divinaque Religio his constat praecipue, rectis de Deo sententiis, piis in Deum affectibus et cultu externo honorificentissimo. Nullus vero unquam tanta, quanta Moses dignitate ac energia inculcavit vividam in Deum unum fidem, Dei ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota fortitudine dilectionem, timorem Dei et fiduciam in Deum, devotionem animique demissionem erga Deum; omnia quoque externi cultus officia cum maxima solemnitate juncta, et omnia majestati cultus contraria graviter prohibita; ac omnem denique perfectionem, omnemque sanctitatem. Igitur de Divinitate seu Legis seu Religionis Judaicae nequicquam ambigendum est; praesertim tum quia Legis Mosaicae praecipuus finis erat conservatio verae Religionis in Mundo Idololatrio (quod patet ex pacto Abrahamico in foedere Mosaico partim completo), tum quia Moses Deut. IV. haec ad populum verba fecit: « haec est enim vestra sapientia coram populis, ut audientes praeccepta haec dicant, nec est alia gens tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris »; tum quia Lex Mosis confirmata ac illustrata fuit veris et crebris miraculis (uti erant terribiles Aegypti plagae, transitus maris rubri, Pharaonis cum suo exercitu submersio, Lex in monte Sinai data inter turbines et tonitrua, hiatus terrae in ruinam Core, Dathan et Abiron, nubes per diem in modum tentorii, et per noctem in modum

ignis, aliaque omni exceptione majora prodigia), tum denique quia vaticiniis referta, quæ sicut omnium consensu facere nemo potest, nisi solus Deus, ita cum certissimo eventu longe post comprobata sint omnia; ac illud quidem de maledictione Chanaan Genesis IX. partim sub Josue et secutis Judicibus, partim sub Alexandro M. et Romanis Chananæam debellantibus; illud de benedictione Abrahamæ tam in numerosissima ejus posteritate multis seculis Chananæam possidente, quam in omnium gentium Christo ex eodem Patriarcha prognato devotarum felicitate (sic et de reliquis per quinque Libros Moses) Legis et Religionis Judaicæ divinitatem luculentissime commostrant.

Obj. I. Lex Moses aut dubiæ aut nullius fidei et auctoritatis esse convincitur, quia multa continet aut minus verisimilia; ut dum Moses tanto intervallo distaret a creatione Mundi, et hæc a diluvio, hoc tamen cum illa paucis generationibus interjectis ferme conjungeret: aut incredibilia, ut dum refertur in Genesi, omnes populos, proin etiam Americanos, toto oceano disjunctos ab Asia, descendere ab Adamo: aut difficillima intellectu e. g. de diluvio, de arca, et quæ sunt hujus generis.

RESP. Solide et copiose hæc dudum omnia refutarunt interpretes fide instructi sanctique Patres, uti Sacrarum Scripturarum callentissimi, ita veritatis ex Scriptura et Traditione studiosissimi. Atque hic cum primis contra incredulos obtinet illud S. Augustini: « multum disputant de iis rebus, quas majori prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, et occupantes, quod pejus est, multum pretiosa et rebus salubribus impendenda temporum spatia ».

Ad 1^{um} quod attinet, inde veritas Traditionis stabilitur magis, vigente scilicet adhuc eo, quo hæc Moses scribebat tempore, memoria facti quam illustris, tam antiqui. Nam cum vita Patriarcharum admodum longæva esset; Sem, qui vidit Lamech, qui vidit Adam, vidit ad minimum Abraham; et Abraham vidit Jacob, qui vidit illos, qui viderunt Mosen. Accedit, quod cum nec artes nec scientias, quæ partem vitæ magnam sibi vindicant, illi excolerent, præprimis conservandæ temporum historiæ, et genealogiarum curam gesserint.

Ad 2^{um} omnino quadrat RELANDI observatio, quod quidem jure inter incredibilia recenseatur opinio de fictis Planetarum incolis ab Adamo descendentibus (cum, qua via homines a terra ad Jovem et Saturnum transierint, intelligi nulla ratione possit), non item propagatio hominum per Adamum, quorum via utpote de una duntaxat telluris parte in aliam multiplex esse possit. Nec inepte conjiciunt alii: poterat America septentrionalis in modum continentis olim adhærere Siberiæ: poterant Seythæ vel hac via vel per fretum glaciatum migrare in Americam: poterat longis olim commeatibus et navigatione Asia jungi cum America Meridionali. Optime vero rem dirimit S. AUGUSTINUS: « quorundam enim mirabilium operum Dei etiam expedit tantisper occultam esse rationem ».

Ad 3^{um} sat est responsi contra incredulos ex JOSEPHO: « hujus autem diluvii et arcæ meminerunt omnes barbaricæ historiæ Scriptores »: Ex GROTIO, et rerum naturalium Scriptoribus, quod diluvii vestigia in omnium ferme gentium memoria, et in omnibus terræ partibus extant, et quidem

apud Beroſum in Chaldaea, in Africa apud Abydenum, apud Plutarchum et Lucianum in Græcia et Syria, atque apud Molonem, Nicolaum Damascenum, Apollodorum et vetustissimos Scriptores alios Poetasque, ex vetustissimis tandem traditionibus in America.

Vide hic S. AUG. L. II. de Gen. ad lit. c. 4. Opus item eruditissimum hanc in rem nuperrime editum Florentiæ a P. Alphonso NICOLAI S. J. inscriptum: *Dissertazioni e Lezioni di Sacra Scrittura*, 1736-64.

Obj. II. Manca in multis est narratio Moses, cum nihil de Angelis et de cælo Beatorum commemoret: in nonnullis ridicula, uti dum colloquium serpentis cum Eva, costam Adamo subductam ad formandam Evam, et plura hujusmodi describit: suspecta circa commercium Moses cum Deo ejusque mirabilia, utpote injecta Pentateucho ad dandam vim Legi, quæ vera non sunt prodigia; cum iis sua gentiles æquo jure opponant.

RESP. Antiquissima narratio Moses simplicitate et majestate plena omnium seculorum meruit fidem; et jure quidem potiori, quam atomi Epicuri, æternitas mundi Platonici, et hesternorum Theistarum somnia de suo Naturalismo. Quæ narrat Moses de Mundi creatione, de lapsu hujusmodi, de ejus poena et manante in omnes Adæ posteros ejusdem criminis reatu, de perfectionibus Dei, de natura rerum et cordis humani depravatione; ea omnia in hunc diem experimur exacte congruere cum ratione, cum natura rerum, cum indole hominum, cum perfectione doctrinæ moralis, politicæ ac sanioris philosophiæ; ita ut leges ibi descriptæ tales omnino sint, quales esse oporteret, si Deus eas dictasset. Similia ante Mosen nullus aut philosophus aut poeta vel dubitando prodidit. Post octo vel novem a Mose secula Plato circa Deum et res divinas cœpit balbutire. Poetæ, philosophi et historici postea omnes Mosaicam de Mundo et homine historiam fere totam exscripserunt. Apud vetustissimos populos, præsertim in oriente, moribus cæteroquin et studiis dissimillimos nihil pervulgatius tum creatione Mundi, diluvio et arca Noemi, tum plurimis etiam ritibus, ceremoniis, nominibus significantibus ex Pentateucho haustis, cujus quidem antiqua veritas per tot annorum millia obfascari poterat, at nunquam oblivione penitus deleri. Atque hæc una responsio abunde sufficit ad explodendas argutias incredulorum. Ad hæc cæli nomine et Angelos et sedem Beatorum complexus est Moses, prout hodie communior fert sententia; et sicut diabolus non sine arcana Dei dispositione organum et linguam elegit serpentis, animalis lubrici, tortuosis anfractibus mobilis ac ideo tali operi magis congrui; ita formatio Evæ non caret mysterio, sive spectes officia conjugum, sive Christum et Ecclesiam.

Moses cum Deo commercium sicut et prodigia, quæ illud Moses confirmabat, certa, notoria, nulla ex parte suspecta ac plane summa erant. Quæ enim gens alia unquam dicere potuit, apertum fuisse sub pedibus suis mare, quo transiret? Se per 40 annos cibatum esse manna? Hiantem terram eructasse ultrices flammæ, quæ ustulati rebelles prouerint in abyssum? Se ab ignitis serpentibus laceratam fuisse?... Aut quæ gens hæc et similia unquam confinxisset miracula falsa, partim in sui opprobrium redundantia, partim gravissimum onus toti populo imponentia, quale est Pentateuchus tot legibus refertus? Et quibusnam prodigiis suo cum pseudo-Numinibus aut cum

Angelis commercio plenam fidem conciliabant Numa, Minos et Mahumes? Nonne ipsi Ethnici, Titus Livius et Valerius Maximus illos Numæ cum Dea Egeria congressus rident ac explodunt? Nonne finis non alius fuit, tale cum Diis commercium prætexendi, quam propria Legislatorum utilitas; cum illud Mosis tenderet ad sancendam legem, quæ cupiditates gravibus pœnis coerceret, atque solius Dei cultum spectaret ac promoveret?

Obj. III. De miraculis Mosis præter Mosen soli testantur Judæi in propria causa. Scriptores cæteri aut silent, aut contradicunt; et quidem JOSEPHUS de transitu maris rubri mare scissum esse refert sponte naturæ; JUSTINUS tradit expulsos fuisse ex Ægypto Judæos propter vitiliginem; TACITUS scribit, Mosen ab onagris didicisse modum, quo populum præ siti deficientem reficeret. Demum si vera fuere miracula Mosis, cur ipso ævo Mosis tot erant apud Hebræos increduli ac idololatræ? Nemo enim non credit, quod oculis videt, si verum est, quod videt.

RESP. Miracula patravit Moses (cujus præclari characteres ab omni suspitione imposturæ ex dictis longissime distant) non tantum coram infinita Israelitarum multitudine, sed et in Ægyptiorum Regisque conspectu; atque ipsorum etiam gentilium ore et calamo celebrata, ut idcirco Deum appellaverit Mosen Diodorus Siculus. Indubia ergo illorum fides est, tum quia non pauci tantum Hebræi, sed tota et ingens natio illorum fidem et dignitatem attestatur; natio, quæ nec decipi potuit utpote oculis suis spectans omnia, et posthac tam in monumentis publicis, quam in publicis ritibus sacris eorum memoriam conservans, et in monumentis quidem cœvis, a tota natione erectis, sinceramque pietatem et veri Dei cultum spirantibus; nec voluit decipere sive exterarum gentes, cum quibus nullum ipsis commercium erat, sive concives suos, qui tam grave jugum romanensibus duntaxat historiis innixum utique explosissent. Tum quia scriptores multo antiquiores Josepho meminerunt librorum et factorum Mosis, ut Heclatheus, Chærellus, Numenius, Polyhistor.

Apud JOSEPHUM L. cont. App'on. et ex ipso Eusebius L. IX. Præp. Evang.

Verba JOSEPHI hæc sunt: « mare scissum fuit sive Dei voluntate, ut ego quidem credo »; ne sibi ipse contradicat, cum alibi scripserit: « semita incedentes a Deo patefacta »: quod addat: « sive sponte naturæ, ut alius putare poterit »: in hoc se accommodat gentilibus, quibus ista scribebat, ut quicumque demum ratione hoc ipsis portentum credibile faceret, subdens: « at de his quisque, ut libuerit, sentiat ». Denique auctoritas Mosis multum hic præponderat JOSEPHO.

JUSTINI et TACITI in his parum auctoritatis, quia nihil fundamenti est. TACITUS quod sua fors novit melius, quam aliena; et cum de Christianis sui adeo ævi tam male disserat; quid mirum, si circa primæva Gentis Hebrææ gesta hallucinetur? Semper inter Hebræos fuere numero plures, ingenio certe pares, virtute etiam potiores, qui crederent, Qui non credebant, quisquiliæ erant inter Judæos, sicut inter Christianos malesani Theistæ; quin tamen ex eo, quod non raro idolis servirent, et sideralibus scripturis uterentur Judæi, aut fidem negarent miraculorum, aut veritatem Religionis suæ: fere sicut Christianus aliquando magicis artibus serviens aut dæmoni se nuncupans non hoc ipso abnegat fidem Christianam; sed per nefas extundere

nilitur, quod aliunde non datur. Ac tandem quis non miretur potius atheo-theistam ab ejurata avita Religione perfidum transfugam ad castra impiorum, quam Hebræum miraculis non commotum?

Obj. IV. Præcipua Mosis Prodigia, quæ venditantur, plagæ sunt ægyptiæ et transitus maris rubri; hæc autem phænomena nullatenus arguunt virtutem humana majorem, utpote causis naturalibus adscribenda. Nam imprimis conversio virgarum in serpentes, ranarum procreatio, et mutatio aquarum in sanguinem factæ etiam a Magis fuerant, Mose confitente, eos « similiter fecisse »; idque virtute duntaxat naturali per virgam magicam. Hinc mirum non est, quod nec Pharaon, nec proceres, nec vulgus Ægyptiorum virtutem divinam in hisce phænomenis suspicerent. Illud patratum ad mare rubrum per æstum maris et ventorum adminiculum rite explicatur sine maris divisione prodigiosa; fere sicut Alexander flantibus tantisper aquilonibus mare videns recessisse, celerrimè pertransiit, militibus umbilico tenus aqua demersis. Idem quoque est de prodigiis in deserto patratiss.

RESP. En sapientes philosophos, qui æque cæcutiunt ad splendorem miraculorum, ac idololatræ! En spiritus fortes, qui æque aggravant cor suum ad Dei gratiam, ac idololatræ Ægyptii! Quippe oculos habent, et non vident, quod omnes fere Patres ac interpretes vident, videlicet, quod Magi pro veris miraculis intuentium oculis illuserint, et species duntaxat ranarum, serpentum et sanguinis incantationibus magicis producerint; ideoque nec tot sciniphes adducere, nec ulcera a se prohibere, nec plagas divinitus immisas a se avertere potuerint, coacti tandem ad illam Mosis majorem longe vim thaumaturgam exclamare: « *Digitus Dei hic est* »: Pharaone etiam uti pro medela non ad Magos, sed ad Mosen confugiente, ita ad septimam plagam confitente: « *Peccavi etiam nunc; Dominus justus; ego et populus meus impij* ». Quamvis ergo Sacræ Litteræ, qualia fuerint Magorum prodigia, diserte non expriment, nec de modo objectarum illusionum Patres omnino conveniant; id tamen certum ex AUGUSTINO, quod aliquantulo tempore permissum fuerit Magis, facere quædam mira, sed ut mirabilius vincerentur; Deo ne hoc quidem permissuro, si Theistarum e numero fuissent Magi, hoc est, si Dei unius ac providi fidem professi, hunc Deum verum in testem veritatis (quem non agnoverunt idololatræ) implorassent. Attamen in hujus veri Numinis agnitionem, falsitatisque miraculorum a Magis patratum facile pervenissent Ægyptii, si Mosis miracula et numero et excellentia multo præstantiora rite pensassent, obortisque exin salutaribus dubiis docilem ac veritatis studiosum animum porro applicuissent. Non autem evenit ad tot et tam splendida Mosis prodigia conversio Ægyptiorum; hanc propria illorum culpa impediabat, non tamen illa impediabat consilium Dei, per tam manifesta plagarum prodigia liberum Israeli exitum procurandi.

Circa transitum maris rubri Theistæ vere illudunt sensui communi: fiungunt namque totam Ægyptum una cum Pharaone ab omni arte et scientia, et vel ab æstuum maritimorum experientia destitutam: vanissime conjiciunt potuisse Mosen per tam angustum tramitem, ducentis ad summum passibus per sex horas latum, vigesies centena millia hominum cum jumentis et apparatu omni una nocte transmittere: callide dissimulant, quod in refluxu marino aquæ non hinc et inde recedant ac velut muri utrinque consistant;

item quod in fluxu et refluxu maris per horas duodecim nonnisi una alterave hora terra appareat sicca : scire renuunt aut intelligere, quod Deus dicatur usus ministerio venti, non ad dividendas aquas, sed ad solum exsiccandum ; imo quod ventus ille vehemens ab orientis plagis ad maris divisionem plus confirmet miraculum, cum mare rubrum non sit protensum ab oriente in occidentem, sed a septentrione in meridiem, ac proinde vento illo orientali augeri haud potuerit refluxus maris : verbo ; jubente Deo manum super mare extendit Moses, et subito mare dividitur et ventus alveum exsiccatur, et secure transeunt Israelitae ; sequuntur Aegyptii, ac iterum Deo jubente manum super mare extendit Moses, et coeuntes aquae hostes involvunt. Sic docent divina oracula ; sic perpetuo carmine hoc prodigium celebrat totus Israel ; procul ergo somnia incredulorum !

Quoad prodigia in solitudine patrata aut facessant increduli vanissimas et plane ridiculas exceptiones suas ; aut ostendant, qua naturali virtute, vel qua arte mechanica effecerit Moses, ut manna per 40 annos in caelo concreveret, et in terram ante solis ortum caderet ; putresceret proximo quoque die, excepto die Sabbati ; quo instrumento usus terram aperuerit ad absorbenda tabernacula, et universam substantiam Dathan et Abiron ; vel qua usus solertia Israelitarum vestimenta et calceamenta per 40 annos deteri non sit passus ; vel denique (si haec non effecerit) qui totam naturam humanam perturbaverit, ita ut ea sensibus experirentur Judaei, quae revera sensus non afficiebant ?

Obj. V. Quaecumque Moses a se patrata in suis libris commemorat prodigia, naturales effectus erant, sed magicis artibus procurati, et ad obtinendam facilius fidem a gente credula, poetice illustrati descriptionibus magis, quam historice descripti ; nullam ergo fidem merentur.

Resp. Falsa hic plurima Mosi, Israelitis, quin et Deo imputantur. Falsum namque est, quod Moses populo Dei imponere aut voluerit, propter summam ejus fidentiam ac securitatem (quam vix ullibi reperias in scriptore profano), summam orationis gravitatem, simplicitatem narrationis, confessionis ingenuitatem, designationis exactitudinem circa loca, tempora et personas, omnesque alias eximii scriptoris ac Legislatoris dotes et prerogativas ; aut potuerit imponere populo numerosissimo, et quam jugi impatienti, tam et sagaci ad detegendas Ducis sui imposturas, nec minus prompto ad excutiendum jugum impostoris. Sane in hunc diem nullus impostor ingenti et satis effraeni populo tot legum gravissimum onus aut imposuit, aut hoc illum per tot secula coercuit ; cum omnis impostor assentatione potius, affectatione publicae salutis ac felicitatis, scelerum impunitate, propriae impietatis fraudulentula occultatione captare et captivare homines adniteretur.

Falsum, quod gens Hebraea male et nimis credula fuerit, cum inter innumeros illorum prodigiorum testes viri plurimi et probitate et scientia insignes eadem comprobaverint, et Judaeorum foecunda passim ingenia, et ad detegendas fraudes solertissima, uti ad rebellionem promptiora, sic ad credendum tardiora nunquam non fuerint ita, ut nonnisi firma persuasio de divina Mosi legatione, et certa fides de veris et summis ejusdem prodigiis populum toties rebellem compescere valuerint. Falsum, quod Deus permisit miracula Mosi, quae vera non fuerint, ceu vera ab omnibus haberi ; ab

omnibus Judaeis, qui illis inducti Mosi ceu Duci et Legislatori se se ultro subjecerint ; a vicinis nationibus, quae illorum fama territae amicitiam gentis Hebraeae exposcerent ; a plurimis Aegyptiorum, qui propterea tantam erga Israelitas liberalitatem exhibuisse credantur. Miracula, inquam, Mosi, quae jussu Dei et ad invocationem Dei eo tempore facta sunt, quo Moses a durissima servitute liberavit Israelitas ; miracula, cujusmodi ab orbe condito nullum unquam virtute mere naturali factum est ; miracula, ex quibus ceu factis summi momenti pendeat Religio, politia et fortuna universae gentis Hebraeae ; miracula, quae facta erant publica et sensibilia, circa quae falli nec idiota, imo nec infans potuit ; et tam arete cum reliquis historiae partibus connexa, ut vel uno illorum sublato haec omnes corruant ; haec, inquam, miracula non sint patrata virtute divina, sed magicis artibus ? verae illusiones et praestigiae, sed nulla aut falsa prodigia fuerint ?

Obj. VI. Mosi Pentateuchus inhorrescit stylo barbaro et inculto : frequens earumdem rerum repetitio, et obscuritas in illo maxima est : redundat antichronismis et hysterologiis : multa habet, quae a Mose scribi non poterint, ut sunt genealogiae ultra aetatem Mosi protensae, nomina urbium nonnisi post mortem Mosi indita, quin laudes et mors ipsius Mosi : mercedem proponit solum temporalem, cujus iteratae promissiones concupiscentiam fovent magis, quam charitatem, quae tamen est finis Legis : demum nihil magis alienum a Dei bonitate et a veritate Religionis, quam oblatio humani sacrificii, de quo tamen Levit. XXVII. et Num. XXXI. Lex innuit, atque Abraham et Jephthe probant exemplis. Si ergo vel ex hoc titulo omnes paganae Religiones falsitatis arguuntur a Christianis, quidni et Mosaica ?

Resp. Viri peritissimi cum Bossueto authentiam Pentateuchi non abs re conjiciunt ex eo etiam, quod obscuritate et difficultate non omnino careat ; cum nihil facilius impostori fuisset, quam hunc evitare scopulum, atque ad genium intemperantis Critices scriptionem Pentateuchi accommodare. Qui majorem requirunt aut elegantiam aut claritatem Pentateuchi ; ii non calent phraseologiam et idiotismos illius aevi ; nec perspiciunt, quod obscuritas innuat transcriptiones prope innumerabiles, antiquissimam aetatem, simul et venerationem conciliet. Facta saepe repetitio oritur ex Hebraicae linguae genio, ex ejusdem inopia, ex idiotismis, ex formulis urbanitatis. Hysterologia, cum ratione nitatur, non est vitiosa ; et Sancti Patres ac interpretes commode explicant, quaecumque videntur in chronologicis perturbatissima ; in veteribus Scriptoribus profanis longe major est incuria chronologiae ; et Chaldaeorum, Aegyptiorum ac Chinesium supputationes innumeris scatent obscuritatibus, fabulis ac contradictionibus ; denique voluit Moses non tam systema chronologicum exponere, quam Religionis revelatae oconomiam, minus sollicitus de rationibus exactae chronotaxeos.

Mortem Mosi descripsit vel ipse Moses ex spiritu prophetico, uti cum aliis sentiunt Josephus et Philo ; vel Josue et Eleazar, qui et ipsi Spiritu Sancto pleni in aliis quoque notoria quaedam textui adjecerunt. Laudat se Moses ; et Paulus hoc fecit ; sed uterque afflante divino spiritu, non ex jactantia, cum suos uterque naevos etiam propalet. Lex et Prophetae promiserunt bona vere spiritualia, sed sub figuris temporalium ; cujus ratio fuit in ipso populo utpote carnali, qui ceu depositarius Testamenti spiritualis constituendus erat ;

quavis ergo promissiones temporalium diserte exprimerent; simul tamen innuunt, dicta sua esse recondita, et alio, quam verba præferant, sensu intelligenda, testante S. AUGUSTINO: « quando felicitatem temporalem agebant, æternam veram et præferendam intelligebant; et istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio. » Epist. 140. n. 5.

Si, ut Theistis placet, humana sacrificia habebantur inter Judæos; occur tales victimæ idolis gentium toties, sed nunquam Deo Israel oblatae fuerunt? Exemplum ABRAHÆ quam est impertinens? Nonne expresso Dei jussu excitatus obtulit filium, sed fide plenus nec dubitans: « *Quia et a mortuis suscitare potens est Deus?* » qui cum post expertam Abrahæ fidem ac obedientiam suppeditaverit aliam victimam, satis declaravit, nullo modo sibi gratas esse humanas victimas, illudque præceptum unice ad obedientiæ probationem pertinuisse. JEPHTE si (quod credibile non est) filiam obtulit in holocaustum, ingratham Deo victimam obtulit contra Legis præceptum: videlicet Deut. XII. 31. Psalm. CV. 37. Ezech. XVI. Isai LXXVI. 3.

At verior sententia illa verba, *et fecit, sicut cœverat*, intelligit de consecratione, non de immolatione filiae ita, ut particula *ET* juxta Hebraicum habeat vim disjunctivi hoc sensu: *erit Domino; vel offeram illud in holocaustum*: nempe si ejusmodi fuerit, quod sic offerri rite queat. Ita JOSEPHUS, DAVID KIMCHI et alii. Circa illam oblationem Leviticam omnem tollunt difficultatem Lectio LXX, et plures aliæ versiones: *omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non de vel ex homine*. Demum in Lege Deuteronomii de primitiis prædæ dandis Sacerdotibus et Levitis ne verbum quidem est de immolatione hominum.

SECTIO II.

RELIGIO JUDAICA CONTENTA IN LIBRIS V. T. VERE DIVINIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Testamentum idem est ac fœdus seu pactum, quod æterna Majestas icit cum humano genere; et primum quidem per Mosen et Abrahamum, promissionem continens non solum de bonis temporalibus et possessione terræ Chanaan, sed de æternis etiam per Messiam obtinendis. Extat hoc pactum in libris divinitus inspiratis expressum, quos inter II VETUS TESTAMENTUM appellantur, quotquot de rebus divinis divina cum auctoritate ante Christi adventum pertractarunt, atque ab Ecclesia vel tum vel postea Sacro Canoni inscripti fuerunt. Est vero ea ævo nostro protervia incredulorum, ut sicut Pentateuchi, ita Librorum sacrorum omnium V. T. auctoritatem arrodant explodantque. Nimirum ut facilius suffodiant Christianæ Religionis fundamenta, eos libros, qui Christi et ejus Ecclesiæ figuras, typos et vaticinia

præferunt, ceu opera vel conficta, vel depravata, vel fabulosa impudentissime exagitant. Hisce criminationibus sat, credo, fuerit, opponere testimonium omnium hominum et ætatum gravissimum, Religionem et politiam Judæorum vere Thearchicam, tam librorum, quam auctorum divinos characteres, doctrinæ in libris expressæ sanctitatem ac sublimitatem, demum miracula et vaticinia, sigilla divinitatis spectatissima.

§ II. THEMATA.

I. Libri V. T., qui Religionis Judaicæ divinitatem eloquuntur, sunt authentici ac vere divini.

PROBATIO. Pro authentia et theopneustia Librorum V. T. tot et tanta pugnant omnium ætatum, omniumque hominum, Judæorum, Christianorum, quin et Gentilium Scriptorum testimonia, quot et quanta pro nullo alio volumine, Xenophontis, Curtii, Livii, Suetonii, Taciti, aut cujuscumque nominis sit liber, proferre ausit ullus Theista. Inter Scriptores Ethnicos Berosus, Abydenus, Plutarchus, Lucianus, Pythagoras et Plato sua, quæ de Deo rebusque divinis meliora habent sensa, ex sacris Hebræorum libris deflorarunt, in quibus styli gravitatem cum simplicitate, rerum sublimitatem cum ingenuitate scriptorum, docentis vel inspirantis majestatem cum ornatu prorsus admirabili nunquam non suspexerunt. Judæi et Christiani toto alias genere diversi circa divinitatem V. T. eosdem fovent sensus, eandem reverentiam, eundem zelum, qui tantus semper exarsit in gente Judæa, ut suam Religionem iis libris contentam (quamvis dudum contemptui ac derisui expositam) sanguinis et vitæ adeo profusione tueri ac profiteri etiamnum non recuset; indeque illud sit prodigio simile, quod collapsis fere omnibus Religionibus paganis (utprimum vis et auctoritas imperantium desiit) illa Judæorum fere per omnes Mundi plagas in hunc diem perduret, nullis hominum artibus, nullis temporum injuriis, nullis aut promissis aut minis aut cædibus exterminanda. Undenam autem ista, nisi ex insita et innata omnium Judæorum animis persuasionem de librorum (in quibus exarata est Lex et Religio Judaica) inspiratione ac divinitate?

Vide JOSEPHUM hic testem domesticum L. I. contra Appion.

Ac demum si fœcundissima hæc lucidissimaque testium nubes necdum dissipet spissas tenebras incredulitatis; Christum, Apostolos, Sanctos Patres omnes Christianos, atque ipsosmet Hæreticos audiant minuti Philosophi! Nonne Christus, ut Messiam se probaret, multoties usus est oraculis Veteris Testamenti? Nonne Apostoli Christi, et Apostolorum discipuli et voce et calamo Veteris Testamenti per Novum Testamentum perfecti ac completi divinam auctoritatem prædicarunt? Nonne sanctissimi quique Patres et Doctores Ecclesiæ theopneustiam Scriptorum Veteris Testamenti identidem adstruebant, eorum libros ceu divinos venerabantur, commentariis et homiliis illustrabant? Nonne Christiani omnes et credebant, et cum vitæ etiam periculo contra paganos defendebant Testamenti Veteris divinitatem, plerisque Hæreticis in idipsum conspirantibus?

His adde, quod libri et res gestæ exacte congruant temporibus, locis, usibus ac moribus tum Judæorum illius temporis, tum aliarum gentium; quod

quavis ergo promissiones temporalium diserte exprimerent; simul tamen immunt, dicta sua esse recondita, et alio, quam verba præferant, sensu intelligenda, testante S. AUGUSTINO: « quando felicitatem temporalem agebant, æternam veram et præferendam intelligebant; et istam ministrabant in mysterio, ut illam consequerentur in præmio. » Epist. 140. n. 5.

Si, ut Theistis placet, humana sacrificia habebantur inter Judæos; occur tales victimæ idolis gentium toties, sed nunquam Deo Israel oblatae fuerunt? Exemplum ABRAHÆ quam est impertinens? Nonne expresso Dei jussu excitatus obtulit filium, sed fide plenus nec dubitans: « *Quia et a mortuis suscitare potens est Deus?* » qui cum post expertam Abrahæ fidem ac obedientiam suppeditaverit aliam victimam, satis declaravit, nullo modo sibi gratas esse humanas victimas, illudque præceptum unice ad obedientiæ probationem pertinuisse. JEPHTE si (quod credibile non est) filiam obtulit in holocaustum, ingratham Deo victimam obtulit contra Legis præceptum: videlicet Deut. XII. 31. Psalm. CV. 37. Ezech. XVI. Isai LXXVI. 3.

At verior sententia illa verba, *et fecit, sicut cœverat*, intelligit de consecratione, non de immolatione filiae ita, ut particula *ET* juxta Hebraicum habeat vim disjunctivi hoc sensu: *erit Domino; vel offeram illud in holocaustum*: nempe si ejusmodi fuerit, quod sic offerri rite queat. Ita JOSEPHUS, DAVID KIMCHI et alii. Circa illam oblationem Leviticam omnem tollunt difficultatem Lectio LXX, et plures aliæ versiones: *omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non de vel ex homine*. Demum in Lege Deuteronomii de primitiis prædæ dandis Sacerdotibus et Levitis ne verbum quidem est de immolatione hominum.

SECTIO II.

RELIGIO JUDAICA CONTENTA IN LIBRIS V. T. VERE DIVINIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Testamentum idem est ac fœdus seu pactum, quod æterna Majestas icit cum humano genere; et primum quidem per Mosen et Abrahamum, promissionem continens non solum de bonis temporalibus et possessione terræ Chanaan, sed de æternis etiam per Messiam obtinendis. Extat hoc pactum in libris divinitus inspiratis expressum, quos inter II VETUS TESTAMENTUM appellantur, quotquot de rebus divinis divina cum auctoritate ante Christi adventum pertractarunt, atque ab Ecclesia vel tum vel postea Sacro Canoni inscripti fuerunt. Est vero ea ævo nostro protervia incredulorum, ut sicut Pentateuchi, ita Librorum sacrorum omnium V. T. auctoritatem arrodant explodantque. Nimirum ut facilius suffodiant Christianæ Religionis fundamenta, eos libros, qui Christi et ejus Ecclesiæ figuras, typos et vaticinia

præferunt, ceu opera vel conficta, vel depravata, vel fabulosa impudentissime exagitant. Hisce criminationibus sat, credo, fuerit, opponere testimonium omnium hominum et ætatum gravissimum, Religionem et politiam Judæorum vere Thearchicam, tam librorum, quam auctorum divinos characteres, doctrinæ in libris expressæ sanctitatem ac sublimitatem, demum miracula et vaticinia, sigilla divinitatis spectatissima.

§ II. THEMATA.

I. Libri V. T., qui Religionis Judaicæ divinitatem eloquuntur, sunt authentici ac vere divini.

PROBATIO. Pro authentia et theopneustia Librorum V. T. tot et tanta pugnant omnium ætatum, omniumque hominum, Judæorum, Christianorum, quin et Gentilium Scriptorum testimonia, quot et quanta pro nullo alio volumine, Xenophontis, Curtii, Livii, Suetonii, Taciti, aut cujuscumque nominis sit liber, proferre ausit ullus Theista. Inter Scriptores Ethnicos Berosus, Abydenus, Plutarchus, Lucianus, Pythagoras et Plato sua, quæ de Deo rebusque divinis meliora habent sensa, ex sacris Hebræorum libris deflorarunt, in quibus styli gravitatem cum simplicitate, rerum sublimitatem cum ingenuitate scriptorum, docentis vel inspirantis majestatem cum ornatu prorsus admirabili nunquam non suspexerunt. Judæi et Christiani toto alias genere diversi circa divinitatem V. T. eosdem fovent sensus, eandem reverentiam, eundem zelum, qui tantus semper exarsit in gente Judæa, ut suam Religionem iis libris contentam (quamvis dudum contemptui ac derisui expositam) sanguinis et vitæ adeo profusione tueri ac profiteri etiamnum non recuset; indeque illud sit prodigio simile, quod collapsis fere omnibus Religionibus paganis (utprimum vis et auctoritas imperantium desiit) illa Judæorum fere per omnes Mundi plagas in hunc diem perduret, nullis hominum artibus, nullis temporum injuriis, nullis aut promissis aut minis aut cædibus exterminanda. Undenam autem ista, nisi ex insita et innata omnium Judæorum animis persuasionem de librorum (in quibus exarata est Lex et Religio Judaica) inspiratione ac divinitate?

Vide JOSEPHUM hic testem domesticum L. I. contra Appion.

Ac demum si fœcundissima hæc lucidissimaque testium nubes necdum dissipet spissas tenebras incredulitatis; Christum, Apostolos, Sanctos Patres omnes Christianos, atque ipsosmet Hæreticos audiant minuti Philosophi! Nonne Christus, ut Messiam se probaret, multoties usus est oraculis Veteris Testamenti? Nonne Apostoli Christi, et Apostolorum discipuli et voce et calamo Veteris Testamenti per Novum Testamentum perfecti ac completi divinam auctoritatem prædicarunt? Nonne sanctissimi quique Patres et Doctores Ecclesiæ theopneustiam Scriptorum Veteris Testamenti identidem adstruebant, eorum libros ceu divinos venerabantur, commentariis et homiliis illustrabant? Nonne Christiani omnes et credebant, et cum vitæ etiam periculo contra paganos defendebant Testamenti Veteris divinitatem, plerisque Hæreticis in idipsum conspirantibus?

His adde, quod libri et res gestæ exacte congruant temporibus, locis, usibus ac moribus tum Judæorum illius temporis, tum aliarum gentium; quod

Scriptores sacri mire concordent, quamvis tempore, ætate, ingenio et loco admodum discrepantes, quod referti sint Libri Veteris Testamenti signis et miraculis quam eximiis tam indubitatis pro divina Scriptorum missione ac inspiratione; quod Vetus Testamentum abundet oraculis et vaticiniis, præsertim de Reipublicæ Judaicæ, nec non externorum imperiorum fatiis, aliisque eventibus remotissimis, minutissimis cum adjunctis; quæ sicut nulla sagacitate prænosci poterant, ita ex spiritu vaticino prædicta certissimo eventui fuerunt comprobata.

II. *Doctrinæ in libris Veteris Testamenti puritas et sanctitas argumentum est probatissimum divinæ inspirationis.*

PROBATIO. Scriptura sacra Veteris Testamenti unicum erat volumen illud, quod doctrinam sanam, puram et dignam Deo afflatis Scriptoribus exhiberetur tempore, quo omnes fere homines ad muta idola procumbent, quo sapientissimi gentilium a vero et justo aberrarent, quo teterrima caligo circa divina et cœlestia totum prope orbem obfuscaret. Ea quippe sola Veteris Testamenti Scriptura tam hominis lapsi miseriam, quam hominis integri dignitatem ac felicitatem graphice depingit: summi Entis summas perfectiones tam vivide exprimit, ut nescias, an plus reverearis potentiam Creatoris, quam admireris sapientiam, et bonitate commovearis: negat aliud esse Numen, quam Ens sibi sufficiens, quod per se existens omnia sustinet, quod cœlum terramque immensitate complet, quod futuras omnium temporum periodos scientia complectitur, quod cum summa æquitate res temperat humanas: docet hominem ad imaginem Dei factum, destinatum ad immortale ævum, in pietate et virtutis exercitatione positam esse hominis excellentiam: inculcat homini ceu præceptum ejus officium, diligere Deum et solum Deum diligere: indicat causam, ob quam pie et juste viventibus in hoc seculo sæpe colluctandum sit cum gravissimis calamitatibus; et ob quam sit tam diversa hominum sors, divitum et pauperum, validorum et infirmorum, potentium ac depressorum miscella super terram: excitat in adversis ad Dei opem implorandam, qui unus possit ac velit e malis eruere: promittit, atque variis in figuris ac symbolis jamdum exhibet mittendum a Deo gentis humanæ Redemptorem, qui irato Numini faciat satis, qui nostræ infirmitatem naturæ sublevet, qui juvet cœlestibus auxiliis ea implere, quæ Deus mandat.

Quis autem unquam Philosophus Deum expressit tam magnifice? quis sapiens ethnicus originem, officia et finem hominis definiit tam exacte? quis mortalium sine afflatu divino de lapsu et reparatione hominis, de Mediatore Deo, et de divini Mediatoris satisfactione vel divinare potuit tam plena mysteriis, vere ineffabilia ac incomprehensibilia? Igitur doctrina. V. T. cum ab hominum ingeniis excogitata non sit, nec esse possit; a sanctissimo Numine orta sit, necesse est.

III. *Scriptorum V. T. characteres authenticam ac theopneustiam V. T. luculentissime commonstrant.*

PROBATIO. Moses, Samuel, David, Salomon, Daniel, Isaias, Jeremias quæ et quanta nomina, per omnium sane ætatum ac gentium memoriam celebratissima! Duces, Reges, Prophetæ fuerunt omnium præstantissimi, in historia suæ gentis versatissimi, politiæ æque ac Religionis Judaicæ callentissimi, inter adversa et prospera Deo fidelissimi, a candore, simplicitate et mirifica consensione commendatissimi, a legatione divina, a patris virtute divina miraculis, ab impletis exactissime prophetiis spectatissimi, a publica fide innumerabilium oculatorumque testium (non semper faventium) Scriptores probatissimi, vere majora omni exceptione, dignissimaque omni reverentia ac fide organa divinitatis.

Qui ergo suam libris sacris V. T. fidem divinamque denegat auctoritatem; toti is antiquitati contradicit, spernit vaticinia, miracula explodit, omnes Judæ ac Israelis Reges, omnesque Prophetas personis accenset romanensibus, auctores librorum ceu totidem impostores traducit, ipsos quoque libros Josephi et Philonis Judæorum, uti et plura opera Tullii, Salustii, Taciti et aliorum (qui de Republica et Religione, de templo, legibus et bellis Judæorum mentionem faciunt) ceu spurios partus a similibus veteratorum fallaci ingenio editos, nolit velit, aspernari debet.

Obj. I. Libri V. T. præsertim prophetici nullatenus divinitatem spirant; sive quoad scriptionem, quæ undequaque diversa, jam humi repit, jam assurgit, jam tenuis est, jam sublimis, jam regia, jam pastoritia est; sive quoad res scriptas, quarum plurimæ pugnant cum Scriptura Apostolica, quæ dum prædicat Christum crucifixum et commendat cœlibatum; illa maledictum pronuntiat, qui pendet in ligno, et maledictum, qui non suscitaverit semen in Israel; sive quoad personas, quas dilaudat (quamvis homines fuerint facinorosissimi) uti ABRAHAM, qui ex insana cupiditate prolis ancillam duxit uxorem, conjuge etiamnum superstiti; et Saram uxorem venditans pro sua sorore turpiter imposuit. LOTI ab incestu cum filiabus, JACOB a concubitu cum sororibus Rachele et Lia et harum famulis, DAVID ab homicidio et adulterio, SALOMON a spurcissimo amore 300 uxorum et 700 concubinarum, OSEAS a conjugio cum fornicaria infames.

Resp. Quot verba, tot deliria et cavilli blasphemantium id quod ignorant. Genus scriptionis in Libris divinis metiri ad leges styli humani (qui tamen ipse in profanis etiam scriptoribus sui raro similis aut constans est) insipientia est; cum hic in verborum et sententiarum delectu concinnaque ad delectandum dispositione consistat, ille autem in perpetuo veritatis et sanctitatis tenore quiescat. CHRISTUS pro nobis factus est maledictum, ut nos a maledicto per infame crucis supplicium redimeret: quid in hoc contradictionis? In Lege scriptum erat, ut frater defuncti fratris suscitaret semen: sed Legem Christus abrogavit, et Deus, qui per Mosen sic locutus, per Isaiam dixit et promisit Eunuchis, qui custodierint Sabbata et tenuerint fœdus Domini, locum in domo et muris suis, nomen melius a filiis et filiabus, nomen sempiternum, quod non peribit.

ABRAHAM et JACOB polygami erant, sed ex concessione divina; cum nullibi in Patriarchis eam aut reprehenderit aut castigaverit Deus; quamvis adversus vitia carnis alias rigidissimus vindex. Idem est de OSEA, qui Deo jubente duxit fornicariam. Saram dixit sororem ABRAHAM, cum esset uxor; tamen mentitus non est, cum reticendo veri aliquid, falsum non dixerit. LOTH incestum, DAVIDIS lapsum et probra SALOMONIS recensent, at minime probant divinæ Litteræ: æquid ex his in sacros Libros redundet indignum Deo illorum auctore? Potius in cavillatores dimanant opprobria inscitiae, proterviae, impietatis ac rebellionis.

Obj. II. Job et ejus librum ignorant Hebræi: ECCLESIASTES a Salomone mulieroso conscriptus, Epicuro magis, quam Deo dignus est liber: CANTICUM CANTICORUM, in quo nupiam vel Dei nomen deprehendas, carmen est amatorium a Salomone adornatum pro filia Pharaonis: SUSANNAE historiam ceu fabulam rejicit cum Julio Africano etiam S. Hieronymus; Deum ergo auctorem habere nequeunt.

Resp. Necdumne finis, criminandi libros sacerrimos, et qui suos duntaxat criminatores summi criminis arguunt? Et JOBUM et ejus librum extitisse, soli negant Thalmudici et cum his Theistæ: omnes enim saniores Hebræi, omnes antiqui Patres, LXX Interpretes, Jacobus Apostolus atque Ezechiel de utroque testantur. Refert hinc inde ECCLESIASTES dicta impiorum, non ut probet, sed ut damnet atque absterreat: subdit namque saluberrima de officiis et sine hominis, de morte et vita futura, de memoria Creatoris et metu supremi Judicis. Hæc quippe Theistis non placent, sed magis illa impiorum sensa; en causam criminationis adversus librum Ecclesiastæ, simul et Epicureismum in Theismo redivivum! Epithalamium Christi et Ecclesiæ in CANTICIS CANTICORUM quam misere et contra unanimem Patrum ac interpretum sententiam Theistæ detorqueant ad vesanos amores, quis non intelligit, ubi complura inibi legit, quæ nec Salomoni nec filiae Pharaonis conveniunt? Numquid enim Salomon rex simul erat et pastor, sponsæ suæ frater, atque seipsum deprædicans ceu candidum et rubicundum, florem campi et lilium convallium? Numquid uxor ejus, filia Pharaonis, caput habuit instar Carmeli, nasum sicut turrim Libani, oculos instar piscinæ, dentes sicut greges ovium? Dei nomen requiris in illo Salomonis Cantico? non nomen, sed verbum Dei librum efficit divinum.

DANIELEM jamdum in fronte Prologi prophetam confessus est S. Hieronymus; vel ergo Hebræorum, non suam refert sententiam de historia SUSANNAE; vel nomen fabulæ accepit in sensu latiore, pro historia lectu et auditu jucunda. Julium vero Africanum a Judæis deceptum meliora edocuit Origenes, quocum utinam aliquando sapiant et resipiscant Theistæ jam toties optima edocti!

Vide Ezech. XIV. 14. Epist. S. Jacobi v. 11. Eccles. XI. et XII.

Obj. III. Vetus Testamentum ferme ubivis iram Numinis, vindictam, zelotypiam, acceptionem personarum et Dei in homines odium spirat: Deum ceu belli et mortis Deum adumbrat, nonnisi tormenta et supplicia etiam insontum anhelantem.

Ita fere ROUSSEAU, *Emile*, tom. II, pag. 104.

Addunt cum Spinoza alii ab impietate et incredulitate celebres sexcenta alia in Libris V. T. ænigmatica, fabulosa, falsa, amatoria, antilogica, ac prope impia et blasphema. Libri ergo divini esse non possunt.

Resp. Cuinam credibile sit, virum, qui sacrum Codicem vel inspexerit, qui unicum adeo psalmum aut partem minimam historiæ de populo Dei electo perlustraverit, et (quod rei caput est) qui bonam fidem multoties pollicitus sit, tam imperite, tam maligne ac perfide Deo et divino Codici imponere aut velle aut posse? Esto, quod Deus populo duræ cervicis extrema identidem minitetur, in tertiam adeo et quartam generationem: numquid etiam diligentibus se benedicit in millesimam usque generationem, ac semetipsum ceu mercedem magnam nimis liberalissime adpromittit?

Spinozæ calumnias et blasphemias vix dignas censeo operosa confutatione; tum quod sexcenti sint ac fuerint sacrarum Scripturarum eximie periti, qui difficultates ejusmodi scite omnes enodaverint, planeque dissipaverint fallaces conjecturas; tum quod patriæ nostræ (pro cujus avita Religione decerto) sapientissime provisum sit de Magisterio sacrarum Litterarum, quod solide, copiose ac erudite retundat ausus omnes impiorum atque incredulorum adversus divina oracula utriusque Testamenti. Stupenda plane cæcitas est ac obstinatio impiorum, quod nolint videre, quod omnis retro antiquitas vidit, demirata et venerata est in sacris Scripturis; videlicet veritatem, ut nemo unquam etiam acutissimus easdem convincere falsitatis potuerit; sanctitatem in saluberrimis præceptis et consiliis; profunditatem in altissimis Mysteriis; concordem rerum varietatem (sive spectato omnium Scripturarum fine, qui est Christus; sive attenda admirabili Scriptorum consensione) et præsam futurorum divinitatem, quam certissimi æque ac clarissimi eventus humano generi demonstrarunt.

Exceptiones aut potius cavillationes incredulorum contra Veteris Testamenti libros et auctores solide discussas ac feliciter repressas exhibet P. HERM. GOLDRAGEN S. J. Introductio in S. Scripturam in I. et II. parte, Moguntiae 1763-66.

§ III. COROLLARIA.

Quod olim contra Manichæos a magno illo Hipponensium Præsule dictum; idipsum stringit ævi nostri incredulos, atque informat Christianos: « Discerpentes et laniantes maxime Vetus Testamentum, ut commoveant imperitos, qui profecto nesciunt, quatenus sint accipienda illa, et quemadmodum hausta utiliter in venas quasi vagientium adhuc animarum medullasque descendant. Testor, Honorate, conscientiam meam et puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentius, castius, religiosius, quam sunt illæ Scripturæ omnes, quas Testamenti Veteris nomine Catholica Ecclesia retinet. Miraris, novi, non enim dissimulare possum, longe aliter nobis fuisse persuasum... quicquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum et divinum est. Inest omnino veritas, et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina; et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit, quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera Religio poscit, accedat.»

Ita a Manichæismo ad meliora tractus S. AUGUSTINUS suo quondam insanæ socio confessus est Libro de Utilitate credendi c. 2.

SECTIO III.

RELIGIO JUDAICA PER CHRISTUM ABOLITA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Stabilita veritate ac divinitate Religionis quondam Judaicæ triplex suboritur quæstio adversus ipsosmet Judæos, qui Legem Mosis in æternum sanctam fuisse contendunt, curatius hic expendenda: 1^{ma}, utrum ea fuerit perfectio Legis Mosaicæ, ut perfectior nunquam potuerit surrogari? 2^a, fueritne ex institutione divina perpetuo et ad Mundi finem perstitura? 3^a, num venerit illa plenitudo temporis, quo Lex Vetus in Novam esset commutanda? Videlicet Judæi nullo in argumento versantur copiosius ac contentiosius, quam in asserenda Legis Mosaicæ æternitate, cujus immutabilitas inter eorum dogmata locum obtinet præcipuum. Dignum ergo operæ pretium, ut et a nobis majori diligentia hoc eorum pervicaciæ fundamentum evertatur.

§ II. THEMATA.

I. *Religio Judaica spectatis seu ceremoniis seu præceptis Legis Mosaicæ non erat perfectissima.*

PROBATIO. Ceremoniæ Legis Mosaicæ, quamvis piæ et salutares (si pia in Deum mente frequentabantur) tamen nulla afferebant remedia efficacia gravioribus delictis; suapte nil conferebant ad veram animi sanctimoniam; fere in signum ac potius ad vitandam idololatriam a populo in eam prono; et soli quidem Judaicæ genti præscriptæ. Infirmum ergo sacramentum ad animam sanctificandam circumcisio corporis, cum qua cordis incircumcisi pravitas non raro persistat, et quæ a solis Abrahamæ posteris, ac inter hos etiam a solis masculis sit subeunda; infirmum ergo et egenum sacrificium in fuso duntaxat animalium sanguine, quo æque parum Deus lætatur, quam parum vere aversatur immunda quæpiam, quæ creavit, dataque benedictione in usum et obsequium hominis voluit multiplicari.

Neque præcepta Legis Mosaicæ ad perfectum (ad perfectam scilicet dilectionem proximi, ad perfectum castimoniam studium, ad perfectum terrenorum contemptum) Judæos adduxerunt. Equidem jussit Moses, diligere Deum super omnia et proximum sicut nos ipsos; tamen dilectionem inimicorum nusquam præcepit, indulta etiam duræ cervicis populo pœna talionis. Damnavit Moses omnis generis fornicationem, plures tamen uxores permittit et libellum repudii, virginitate adeo nullibi commendata, ut jusserit etiam, defuncto fratri improli semen per fratrem superstitem suscitari. Furtum

severe prohibuit Moses, at concessis usuris relate ad alienigenas, de pretio voluntariæ paupertatis nulla prorsus facta mentione.

Et quis ambigat, in his multum præcellere Legem Novam, cui adeo primordia naturæ saltem integræ præluserant: quo in statu effloruit Virginitas, et præter res victui necessarias vix quidquam concupiscebatur; in quo nec plures erant in carnem unam, nec licebat separare, quod Deus conjunxerat. Quin et mitissimus Moses jam tum de dilectione inimicorum et injuriarum tolerantia (quod sciret eas virtutes uti excellentissimas, sic Deo acceptissimas esse) non unum documentum exhibuit Legis Novæ multo perfectioris, quæ olim id genus virtutum impense commendaret.

II. *Religio Judaica non fuit ita a Deo instituta, ut esset æterna, et nunquam abroganda.*

PROBATIO. Lex ipsa Moses et Prophetæ aperte prænuntiarunt fore, ut Deus Legi Veteri substituat Novam; non modo in gratiam Israel et Juda, sed pro omnibus mundi populis usque ad extremum terræ et ad mundi finem; non saxo duntaxat insculptam, sed in corde et visceribus hominum inscriptam; fore, ut externi ritus Legis Mosaicæ sint abrogandi; arca ipsa et proin ejus veneratio desitura una cum publico cultu, cujus arca centrum erat; desiturum templum et ejus altare, desitura sacrificia, iisque surrogandum aliud multo præstantius et in omni loco offerendum; fore, ut transferatur Sacerdotium Leviticum substituto Sacerdotibus Aaronicis novo Sacerdote secundum ordinem Melchisedech, qui ipsemet Levi omniumque credentium Patre Abraham major sit, alteriusque a Levi stemmatis ita, ut jam non e stirpe Levi, sed ex Africa et Lybia, ex Italia et Græcia, atque ex universis quaquaversum gentibus sint assumendi Sacerdotes; fore, ut sedentibus filiis Israel sine Rege et sine Principe, sine sacrificio et sine altari, sine Ephod et sine Theraphim veniat abominatio desolationis usque ad consummationem et finem perduratura. Deut. XVIII. 15. Jerem. XXXI. 31. Isaie. XLII. 6... XLIX. 6... LXVI. 19-21. Daniel. IX. 26. Oseas III. 4. Psalm. L. 18... CIX. 4... XXXIX. 7. Malach. I. 11.

Novo autem fœdere aboleri vetus, leges posteriores derogare prioribus, et translato sacerdotio necessum esse, ut et legis translatio fiat, nemo est, qui non rite concludat cum Apostolo. Adde legem positam in temporum, locorum et personarum circumstantiis manere in perpetuum nequaquam potuisse; erat autem Lex Mosaicæ certæ regionis accommodata, solis data posteris Abrahamæ ad eorum ab omni alia gente discretionem; nec non inventa ad cohibendos ab idololatria Judæos; non ergo permanere debuit, nisi quamdiu regnum Dei angustis limitibus ejus regionis contineretur, Judæi a cæteris gentibus separati consistent, atque per orbem dominaretur idololatria.

III. *Tempus illud, quo Religio Judaica in aliam, scilicet Christianam, mutanda erat, jam pridem effluxit.*

PROBATIO. Quæ Moses et Prophetæ de abroganda Lege Veteri prædixerant, et quæ Messias Novæ Legis auctor ac præco sui adventus signa posuerat, impleta dudum sunt omnia; ut proin frustra jam a Judæis et incredulis de

sensu prophetiarum lites interserantur, quas multorum suffragia seculorum explicarunt, et nostra etiamnum ætas confirmat. Nam advenit ille Propheta par Mosi, videlicet Christus, qui uterque Propheta, Sacerdos et Rex, uterque splendida patravit miracula, uterque intima Dei familiaritate usus, uterque fœderis inter Deum et homines mediator fuit. Promulgata est Lex Nova, ad vaticinium Jeremiæ, non scripta digito Dei in lapide, sed in visceribus et in tabulis cordis carnalibus; quæ propter sanguinis Christi virtutem et gratiæ divinæ efficaciam ex conditione pacti irrita esse non potest; quæ non in circumstantiis temporum posita, æterna esse debet; quæ hominum conditioni accommodata et sanctissima ad veram sanctitatem vitæque perfectionem adducit. Sacerdotium Aaronis sublatum est sine spe restitutionis: nam non solum nullos Judæi sacerdotes habent, sed ita sunt confusæ eorum familiæ, ut qua Tribu quisque oriundus sit, plane nesciant. Cessant eorum sacrificia, quæ reipsa offerunt nulla, nec offerre licet extra templum Hierosolymitanum; et aliunde est magnum nomen JEROVÆ in gentibus, cui ab ortu solis usque ad occasum sacrificatur et offertur oblatio munda.

Eversa toto pene orbe Idololatria pridem est; et vocata ad agnitionem veri Dei, Religionisque unitatem plurimæ gentes Deum unum agnoscunt, nec Mosaicis ritibus, sed longe aliis illum colunt; ad quem usque eventum Patriarcha Jacob duraturum esse statum Judaicum significaverat in illo celebri vaticinio (Gen. XLIX.), in quo Messiam prædictum crediderunt omnes olim Judæi, et de Messia illam gentium expectationem intelligunt omnes interpretes, ut jam non amplius expectent novum de cœlo doctorem. Templum secundum, quod ædificavit Zorobabel, quodque Judæorum, juxta prophetias Danielis, Aggæi et Malachiæ, ultimum esse debuerat, jamdum ab annis 4700 dirutum est. Effluxerunt LXX Danielis Hebdomadæ, hoc est, anni 490 a restauratione urbis usque ad unctionem Sancti sanctorum, prophetiarum impletionem, expiationem peccati, urbis destructionem et abolitionem sacrificiorum. Venit ergo Messias, et dissipatis Veteris Testamenti umbris longe sublimiorem in omnium salutem instituit Religionem, videlicet Christianam ex ipsis status Judaici rudibus enascentem, atque adeo decantatam a Prophetis; in qua lupi et agni, gentiles et Judæi tandem ab invicem separati, ejusdem demum vinculo Religionis erant conjungendi.

Vide Inst. Theol. de Legibus, item de Verbo Incarn. et P. Franc. Xav. WIDDENHOFER S. J. Scripturam dogm. et polem. Explicatam Tom. II. Wirceburgi, 1753.

Obj. I. Lex Mosaica est lex divina; sicut ergo Deus non mutatur, ita nec lex Dei omnia ob fixum et certum finem agentis: est opus Dei; opera autem Dei perfecta sunt: non ergo ejus imperfectio causa erat infinite sapienti Legislatori, illam mutandi vel abrogandi. Inde est, quod Prophetæ tantum prædixerint, renovandam in melius esse Legem Mosis; quod reipsa contigit sub Nehemia, ita ut fœdus cum Deo tunc in initum fuerit accurate custoditum, Synagogæ plures extractæ, atque aucta Dei in populum beneficia.

Ita GROTIUS exponit illud vaticinium Jerem. XXXI. 31.

RESP. Ni probent Hebræi, quod Lex Mosaica ceremonialis et judicialis sit absolute perfectissima pro omni tempore, decreta a Deo tanquam æterna et absolute immutabilis; eademque semper et necessario futura sit ratio Legis

conservandæ, quæ fuit ferendæ, actum agunt. Perfecta est Lex; attamen Deus dispensavit in Lege, tum circa panes propositionis non edendos, nisi a sacerdote, vel qui sit ex tribu Levi, quos nihilominus comedebat David, nec a Deo, nec a Propheta idcirco reprehensus; tum circa suspensum in ligno, cujus cadaver eadem die sepeliendum erat, cum idem David Gibeonitis concesserit, ut septem viri de domo Saul septem mensibus manerent suspensi. Quibus aliisve exemplis permotus MAIMONIDES declaravit, obtemperandum esse Prophetæ quilibet contra Legis vetitum jubenti, excepta idololatria; verum qui potest dispensare, potest et abrogare.

Jeremias ac cæteri Prophetæ de Nova Lege eloquantur Veteri substituenda, quæ non sit juxta pactum præcedens, quæ domui Israel, æque ac domui Jacob atque universis gentibus sit tradenda, quæ non saxo, sed cordibus et intimis visceribus inscribenda sit. Hæc vero nullatenus conveniunt Legi sub Nehemia datæ, quæ fuit ipsa Lex Mosis. Mirum proinde, quod GROTIUS christiani nominis scriptor malit cum aut pro Judæis quæritare diverticula, quæ sua Christianis infirment argumenta, et inimicis christianorum opitulentur; quam discere ab Apostolo, quod Jeremiæ vaticinium in Christo novi fœderis auctore fuerit completum. Eo quippe deducit misera prurigo loquendi et sentiendi nova, ut ad libitum multiplicentur Synagogæ; ut plura in exitu e Babylone fingantur prodigia, quam facta sint in monte Sinai; ut major et solemnior fiat apparatus ad illam sub Nehemia renovationem, quam ad primam Legis institutionem ac promulgationem; quamvis ad istam tam splendide illuxerit tremenda Dei Majestas, ut nusquam magis.

Obj. II. Ut Lex Vetus sit et dicatur abrogata, abrogari præprimis debuit circumcisio, utpote character Legis antiquæ; sicut Legis Novæ character baptismus est. Sed circumcisionis abolitio et nullibi legitur prædicta, et in hunc diem perdurat inter Judæos ritus circumcisionis; et pactum circumcisione obsignatum, Mosisque legitima vocantur sempiterna; ergo licet diruto templo, et abolitis per vim Principum sacrificiis, Religio tamen Judaica ex parte etiamnum subsistit.

RESP. Hæc argutatio falsis ac cariosis innititur fundamentis; falsa igitur et cariosa est. Nimirum supponit, Legis Mosaicæ distinctivum characterem fuisse circumcisionem; en falsum! nam circumcisio et fuit ante Legem Mosaicam, et fuit sub Lege, et post Legem etiam ab aliis, quam Judæis, adhibita. Supponit veri nominis æternitatem pro Lege Mosaica divinitus decretam; en cariosum! nam hæc æternitas (cui similis eadem Scripturæ phrasi non nisi ad finitum, ad definitum et ad breve etiam tempus protenditur) jamdum ante septemdecim secula suam vidit consummationem. Jamdum Abraham ante Mosen ex jussu Dei et se et filium suum Ismael, et omnes vernaculos domus suæ circumciderat. Circumcisi etiam Ismaelitæ Arabiam incolentes, Et usque hodie Judææ Palæstinæque confines populi circumciduntur, et præcipue Egyptii et Idumæi, Ammonitæ et Moabitæ, et omnis regio Saracenorum, ita ut, Mahumetani quoque circumcisionem non a Judæis, sed ab Arabibus Ismaelitis verius desumpserint.

Ita de Ismaelitis ORIGENES Philocal. c. 3. Et de reliquis S. HIERON. in Jerem. c. IX.

Etiam de servo dixit MOSES in Deuteronomio: « Serviet tibi usque in

æternum: » qui tamen servus anno jubilæi libertati restituendus est ex Levitico. Etiam terra Chanaan in possessionem æternam promissa Abraham et semini ejus in libro Genesis, annis jam 1700 alienæ subest potestati. Quid igitur? eadem loquendi formula non perpetuitatem, sed diuturnitatem Legis Mosaicæ significat, ad usque illud tempus, quo Domino Legis visum fuerit, novam sancire. Analogia est in quibusdam humanis legibus, quas Principes ut discernant ab aliis certo tempori adstrictis, vocare solent perpetuas; quin a se abdicent potestatem, illas etiam, ubi res postulat, immutandi.

Obj. III. Ipsemet, dum viveret, Christus Legi se accommodavit: Apostoli etiam post mortem Christi Synagogas frequentarunt: Deus speciali providentia Judæos in hunc diem conservat et tuetur; ergo necdum penitus rescissum est pactum Mosaicum, et quamvis careant Judæi civitate, templo, rege et sacrificio, illud tamen pactum firmum ratumque manere potest, fere sicut tempore captivitatis Babylonicæ.

Resp. Equidem Christus Legem exacte adimplevit, quia divinam et illo adhuc tempore vigentem; attamen partem Legis Mosaicæ moralem ad majorem perfectionem sublimavit, parti figuranti substituit veritatem, et redi-vivus ex mortuis Novam Legem suam præcepit Apostolis per universum orbem propagandam ac promulgandam omni creaturæ, idque sub intentata exclusione a regno cælorum non renatis per baptismum Christi. Apostoli, ut cum honore sepeliretur Synagoga, et ne ritus quondam vere divinos statim omnes condemnarent ceu superstitiosos; aliquanto tempore Legalia observarunt, dum Lex inter ruinas templi et urbis contumelaretur; attamen Legis Mosaicæ necessitatem negabant in Concilio Hierosolymitano: prædicarunt in templo et in Synagogis Religionem a Christo institutam, ceu inde ab orbe condito promissam, a Prophetis prænuntiatam, et a Lege Mosaicæ, innumeris figuris adumbratam.

Quod Deus conservet ac tueatur Judæos: et justitia est, ut profugi et vagi super terram (sicut Cain ille fratricida) omnibus in memoriam revocent fuscum a se sanguinem justis Abelis, framque Dei deicidæ in habitu demonstrent: et providentia est, ut Christo et Evangelio testes sint omni exceptione majores, qui si penitus extincti fuissent, negarent fors infideles, ullos unquam fuisse ante Christum Prophetas, aut unquam viguisse apud Judæos expectationem Messia: et bonitas est in reliquiis istius gentis, quam suo quondam tempore ad Christi fidem conversam in ejusdem Religionis societate cum gentilibus conjunget, prout Apostolus et antiquiores Prophetæ annuntiarunt.

Igitur nulla prorsus comparatio est hujus tam diuturnæ, tam universalis, tam acerbæ calamitatis Judaicæ cum alia captivitate: hæc quippe omnis nonnisi septuaginta annis duravit, illa vero obtinuit jam annis mille septingentis, per tempus fere longius, quam quo steterat Respublica Judæorum. Tempore regis ΝΑΒΥΧΟΔΟΝΟΣΟΡ remansit Jerosolymis et in Judæa magna pars populi: in Babylone suos habebant judices, quin et thronum regis: addebant animos clarissima Prophetarum vaticinia, septuaginta duntaxat annos determinante Jeremia, Isaia nomine adeo compellente CYRUM liberatorem, et Ezechiele novæ urbis ac templi formam describente. Quam vero dispar rerum facies in hac extrema captivitate? Nullis recreantur pro-

missionibus divinis, cernunt gentem alienam possidere suam quondam regionem, nomen suum omnibus populis invisum sentiunt, suis conatibus et captis obstare Numen, semper experti.

De his plura in sequenti Sectione.

§ III. COROLLARIA.

Quam igitur præstans est illa gnôme Augustiniana: « dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ et veritatis nostræ; ipsi habent prophetias de Christo, nos Christum: videte, quomodo de inimicis nostris alios confundimus inimicos »? De Messia, de adventu, de vita, de doctrina, de morte et de gloria Messia: pene omnia noverant Judæi ex Revelatione, quæ circa aliqua quater mille, circa alia bis mille, circa pleraque quadringentis annis antecessit natalis Messia: Ea omnia in persona Christi exactissime adimpleta; ea omnia Christianis fidelissime a Judæis tradita sunt. Et mirum! gentes iis fidem habent, non Judæi; Judæi quam zelosi pro rebus prædictis, tam increduli circa impletas prædictiones ac prophetias. Attamen, velint, nolint Judæi; et probant Christi adventum, si Christum recipiant, utpote depositarii prophetiarum de Christo; et probant Christi adventum, si Christum non recipiant, quatenus adimplent alias de sua pervicacia prophetias.

Vide AUGUSTINUM in Psalm. LVII. P. BUFFIER S. J. in appendice contra Judæos pro veritate Religion. Christ. n. 369. Item, *Défense de la Religion Révélée, extraite des Ecrits pour la Fondation de M. BOYLE*, tom. VI, p. 330.

SECTIO IV.

TESTIMONIA JUDÆORUM PRO VERITATE CHRISTIANA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Quod ex ipsa Lege Mosaicæ, ex Mosis et Prophetarum vaticiniis hactenus demonstratum de Judaismi abrogatione ac Christianismi surrogatione, utraque dudum impleta; idipsum argumentis veluti domesticis (aut ad hominem, ut vocant) stabiliendum videtur, ex ipsis tum scriptis historicis Judæorum, tum maxime Talmudicis, qui in summa apud illos veneratione sunt; nec non ex moderno statu Hebræorum, ut sic nihil admodum relinquatur effugii, quod suæ perfidiæ prætexere possint. Equidem VOLTAIRE cum suis pro dictoria sua impietate palam affirmat, de Christo ejusque gestis nihil prorsus memoriæ proditum esse, sive a Philone, sive a Josepho, quamvis utroque Scriptore synchrono, utroque Historico Judæorum diligentissimo, utroque maximi nominis inter Judæos; eo proterviæ progressus, ut quod circumfertur Josephi de Christo testimonium luculentissimum ac

æternum: » qui tamen servus anno jubilæi libertati restituendus est ex Levitico. Etiam terra Chanaan in possessionem æternam promissa Abraham et semini ejus in libro Genesis, annis jam 1700 alienæ subest potestati. Quid igitur? eadem loquendi formula non perpetuitatem, sed diuturnitatem Legis Mosaicæ significat, ad usque illud tempus, quo Domino Legis visum fuerit, novam sancire. Analogia est in quibusdam humanis legibus, quas Principes ut discernant ab aliis certo tempori adstrictis, vocare solent perpetuas; quin a se abdicent potestatem, illas etiam, ubi res postulat, immutandi.

Obj. III. Ipsemet, dum viveret, Christus Legi se accommodavit: Apostoli etiam post mortem Christi Synagogas frequentarunt: Deus speciali providentia Judæos in hunc diem conservat et tuetur; ergo necdum penitus rescissum est pactum Mosaicum, et quamvis careant Judæi civitate, templo, rege et sacrificio, illud tamen pactum firmum ratumque manere potest, fere sicut tempore captivitatis Babylonicæ.

Resp. Equidem Christus Legem exacte adimplevit, quia divinam et illo adhuc tempore vigentem; attamen partem Legis Mosaicæ moralem ad majorem perfectionem sublimavit, parti figuranti substituit veritatem, et redi-vivus ex mortuis Novam Legem suam præcepit Apostolis per universum orbem propagandam ac promulgandam omni creaturæ, idque sub intentata exclusione a regno cælorum non renatis per baptismum Christi. Apostoli, ut cum honore sepeliretur Synagoga, et ne ritus quondam vere divinos statim omnes condemnarent ceu superstitiosos; aliquanto tempore Legalia observarunt, dum Lex inter ruinas templi et urbis contumelaretur; attamen Legis Mosaicæ necessitatem negabant in Concilio Hierosolymitano: prædicarunt in templo et in Synagogis Religionem a Christo institutam, ceu inde ab orbe condito promissam, a Prophetis prænuntiatam, et a Lege Mosaica, innumeris figuris adumbratam.

Quod Deus conservet ac tueatur Judæos: et justitia est, ut profugi et vagi super terram (sicut Cain ille fratricida) omnibus in memoriam revocent fuscum a se sanguinem justis Abelis, framque Dei deicidæ in habitu demonstrent: et providentia est, ut Christo et Evangelio testes sint omni exceptione majores, qui si penitus extincti fuissent, negarent fors infideles, ullos unquam fuisse ante Christum Prophetas, aut unquam viguisse apud Judæos expectationem Messia: et bonitas est in reliquiis istius gentis, quam suo quondam tempore ad Christi fidem conversam in ejusdem Religionis societate cum gentilibus conjunget, prout Apostolus et antiquiores Prophetæ annuntiarunt.

Igitur nulla prorsus comparatio est hujus tam diuturnæ, tam universalis, tam acerbæ calamitatis Judaicæ cum alia captivitate: hæc quippe omnis nonnisi septuaginta annis duravit, illa vero obtinuit jam annis mille septingentis, per tempus fere longius, quam quo steterat Respublica Judæorum. Tempore regis ΝΑΒΥΧΟΔΟΝΟΣΟΡ remansit Jerosolymis et in Judæa magna pars populi: in Babylone suos habebant judices, quin et thronum regis: addebant animos clarissima Prophetarum vaticinia, septuaginta duntaxat annos determinante Jeremia, Isaia nomine adeo compellente CYRUM liberatorem, et Ezechiele novæ urbis ac templi formam describente. Quam vero dispar rerum facies in hac extrema captivitate? Nullis recreantur pro-

missionibus divinis, cernunt gentem alienam possidere suam quondam regionem, nomen suum omnibus populis invisum sentiunt, suis conatibus et captis obstare Numen, semper experti.

De his plura in sequenti Sectione.

§ III. COROLLARIA.

Quam igitur præstans est illa gnôme Augustiniana: « dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ et veritatis nostræ; ipsi habent prophetias de Christo, nos Christum: videte, quomodo de inimicis nostris alios confundimus inimicos »? De Messia, de adventu, de vita, de doctrina, de morte et de gloria Messia: pene omnia noverant Judæi ex Revelatione, quæ circa aliqua quater mille, circa alia bis mille, circa pleraque quadringentis annis antecessit natalis Messia: Ea omnia in persona Christi exactissime adimpleta; ea omnia Christianis fidelissime a Judæis tradita sunt. Et mirum! gentes iis fidem habent, non Judæi; Judæi quam zelosi pro rebus prædictis, tam increduli circa impletas prædictiones ac prophetias. Attamen, velint, nolint Judæi; et probant Christi adventum, si Christum recipiant, utpote depositarii prophetiarum de Christo; et probant Christi adventum, si Christum non recipiant, quatenus adimplent alias de sua pervicacia prophetias.

Vide AUGUSTINUM in Psalm. LVII. P. BUFFIER S. J. in appendice contra Judæos pro veritate Religion. Christ. n. 369. Item, *Défense de la Religion Révélée, extraite des Ecrits pour la Fondation de M. BOYLE*, tom. VI, p. 330.

SECTIO IV.

TESTIMONIA JUDÆORUM PRO VERITATE CHRISTIANA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Quod ex ipsa Lege Mosaica, ex Mosis et Prophetarum vaticiniis hactenus demonstratum de Judaismi abrogatione ac Christianismi surrogatione, utraque dudum impleta; idipsum argumentis veluti domesticis (aut ad hominem, ut vocant) stabiliendum videtur, ex ipsis tum scriptis historicis Judæorum, tum maxime Talmudicis, qui in summa apud illos veneratione sunt; nec non ex moderno statu Hebræorum, ut sic nihil admodum relinquatur effugii, quod suæ perfidiæ prætexere possint. Equidem VOLTAIRE cum suis pro dictoria sua impietate palam affirmat, de Christo ejusque gestis nihil prorsus memoriæ proditum esse, sive a Philone, sive a Josepho, quamvis utroque Scriptore synchrono, utroque Historico Judæorum diligentissimo, utroque maximi nominis inter Judæos; eo proterviæ progressus, ut quod circumfertur Josephi de Christo testimonium luculentissimum ac

probatissimum, una cum intemperantioris critices Protestantibus Scripto-
ribus (BLONDELLUM secutus duces) sublestæ fidei accusare ausit ac repudiare;
idque ex communi hodie, ut ait, omnium sententia; al verius dixerō, quod
contra unanimum fere confessionem ejus pugnet temeritas.

Vide Biblioth. Crit. Tom. II. c. 2. pag. 26.

§ II. THEMATA.

I. *Ex libris Judæorum Talmudicis fere evidens est, non amplius Judaicam, sed potius Christianam esse divinam Religionem.*

PROBATIO. LIBRIS TALMUDICIS, quorum apud Judæos summa est auctoritas, plura inserta sunt contra Christum, sed nonnulla etiam de et pro Christo; unde id saltem certum et in confesso est, Judæos consentire Christianis, quod Christus aliquando extiterit. In TALMUDE JEROSOL. L. Avodah-Zara nobis quidem haud notum hoc Christi miraculum recensetur: « dixit Rabbi Johanam, quod filius filii Rabbi Josue filiae Levi quoddam mortiferum deglutiverat, conjuratumque illi fuit in nomine Jesu filii Panther, et sanatus est. Cum vero evasisset, dixit pater pueri: remissius fuisset ei, si mortuus fuisset et non audisset verbum hoc, et sic statim factum est ei ». Huic simile prodigium a Christo patratum exhibetur in Midrasch Cohelet; quo in libro hæc etiam est sententia, « legem, quam homo discit in hoc seculo, vanitatem esse præ lege Messiae ». Apud Rabbi Simeon in Jalkut dicitur « Deus per Messiam novam legem esse daturus ». Eam demum TALMUD refert traditionem in domo Eliæ, quod sex annorum millibus definita sit duratio mundi, quorum duo priora millia fuerunt sine Lege; duobus subsequentibus vigere lex debuit; et per duo postrema Messiae doctrinam servari oportebat: quæ Traditio quam sit decisiva contra Legem Mosis pro Christi Lege, omnes intelligunt, omnes vident, qui oculos habent, ut videant.

Certissimum autem, quod veritas et divinitas Religionis consistere nullatenus possit cum doctrina hodiernæ Religionis Judaicæ, quæ in suo TALMUDE ea tribuit Deo, a quibus gentiles adeo et Mahumetani abhorrent. Accipe summa quædam capita Talmudistarum, vere quam ridicula, tam impia et blasphema: 1°. docent, quod Deus quotidie lugeat tum Judæorum captivitatem, tum et quod eos hinc ernere non possit; unde præ dolore capillos capitis sibi violenter evellit: 2°. quod idem Deus enixe efflagitet absolvi a jurejurando, quo spondit, se Judæos in captivitate relicturum: 3°. quod Deus sic vitæ suæ momenta dividat, ut per horas tres Legi addiscendæ studeat; per tres subsequentes eandem doceat infantes, qui ante adultam ætatem occubuerunt; per tres alias nugetur cum Leviathan; ac demum per totam noctem invisat octodecim millia mundorum, quos creavit: 4°. quod Deus a luna, quam primo æqualem soli fecerat, veniam simplex efflagitet, eo quod hanc deinceps sibi inferiorem reddiderit; cum autem memor injuriæ luna inustum sibi dedecus condonare nolit, sancitum a Deo culpam suam delere volente, ut quolibet lunari mense offeratur hircus in sacrificium: 5°. quod Deus utique longævi otii impatiens, antequam orbem hunc crearet, tempus innumeret in perpetua mundi alterius creatione et destructione,

Verum hujusmodi absurditates vix quisquam ethnicus unquam somniavit, et si Mahumetanus eas vendicaret, continue inter suos gravissime lueret vesaniam.

His etiam absurdiora refert auctor Libri, *Miqvah Israel* editus Wirceburgi a Judæo ad Christum converso, 1769.

II. *Ex Libris Judæorum Historicis, præprimis Josephi, apertissime constat Christi Divinitas et Veritas Religionis Christianæ.*

PROBATIO. JOSEPHUS licet Judæus præter honorificam mentionem de S. Joanne Baptista et de S. Jacobo (quem vocat fratrem Jesu, qui dicitur Christus, ab Aniano summo Pontifice lapidatum) de Christo Jesu ita disserit: « Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et multos quidem ex Judæis, multos etiam ex gentilibus ad se pertraxit; cumque eum a primoribus gentis nostræ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum cœperant: nam die tertio redivivus ipsis apparuit, cum divini Prophetæ hæc aliasque sexcenta admiranda prædixissent. Neque ad hunc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus ». Ac demum fata Judæorum tempore obsidionis enarrans subdit: « captivorum omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta et septem millium est numerus; mortuorum vero per tempus obsidionis undecies centum millia..... captivi vero illi qua vilissimo pretio venundati, qua igne et verberibus exerciati, aut semes a bestiis ad secundum eorum cibum servati sunt vivi..... quin et ipsa Judæorum terra jussu Vespasiani divendita est..... idque in meritam scelerum pœnam Dei voluntate decretam. »

Ad tantam historiæ fidem in Judæo quid adjiciam opportunum magis, quam illam HEGESIPPI Junioris in seculo IV. de hoc JOSEPHI testimonio periocham: « Si nobis non credunt Judæi, vel suis credant: hoc dixit Josephus, quem ipsi maximum putant; et tamen ita in eo ipso, quod verum locutus est, ita mente devius fuit, ut nec sermonibus suis crederet, sed locutus est propter historiæ suæ fidem, quia fallere nefas putabat. Non credidit propter duritiem cordis et perfidiæ intentionem; non tamen veritati præjudicabat, quia non credidit, sed plus addidit testimonio, quia nec incredulus et invitus negavit. In quo Christi Jesu claruit potentia æterna, quia eum etiam Principes Synagogæ, quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur »....

Hæc et plura hujusmodi reperies in Libris JOSEPHI de Antiq. VI. VII. VIII. XVIII. XX. XXVIII. Et in Libro II. HEGESIPPI de excidio Hieros. c. 12. Huc pertinet Epistola a Rabbi Samuel ad Rabbi Isaac seculo XI. exarata de LXX Hebdom. Daniel., in ejus capite VIII. sic ille Rabbi: « et si dicamus, quod Christus venturus est, et nondum venit... et ista desolatio non erit perpetua; respondebunt Christiani, quod adhuc ergo manet nobis occisio Christi, et adventus Titi, et populi Romani, et desolatio pejor ista, in qua jam fuimus per mille annos. Heu Domine! non est excusatio, nec evasio consona ». Traduxit hanc Epistolam ex Arabico idiomate Alphonsus Boni Hominis seculo XIII., eamque ceu genuinam contra scrupulum quemdam Calmeti ex probatis auctoribus vindicat S. Alphonsus de Ligorio.

III. *Modernus Judæorum status pro veritate Religionis Christianæ manifestissime eloquitur.*

PROBATIO. Præsens Judæorum conditio insuperabile argumentum est recessi fœderis Mosaici : nam a 1700 annis JEROVA, quem sibi elegerant Judæi Regem et Protectorem, Judæos plane deseruit, ut sicut ipse non amplius sit Rex et caput Reipublicæ Judaicæ, carens ditione, carens palatio, carens subditis et carens ministris; sic nullum obeat regalis potestatis officium, nulla apud illos edat miracula, nullos prophetas ad eos mittat, urbis et templi destructionem, cultus abolitionem, et universæ gentis excidium passus, nullum Judæis solatium et spem nullam relinquit restitutionis. Quin et JEROVA a 1700 annis, juxta illud Jeremiæ XLVI. 28. *Ego consumam omnes gentes, ad quas eieci te, serve meus Jacob; te vero non consumam, sed castigabo te in judicio*, animadvertit in Judæos ceu perduelles, eventibus et signis plane singularibus declarans, invisum sibi esse eorum genus et ingrata munera.

In templo Hierosolymitano 40 circiter annis ante ejus devastationem visa esse spectra, res miras et prodigiosas, referunt Doctores Judæi in TALMUNE et in aliis libris. Auditas a sacerdotibus in Festo Pentecostes, narrant JOSEPHUS et TACITUS, e Sancto Sanctorum prodeuntes hæc voces : *exeamus, exeamus*. Ab aliquot annis ante exortum bellum (ut memorat Josephus L. VI. de bell. Jud. c. 6.) Jesus quidam Anani filius per omnes civitatis vicos væ, væ Jerosolymis in clamabat, a quo etiam dirissima verbera et cruciatus nec preces nec lacrymas exprimerent, sed illam duntaxat lugubrem vocem identidem repetitam, cui quoque immortalis est. Nam dum obsidionis tempore mœnibus obambulans primum væ civitati et templo et populo voce alta in clamaret, ac demum adjiceret, væ etiam mihi; lapide ex balista hostium excusso ictus inter ipsas illas voces occubuit. Atque de hoc BOSSUETUS, quod in ipso nomine infaustum gesserit augurium, videaturque Deus voluisse, ut Propheta, Jesus nomine, ineluctabile fatum et præsens exitium annuntiaret; ac esset ominosum nomen pacis et salutis, quod in Christo Judæi contempserant.

Iram Numinis in Judæos clarius etiam ostendunt gravissimæ obsidionis tempore calamitates et angustiae (quas ibidem recenset Josephus) ut TITUS adeo clementissimus Imperator negaverit suis armis interiisse Jerosolymam, et nec laureas a variis populis oblatas accipere, nec congratulatorias orationes audire voluerit. Post urbis excidium annis quinquaginta ADRIANUS Imperator sexcenta Judæorum millia interfecit, reliquos sub hasta vendidit atque prohibuit, ne ad urbis suæ ruinas accederent, aut etiam e longinquo in eadem converterent oculos, ita ut tempore S. Hieronymi pecunia redimerent a militibus lacrymandi licentiam. Et quodnam illustrius vindictæ divinæ argumentum, ac illud, quo sub Juliano Apostata nefarios Imperatoris et Judæorum ausus circa Templi restorationem divina virtus terrifico modo dissipavit, uti consentientes referunt scriptores tum Christiani, tum Ethnici, tum Judæi.

Demum ab annis 1700 quam ærumnosam vitam agit apud extraneos po-

pulus ille, patrio solo extorris, sine sede fixa, nulla fruens requie; sed corde pavido (ut vaticinatus est MOSES) deficientibus oculis, anima mœrere consumpta, quasi pendentem ante se vitam infelix protrahit, factus in opprobrium, in fabulam et in proverbium cunctis gentibus. Ingens quidem adhuc illorum multitudo, ac vere admiranda post tot tantasque strages, nec minus insolita eorum per omnes terras dispersio ac subsistentia, quamvis communi odio flagrent omnium nationum: prorsus autem stupenda Judæorum tenacissima ad legem tamdiu et tam evidenter repudiata adhæsiō; Judæorum, inquam, qui cum sub Prophetis ac Regibus, et in conspectu templi Salomonici semper paratissimi essent ad suam Religionem cum aliarum gentium superstitione commutandam, post legis suæ excidium legi arctissime adhærescunt; sanc non alia de causa, quam ut ex providi Numinis cœlesti instituto vivum ac perpetuum testimonium exhibeant veritati Christianæ, quæ sola novit et credidit tantæ et tam diuturnæ calamitatis judaicæ genuinas causas, videlicet obdurationem et excæcationem Judæorum deicidarum, qui prius non sint ab hac atroci plaga liberandi, quam ex toto corde convertantur ad illum, quem patres eorum cruci suffixerunt.

Obj. I. Testimonium JOSEPHI de Christo jure censi potest suspectum, et a Christianis Josephi libris callide adsutum; tum quia Josepho communis cum aliis Judæis ea ætate persuasio fuit, Messiam futurum esse solum hominem, de quo proin scribere haud potuit: *Si tamen virum illum oportet dicere; tum quia plerique Critici verba Josephi controversa: hic erat Christus, cum S. Hieronymo ita transferunt: credebatur esse Christus; tum quia primis jam seculis hæc periocha in libris Josephi non fuit reperta, sive ab Origene, sive a Theodoro, qui propterea negat, Josephum habuisse Christum pro Messia.*

RESP. Pauci audaciores Critici, Blondellus, Tanaquillus Faber, et Simon Ricardus (quorum novellam opinionem in rem suam convertere conantur cum VOLTAINO increduli) tantæ auctoritatis non sunt, ut testimonio usque ad medium Seculi XVII. apud Scriptores Ecclesiasticos indubitato, et ab omnibus exemplaribus tam græcis, quam latinis etiam Asiaticis exhibitio valeant derogare. Erat JOSEPHUS in Scripturis sacris V. T. versatissimus, atque ex prophetiis de Messia divinitate clarissimis cum priscis Hebræis (qui recentioribus candidiores erant) facillime potuit conjicere, Messiam esse Filium Dei naturalem.

Quod JOSEPHUS scripserit: *hic erat Christus*, et non secundum communem opinionem: *hic credebatur esse Christus*, evincunt antecedentia et consequentia textus: *erat enim mirabilem effector... tertia die redivivus apparuit, et hoc aliaque admiranda Prophetæ de eo prædixerunt...* Interpretationi S. Hieronymi jure oppono codices Eusebii, Isidori, Ruffini aliorumque omnium latinorum et græcorum, quos inter Sophronius cum S. Hieronymi librum transferens in græcum restituit hanc Josephi lectionem: *hic erat Christus.*

Ad hæc qui potuit JOSEPHUS de Joanne Baptista ceu vero Propheta et viro justissimo, de hujus gestis et morte; qui potuit Jacobi Apostoli ab Anano occisi tam honorifice meminisse, cumque vocare fratrem Jesu cognomine Christi; quin simul de Christo cognosceret? Cum vero aliud sit, Christum

ceu Messiam agnoscere, et aliud Christi Religionem amplecti; jam in aperto est, Origenem et Theodoretum Josephi testimonio ceu authentico non refragari, cum scribat ORIGENES: « et vero mirabile est, quod cum Jesum nostrum non susciperet esse Christum, nihilominus tale justitiæ testimonium Jacobo dederit »; ac THEODORETUS: « Christianam quidem prædicationem non admisit, veritatem tamen occultare non sustinuit. »

Obj. II. Incredible est JOSEPHUM fide Judæum et secta pharisæum, ut aiunt, rigidissimum, tam splendide attestari voluisse adventum ac divinitatem Christi. Imo absolum est, provocare ad Scriptorem ejusmodi velut ad Evangelistam, de quo tamen constet, quod Christi et Messiae nomen per adulationem accommodaverit Vespasiano, et a Religione Christiana abhorruerit quam maxime.

RESP. Quæ de Christo, Joanne et Jacobo profert JOSEPHUS, eventa erant publica, quæ a boni Historici famam aucupante tegi non poterant, et minus quidem ea ætate, qua vixerat Josephus. Hic quippe noverat evidentiam miraculorum, noverat adimpletas reipsa prophetias, ac cumprimis illam DANIELIS, quem summis laudibus extollit, suo ævo aperte viderat in Templi ruina, in excidio Urbis, in devastatione et subjugatione Judææ ad dominatum Romanorum, in omnibus item aliis circumstantiis a Propheta prædictis completam esse. Quid ergo mirum, si quæ de Messia Propheta prædixerant, et ipse testaretur, quin se Evangelio subderet; cum ipsemet Pilatus gloriosa de Christo nuntiaverit Tiberio, quin ille fidem Christi profiteretur? Quid mirum, si tametsi christianus animo non esset, tamen historice facta recentia, publica et adeo famosa non reficeret; præsertim ne Romæ tunc ipse captivus urbem et orbem adversum se commoveret?

Quod VESPASIANO Regis a Prophetis promissi nomen ac prærogativam attribueret, indigna assentatio quidem fuit, orta ex ignavo studio pseudo-politices; sed quoddam simul argumentum est, quod communis illo tempore opinio fuerit, Messiam revera adventasse.

Obj. III. Sunt adeo nonnulli inter Christianos, qui laudatum JOSEPHI testimonium arguunt ex eo; tum quod in PHILONE Alexandrino, quamvis Scriptore synchrono, nihil plane habeatur de Christo; tum quod, si illud JOSEPHI genuinum esset, certe Patres primorum seculorum, S. Justinus, Origenes, Tertullianus, et Cyprianus illud allegassent, ubi adversus Judæos disputabant. Verum et hi de illo altum silent, et nec Joseph Bengorion, nec Photius verbulo id ipsum memorant; tametsi historiam JOSEPHI vel repeterent, vel in compendium ipsi redigerent.

RESP. Argumentum ex toto inficiale roboris parum habet, ipsis fatentibus Criticis, adversus testatissimam sententiam. Et quæ demum consecutio a Philologo vel Theologo ad Historicum? Quæ consequentia: PHILO nihil habet de Christo; ergo quod habet JOSEPHUS, genuinum non est? PHILO non ita historicum egit, uti JOSEPHUS; sed de variis pertractavit sine nexu rerum. Ediderat prius omnia sua scripta, quam Christi gesta Judæam impleverant. Vixerat Alexandriæ inter Judæos, ab his jam grandævus ad Cæsarem missus; ejus igitur de Christo et de Christianis silentium, fortassis professum, coactum et silentium inimici, tot tantisque testibus plane nihil derogat.

S. JUSTINUS in Dialogo cum Tryphone e sacris duntaxat Litteris disputat, ad quam pugnam impertinens visum est testimonium Josephi. TERTULLIANO fors plane incognitus fuit Josephus, cujus vix ullibi meminit; idem est de CYPRIANO. ORIGENES vel habuit Codicem Judæorum fraude depravatum, vel illius testimonii non usque memor fuit; qui tamen ipse hæc de excidio Hierosolymæ verba ex eodem Josepho laudat: « hæc autem contigerunt Judæis in ultionem Jacobi justis, fratris Jesu, qui dicitur Christus; quoniam eum, cum justissimus esset, Judæi interfecerunt »: quæ verba id saltem innuunt, Josephum non pejus de Magistro, quam de discipulo sensisse. L. I. cont. Celsum.

Josephus GORIONIDES enixus est scetum Judæi recentioris, cujus in morem suppressit invisum Judæis testimonium scriptoris Judæi antiquioris et Christi ævo magis propinqui. PHOTII Epitome nequicquam accurata est in recensendis veterum scriptis, quibus, utpote pro suo libitu detraxit aliqua, ut illud de Christi divinitate et de virginitate Deiparæ, aliqua adjecit, uti infanticidium Herodis, de quo nihil in historia Josephi reperias.

Demum quid valeat paucorum aut silentium aut ambiguitas contra omnes JOSEPHI Codices cum excusos tum manuscriptos, in quibus ea Josephi sententia disertis verbis consignatur; contra EUSEBIUM sacræ Critices peritissimum, qui inde obtractores Evangelicæ veritatis tanquam imprudentissimos convicit; contra S. HIERONYMUM, qui in illo Josephi suffragio nequicquam sublestæ fidei suspicatus est; contra ISIDORUM Pelusiotam, contra SOZOMENUM, CEDRENUM, NICEPHORUM, SUIDAM et innumeros alios? Quid demum contra tredecim vel quatuordecim seculorum lucem recentioris ac intemperantioris Critices valeant molimina?

§ III. COROLLARIA.

Metuendum sane Christianis, ne dum invalescente rebellione in Evangelium Christi complures eorum æmulantur incredulitatem Judæorum (qui et Christi Præcursorem, quod non biberet nec manducaret; et Christum, quod biberet ac manducaret cum peccatoribus, cavillabantur) eadem pœnas subeant: ut sicut initio ex Judæorum delicto salus erat gentibus; ita ex conversarum gentium delicto fidem et salutem capiant Judæi. « *Vobis enim dico gentibus...* (verba sunt APOSTOLI ad Christianos ex gentibus assumptos, a superbis ævi nostri Philosophastris cumprimis ponderanda) *ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fiet: veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob; et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem charissimi propter Patres: sine penitentia enim sunt dona et vocatio Dei.... Concluserit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* »

Vis sensum APOSTOLI? accipe: sicut olim permisit Deus Judæorum incredulitatem, ut sua in gentes misericordia effulgeret; sic hodie permittit Christianorum incredulorum perfidiam, ut Judæos respiciat, peccata eorum auferat, prophetiarum intelligentia eos collustret, iisdem donet fidem in

Jesum Christum, quam deinceps nunquam deserturi, quin et zelo suo sibi propagaturi; abscedentur ergo terrifico Dei judicio rami inutiles, qui contra naturam velut oleaster in bonam olivam inserti erant, ut qui secundum naturam, suæ olivæ inserantur fructuosi, itaque Ecclesia Dei populum rebellem deperdens alium docilem acquirat. Concludit APOSTOLUS: « *noli gloriari adversus ramos... propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time.* »

Ita PAULUS ad Rom. XI... ad ejus vaticinium relegi debent ISAI. LIX. 20. JEREM. XXXI. OSE. III. §. Præclare autem circa hæc disserunt BOSSUET in Hist. Univ. et DUGUET, Règle pour l'intelligence des Saintes Ecritures, p. 193.



DISSERTATIO VII.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

SECTIO I.

RELIGIO CHRISTIANA VERE DIVINA, ET QUOAD SUBSTANTIAM ANTIQUISSIMA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Sacræ Litteræ generatim edicunt, quod Deus sit absconditus, et post lapsum hominis hominem reliquerit in sua cæcitate, e qua ad plenam lucem non nisi per JESUM CHRISTUM eluctari possit: *nemo enim novit patrem, nisi filius, aut cui voluerit filius revelare.* Cognitio Dei absque cognitione miseriarum nostrarum parit superbiam; cognitio miseriarum nostrarum sine cognitione Mediatoris parit desperationem: sed cognitio CHRISTI eximit ab utraque. Qui Deum quaerunt sine CHRISTO, inquirunt medium communicandi cum Deo sine Mediatore, ut passim de illis verum sit: quod curiositate cognoverunt, superbia amiserunt: inde vel in Atheismum, vel in Theismum plerique prolapsi. CHRISTI in Lege Naturæ promissi cognitio perpetua Traditione vigeat: in Lege Scripta Christus innumeris figuris adumbratus, et promissis iterato stabilitus fuit: de CHRISTO scriptores judæi, gentiles et barbari abunde testantur, ut adeo Darius, Cyrus, Alexander, Romani, Pompeius et Herodes jamdum egerint pro gloria Christi et Evangelii, nihil ejusmodi suspicati: omnium vero locupletissime de Christo eloquantur testes domestici, Prophetae, Apostoli et Evangelistæ.

Ut ut ergo impiorum turba Christianum nomen tollere quasi conjurata hucusque contendit, atque ad singulas divinæ œconomiae partes convellendas opes contulit viresque omnes; tamen omnium gentium ac seculorum testimonio stat inconcussum, quod fuerit Propheta, vel ex prædicto Jerosolymæ excidio spectatissimus, et similis Mosi quoad patrata prodigia, Legis Novæ promulgationem, gentium ex stygii Pharaonis servitute liberationem, et patefactam in cælum viam: quod promulgata Novæ Legis doctrina discipulos sibi adseverit et habuerit sectatores, qui ante et post ejus mortem multis

Jesum Christum, quam deinceps nunquam deserturi, quin et zelo suo sibi propagaturi; abscedentur ergo terrifico Dei judicio rami inutiles, qui contra naturam velut oleaster in bonam olivam inserti erant, ut qui secundum naturam, suæ olivæ inserantur fructuosi, itaque Ecclesia Dei populum rebellem deperdens alium docilem acquirat. Concludit APOSTOLUS: « *noli gloriari adversus ramos... propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time.* »

Ita PAULUS ad Rom. XI... ad ejus vaticinium relegi debent ISAI. LIX. 20. JEREM. XXXI. OSE. III. §. Præclare autem circa hæc disserunt BOSSUET in Hist. Univ. et DUGUET, Règle pour l'intelligence des Saintes Ecritures, p. 193.



DISSERTATIO VII.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

SECTIO I.

RELIGIO CHRISTIANA VERE DIVINA, ET QUOAD SUBSTANTIAM ANTIQUISSIMA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Sacræ Litteræ generatim edicunt, quod Deus sit absconditus, et post lapsum hominis hominem reliquerit in sua cæcitate, e qua ad plenam lucem non nisi per JESUM CHRISTUM eluctari possit: *nemo enim novit patrem, nisi filius, aut cui voluerit filius revelare.* Cognitio Dei absque cognitione miseræ nostræ parit superbiam; cognitio miseræ nostræ sine cognitione Mediatoris parit desperationem: sed cognitio CHRISTI eximit ab utraque. Qui Deum quaerunt sine CHRISTO, inquirunt medium communicandi cum Deo sine Mediatore, ut passim de illis verum sit: quod curiositate cognoverunt, superbia amiserunt: inde vel in Atheismum, vel in Theismum plerique prolapsi. CHRISTI in Lege Naturæ promissi cognitio perpetua Traditione vigeat: in Lege Scripta Christus innumeris figuris adumbratus, et promissis iterato stabilitus fuit: de CHRISTO scriptores judæi, gentiles et barbari abunde testantur, ut adeo Darius, Cyrus, Alexander, Romani, Pompeius et Herodes jamdum egerint pro gloria Christi et Evangelii, nihil ejusmodi suspicati: omnium vero locupletissime de Christo eloquantur testes domestici, Prophetae, Apostoli et Evangelistæ.

Ut ut ergo impiorum turba Christianum nomen tollere quasi conjurata hucusque contendit, atque ad singulas divinae œconomiae partes convellendas opes contulit viresque omnes; tamen omnium gentium ac seculorum testimonio stat inconcussum, quod fuerit Propheta, vel ex prædicto Jerosolymæ excidio spectatissimus, et similis Mosi quoad patrata prodigia, Legis Novæ promulgationem, gentium ex stygii Pharaonis servitute liberationem, et patefactam in cælum viam: quod promulgata Novæ Legis doctrina discipulos sibi adseverit et habuerit sectatores, qui ante et post ejus mortem multis

persuaserint eandem doctrinam a se divulgatam : quod ultionem gravissimam, quam se audire nolentibus intentaverat, errantes in orbe Judæi in hunc diem experiantur.

II. Munus, quod Christus obiit in terris, triplici constabat officio, Prophetico, Sacerdotali et Regio. PROPHETICUM obiit munus, quamdiu inter homines versatus est; hoc nomine suam ipse mortem, passionem, crucifixionem, ascensionem, et missionem Spiritus sancti prædixit; divinam nobis patefecit voluntatem, doctrinam suam tanquam vere divinam miraculis comprobavit, virtutum exemplis illustravit, suo sanguine obsignavit, ac Veteri Lege abrogata (cujus ipse complementum fuit) Novæ Legis Mediator extitit, SACERDOTALE munus duas partes complectebatur, oblationem donorum ac sacrificiorum pro peccatis, et intercessionem apud Deum : Christus Sacerdos factus secundum ordinem Melchisedech obtulit holocaustum perfectissimum Domino, victimam impollutam suum Corpus, in quo peccata nostra pertulit; et in ara Crucis positus, fundens preces exauditus est pro sua reverentia, sedensque nunc a dextris Dei non cessat interpellare pro nobis; sicque transtulit Sacerdotium Aaronicum. Denique propter passionem mortis gloria et honore coronatus, et summa rerum potitus sancivit auctoritate REGIA Novam Legem, constituit Ecclesiam, instituit ministros, Spiritum sanctum et hujus munera distribuit, aliquando autem venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. Non ergo de divinitate Christi, nec de divinitate ac antiquitate Religionis Christianæ quicquam ambigendum; hinc esto

§ II. THEMATA.

I. *Christus Auctor Religionis Christianæ verus est Deus.*

PROBATIO. Divinitatem CHRISTI copiosissime ac luculentissime eloquuntur tot tamque divini characteres ac tituli, quæ utriusque Testamenti elogia Messiam insigniant, ceu Emmanuelem, Legislatorem, Regem et Judicem nostrum, Salvatorem mundi, Sanctum Sanctorum, Solem justitiæ, Lucem gentium, Filium et Agnum Dei, Filium Dei unigenitum, Mediatorem Dei et hominum, Caput Ecclesiæ, Sacerdotem in æternum, Principem Regum terræ, qui sit via, veritas et vita, Principium et Finis, Alpha et Omega. Eloquuntur omnium Prophetarum per bis mille annos de Deo Messia oracula, et per quater mille annos Patriarcharum omniumque Sanctorum inde ab orbe condito suspiria ad Deum Messiam, Angelorum chori nascente Christo evangelizantes gaudium magnum, stella Magorum dux ad præsepe Domini, Simeon et Anna Christum ceu salutare Dei agnoscentes, Joannis de Christo testimonia et encomia, vox cælo delapsa ad Jordanem et in monte Thabor, stupendum solis deliquium, scissæ petrae, sepulchra aperta, tremor terræ in morte Christi. Eloquuntur vitæ Christi sanctitas, veritates, quas sua auctoritate proposuit credendas, præsentia, quæ ex propria scientia profudit, miracula, quæ sua virtute patris ea omnia confirmavit. Ac demum eloquuntur adimpletæ per Christum promissiones, veritas Resurrectionis a mortuis, totiusque Christiani orbis consensus et veneratio. Est autem CHRISTUS uti Legislator et Auctor Religionis vere divinus; ita omni amore et honore dignissimus, qui cum Religionem omnium perfectissimam verbis edocuit, sic a

discipulis suis nihil prætendit, in quo ipse suo exemplo non præiret Dux et Magister.

Hæc pluribus dilucidant HOOKII Tomus II. de Princip. Relig. Nec non P. Thomæ HOLZKLAU S. J. Instit. Theol. de Deo Verbo Incarn.

II. *Religio a Christo instituta est vera vereque divina.*

PROBATIO. Doctrina Christiana de Deo et de perfectionibus divinis, de perfectione vitæ christianæ, de fine ultimo hominis, et de mediis salutis æternæ latissimo ab omnibus aliis sectis discrimine distans, tot tantisque miraculis et vaticiniis in hunc diem inclaruit, ut ejus non nisi divina origo esse possit. Est quippe Religio Christiana ad veram æternamque felicitatem dux tam certa, quam verax est Deus : promittit et abunde suppeditat necessaria ad hunc finem media, quæ corroborent naturæ imbecillitatem : summam vitæ inspirat sanctitatem : mentem saluberrimis principiis imbuit : voluntatem succendit ad spem et amorem summum summi Boni : cor devium reducit, languidum confortat, fervidum meritis et virtutibus exornat : solatur hominem lapsam obtinendæ a Deo per pœnitentiam reconciliationis certitudine : erigit afflictum, pœnas divinitus immisas ceu patris castigantis et amantis argumenta persuadens, sine cujus provida mente cæ non essent ; et quarum perpersionem is larga manu compensat : ad æterna demum gaudia vere Christianum perducit. Num quid simile his aut dicat, aut consequitur sola imbecillis ratio, et prona in omne nefas humana voluntas, Christi fide destituta, et indigna gratia Christi?

Et quid non debent christianæ Revelationi Natura, Virtus et Religio? Perficit ea Religionem Naturalem, et omnium Philosophorum doctrinam supra modum transcendit. Cor ipsum sanctificat, neque virtutem ceu veram testimat, quæ non ex puro corde et divino amore profluat. Inculcat officia, quorum observantia felicitatem hominis mirifice promovet, et quæ improbare nequit ratio, nec unus tamen Philosophus olim edocuit, cujusmodi est dilectio inimicorum. Ea proponit motiva et præmia virtutum, ad quæ sapientissimi antehac non pervenerunt. Ad præconium legis christianæ idololatRIA, quæ in orbe terrarum quieta consenuerat, et quæ ad nullius unquam philosophi perspicaciam hucusque ne vacillaverat quidem, repente ac sonore corruit. Immania Ethnicorum spectacula, humani sanguinis hostiæ, vindictæ barbaries, et quævis alia truculenta sævities subjugatur patientiæ, mansuetudini ac christianæ charitati. Exulat in statibus christianis, aut certe multo rarior est subditorum adversus Principes seditio, cum et jugum quandoque importabile emolliat christiana tolerantia. Redundant opera misericordiæ, beneficentiæ et dilectionis intra et extra nosocomia pro afflictis, egenibus, pupillis et viduis. Exurgunt undique scholæ et gymnasia pro erudienda juventute præprimis in doctrina Religionis; quæ quidem subsidia charitatis, quanta quanta fuit Philosophorum sapientia, ignoravit. Miraculorum et Vaticiniorum copiam ac splendorem deinceps perstringemus.

III. *Christiana Religio uti vere divina, sic quoad substantiam antiquissima est.*

PROBATIO. Religio Naturalis Patriarcharum, Mosaica Judæorum, et Evangelica Christianorum una eademque sunt Religio divina, initio minus perfecta, posthac revelationibus aucta, ac demum per Jesum Christum ad plenam lucem splendoremque perducta. Cœva quippe mundo illa est Religio, quæ docet hominem ex amico Dei factum esse inimicum, et ex felicissima Dei creatura creaturam omnium infelicissimam, suæ felicitati ac amicitiae divinæ non nisi per Messiam, divinum humani generis Reparatorem esse restituendam. Eadem ergo est Religio Christiana cum Religione Patriarchali in explicatione originalis mali per lapsum primorum parentum; eadem in explicatione mali per mediationem liberatoris. Eadem ergo est Religio Christiana cum Judaica quoad objectum cultus divini, cui et hæc sacrificavit, et illa sacrificat; quarum analogiam quoad omnes partes exhibet BECANUS, et copiose ac eleganter explicat AUGUSTINUS; qui « proinde aliis tunc nominibus ac signis, ait, aliis autem nunc; et prius occultius, postea manifestius; et prius a paucioribus, postea a pluribus; una tamen eademque Religio vera significatur et observatur ». Eadem vero etiam est Religio christiana cum doctrina vetustissimorum populorum, in quorum doctrina et Religionibus innumera deprehendas vestigia fidei christianæ circa tres naturæ humanæ status, primævum perfectionis ac felicitatis, præsentem militiæ et purgationis, et futurum perfectæ felicitatis; nec non circa causam lapsus et modum reparationis.

En antiquitatem, en perpetuitatem veræ ac christianæ Religionis inde ab initio ad finem usque mundi; qua prærogativa cum gloriari nulla alia Religio possit, en veritatem, præstantiam, divinitatem Religionis christianæ.

Vide MARTINI BECANI S. J. Analogiam V. ac N. Testamenti, Venetiis an 1738. S. AUGUSTINI epistolam 49. ad Deo gratias Q. II. III.... L. X. de Civ. c. 32.

Obj. I. Potuit Christus esse impostor, sic ait Mahumes, potuit variis artibus, sublato e. g. e Templi lapide, ut aiunt Judæi, nomine Tetragrammato, patrare miracula: sicque suos decipere asseclas. Et sane quod tantopere commendavit verbis Christus, simplicitatem, injuriarum oblivionem, et amorem inimicorum, factis negavit; captiosis non raro quæstionibus illudens Pharisæis, quos et acerrima dicacitate objurgavit atque exagitavit sæpissime.

RESP. Longissime abfuit ille ab omni suspicione imposturæ, qui propter humilem vitæ conditionem caruit fallendi facultate, et de quo propter excellentes virtutes certum est, caruisse fallendi voluntate. Nobilitas generis, dignitates, opes et potentia fallaciæ adjumenta sunt, quibus apud homines conciliatur auctoritas: sed natus est CHRISTUS muliere pauperula, quæ fabro lignario nupserat: primum domicilium fuit stabulum: educatus est in patris officina, et in Galilæa, de qua nullus Propheta, minus Messias expectabatur a Judæis: non habuit, ubi caput reclinaret: nec aliunde, quam ex piorum quorundam hominum liberalitate sustentabatur: Apostolos constantissime docuit ferre crucem suam, seseque ad omnia patienda parare: magnorum

odia et persecutionem semper tulit, et tandem crudelissima morte affectus est, cui prævisæ et prædictæ noluit sese subducere. Hanc vero vitam qui dixerit aptam vel ad fallendos homines, vel ad eos sibi conciliandos sine excellenti virtute, sine præstanti doctrina, sine miraculis, communi is sensui contradicit.

CHRISTUS adeo nullas partes impostoris egit, ut egregia potius specimina dederit omnium virtutum; ferventissimæ in Deum pietatis, referens omnia facta, sermones ac frequentem orationem ad Dei gloriam et regnum Dei promovendum, habens pro cibo facere et perficere opus Dei: effusæ in omnes homines charitatis, immensos perferens labores ad erudiendos rudes, ad avocandos a sceleribus improbos, ad ægros sanandos, ad salvandos omnes, etiam pro dirissimis persecutoribus orans in cruce: summæ integritatis animi a vanitatibus hujus vitæ, ab avaritia, ambitione et voluptatibus prorsus alieni, qui populi ipsum Regem proclamantis oculis subduxit sese, et publicum contemptum in probrosissima morte sustinere voluit; qui nec opes, nec dignitates, nec famam apud homines quæsivit, nec unquam usus est adulatione, assentatione, dissimulatione seu artibus illas comparandi: summæ puritatis, quæ omnem superaret invidiam, et contra quam ne hisceret quidem projecta ad quævis alia inimicorum Christi maledicentia: incomparabilis mansuetudinis, humilitatis, patientiæ et constantiæ inauditæ, dicens se venisse, ut aliis inserviret, inter impiissimos et crudelissimos homines tanquam ovis obmutescens, atrocissimis suppliciis et morti ignominiosissimæ ultro sese objiens pro salute hominum.

Et in hac infinita Dei-Hominis sanctitate quidquam reperiant pestilentissimi hominum Increduli, quod arrodant? CHRISTUS et prudentiam et simplicitatem ex æquo commendavit; indeque ad captiosas Pharisæorum quæstiones haud directe semper respondit, idque ad ipsos propria ex conscientia de sua persona erudiendos; at semper tamen plane et definite ad eas, quæ simplicem ac ingenuam mentem præseferbant. Erant Pharisæi ob hypocrisin, fallaciam, arrogantiam, ostentationem, divinæ Legis corruptionem, aliaque vitia reprehensione publica dignissimi: intererat Reipublicæ et Religionis Judaicæ, ut hypocritæ suis integumentis nudarentur, veteratorum existimatio apud plebem misere ludificatam convelleretur, et Mosaicæ Legis puritas vindicaretur. Jungebat ergo Christus zelum gloriæ divinæ, et aliorum curam salutis cum charitate, quæ quanta fuerit apud infensissimos hostes, discant Increduli ex ejus in Cruce præcatione: *Pater! ignosce illis, neque enim sciunt, quid faciunt.*

De his copiosius disserunt D. FRANÇOIS in LL. *Défense de la Religion*, D. BELLET in L. *les Droits de la Religion chrétienne*. P. HERM. GOLDHAGEN S. J. P. III. *Introduct. in Scripturam.*

Obj. II. Adventus CHRISTI admodum humilis officiebat fidei in Christum; et Religioni Christianæ inter gentes æque ac inter Judæos non parum obstat adhuc. Vixit Christus annos triginta tres: per annos triginta latebat absconditus: per tres reliquos habebatur impostor, rejectus a Sacerdotibus et primoribus suæ gentis, contemptus ab inimicis, mortuus in cruce veluti malefactor, proditus ab uno, negatus ab altero familiarium suorum, desertus ab omnibus.

RESP. Attamen tota gens hebræa ejusmodi adventum Messiae prædixit, Prophetarum edocta oraculis: et gentes, dum venerat hic Messias, eum adoraverunt; Gentiles ergo et Judæi ceu metam et centrum suorum votorum eundem respiciunt. Nec Salomon aut Prophetæ, nec Plato aut Socrates aut alius quivis sapientissimus ac eloquentissimus persuadere gentibus unquam poterat aut fidem in Messiam, aut unius veri Dei cultum. Soli gratiæ Christi servata gentilium conversio, qua gentes turmatim ad Christi vexillum convolant, idolorum fana subvertunt, et Reges illarum seipsos Cruci subjugant. Nonne hic splendor summus est pro adventu Christi, ad quem cum cæcitate Judæi, et obdurarent corda sua; hanc quoque duritiam ac cæcitatem suam Judæis prædixerat sua Lex, æque ac adventum sui Messiae humilis ac mansueti. Et vero Prophetiæ, quæ Christum exhibent pauperem, exhibent eum etiam dominatorem terræ, ita ut ex tota nascendi, vivendi et moriendi ratione, quam ad Messiae characterem spectare Deus voluit, velut ex nubeculis sol Divinitatis non obscure effulgeret.

Atque hic obtinet illud S. AUGUSTINI: « grande spectaculum (Christus crucifigendus) sed si spectet impietas, grande ludibrium: si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominie documentum: si pietas, grande fidei munimentum. » Tract. in Joann. CXVII. §. 3.

Obj. III. PROPHETÆ et APOSTOLI homines erant, quales nos sumus: ecur plus illis tribuamus, quam mille aliis, qui de Religione senserunt aliter? Atque ideo ne Judæi quidem Christum agnoscunt ceu Messiam. Tandem fidei Christianæ antiquitati obstant tam verba Apostoli ad Galatas: *at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*, quam illa ad Romanos: *non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Cum enim fides in Christum non sit sine gratia, et fides Christi primum venerit, ubi venit Christus; qua ratione Christiana videatur antiquissima Religio?

RESP. Jam iterum mentitur iniquitas sibi. Nequaquam homines erant PROPHETÆ et APOSTOLI, sicut Theistæ: illi enim corde erant humili, spiritu illuminato, et conscientia munda; cum sint Theistæ tenebris involuti, judicantes ex præventionem, amantes vitia. Judæi non quidem omnes, at sancti tamen susceperunt Christum, quem Prophetæ et Apostoli Messiam prædicaverant; et quod carnales Judæi eum rejiciant, id ipsum auget gloriam Christi. Quæ enim ratio in Talmude et apud Rabbinos, Christum ceu Messiam repudiandi? fors quia non omnes nationes armis edomuit? nulla suis spolia distribuit? nullas elargitus divitias, ipse autem turpissima morte occubuit? Verum ex his ipsis Christus ceu Messias a sanctis agnoscitur, adoratur ac redamatur; repudiandus a Christianis Messias, qualem sibi effingunt et exoptant Judæi. Eandem autem quoad substantiam fuisse fidem in Christum ante adventum Christi, præclare edocet AUGUSTINUS; quamvis modus discrepet, sive ex parte objecti: quia veteres credebant in Christum nasciturum et moriturum, nos autem credimus in Christum natum et mortuum; sive ex parte actus: quia veteres, quamdiu sub nube Legis antiquæ erant, ad fidem in Christum explicitam non tenebantur, cum sufficeret implicita. Tandem veteres justi magis sub gratia, quam sub Lege fuerunt: si enim sub Lege esse dicitur, vel qui gratiam ignorans servitute Legis premitur, vel in quo peccatum dominatur, uti docet APOSTOLUS; illi nec servierunt peccato, nec

justitiam, quamvis Legi Mosaicæ adscripti, a Lege, sed a fide in Christum expectabant.

Hinc AUG. Tract. 43. in Joan. « Eadem fides, ait, utrosque conjungit, et eos, qui venturum esse, et eos, qui eum venisse crediderunt. » Idem L. III. cont. 2. epist. Pelag. c. 4. scribit, « Abraham, Mosen, David omnesque veteres Justos filios fuisse promissionis et gratiæ, non ex Lege, sed ex promissione; hæredes Dei, cohæredes autem Christi ».

§ III. COROLLARIA.

Discant hic Increduli, quem audiant magistrum et ducem sequantur, JESUM CHRISTUM, cujus ad doctrinam exclamandum: nunquam sic locutus est homo; hic solus verba vitæ æternæ habet; cujus ex prodigiis emicat virtus Altissimi, ipsemet virtus Dei; qui quantum ad mysteria et vaticinia, in-tuetur profunda Dei, genitus in splendoribus Sanctorum, unigenitus Dei Filius, quem nihil in domo Patris sui lateat; qui offert veritatem suam, quæ nos ducat; brachium, quo sustentet; gratiam, quæ corroboret; crucem, quæ defendat; sanguinem, qui emundet; mortem, quæ vivificet. Et quis vel momento temporis dubitet, hujus tanti magistri ac ducis vocem audire et revereri? quid enim majus veritate, cujus est magister? virtute, cujus est exemplum? Religione, cujus est auctor? Ecclesia, cujus est caput? Augusto Sacrificio, cujus est victima et sacerdos? gratia et gloria, cujus est arbiter? cælo, quod est Regnum ejus? Deo, cujus est legatus et unicus Filius? Me sane cogunt ista exclamare cum Centurione: *Vere hic homo filius Dei erat*, et cum Principe Apostolorum confiteri: *Tu es Christus filius Dei vivi*, auctor fidei et salutis meæ, unicum spei meæ fundamentum, amoris mei objectum dignissimum et præmium infinitum!

SECTIO II.

RELIGIO CHRISTIANA CONSIGNATA IN LIBRIS N. T. VERE DIVINIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

NOVUM TESTAMENTUM appellantur Libri divinitus inspirati, qui post Christi adventum exarati de rebus divinis divina auctoritate pertractant, et ab Ecclesia sacrum in Canonem, quem iterum recensuit Concilium Tridentinum, relati sunt. Fundatur Novi Testamenti authenticitas in Testamento Veteri vere authentico, cujus in hunc diem Judæi Christianis testes sunt, custodes, librarii et capsarii. Mira Dei providentia! Quamdiu exstabant Prophetæ, Legem suam tuendi vix curam habebant Judæi; postquam vero nulli amplius Prophetæ exstiterunt, successit ingens Judæorum zelus pro Lege sarta tectaque in Libris sacris conservanda. Nimirum ut ex Libris sacris Judæorum

RESP. Attamen tota gens hebræa ejusmodi adventum Messiae prædixit, Prophetarum edocta oraculis: et gentes, dum venerat hic Messias, eum adoraverunt; Gentiles ergo et Judæi ceu metam et centrum suorum votorum eundem respiciunt. Nec Salomon aut Prophetæ, nec Plato aut Socrates aut alius quivis sapientissimus ac eloquentissimus persuadere gentibus unquam poterat aut fidem in Messiam, aut unius veri Dei cultum. Soli gratiæ Christi servata gentilium conversio, qua gentes turmatim ad Christi vexillum convolant, idolorum fana subvertunt, et Reges illarum seipsos Cruci subjugant. Nonne hic splendor summus est pro adventu Christi, ad quem cum cæcitate Judæi, et obdurarent corda sua; hanc quoque duritiam ac cæcitatem suam Judæis prædixerat sua Lex, æque ac adventum sui Messiae humilis ac mansueti. Et vero Prophetiæ, quæ Christum exhibent pauperem, exhibent eum etiam dominatorem terræ, ita ut ex tota nascendi, vivendi et moriendi ratione, quam ad Messiae characterem spectare Deus voluit, velut ex nubeculis sol Divinitatis non obscure effulgeret.

Atque hic obtinet illud S. AUGUSTINI: « grande spectaculum (Christus crucifigendus) sed si spectet impietas, grande ludibrium: si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominie documentum: si pietas, grande fidei munimentum. » Tract. in Joann. CXVII. §. 3.

Obj. III. PROPHETÆ et APOSTOLI homines erant, quales nos sumus: ecur plus illis tribuamus, quam mille aliis, qui de Religione senserunt aliter? Atque ideo ne Judæi quidem Christum agnoscunt ceu Messiam. Tandem fidei Christianæ antiquitati obstant tam verba Apostoli ad Galatas: *at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo*, quam illa ad Romanos: *non enim sub lege estis, sed sub gratia*. Cum enim fides in Christum non sit sine gratia, et fides Christi primum venerit, ubi venit Christus; qua ratione Christiana videatur antiquissima Religio?

RESP. Jam iterum mentitur iniquitas sibi. Nequaquam homines erant PROPHETÆ et APOSTOLI, sicut Theistæ: illi enim corde erant humili, spiritu illuminato, et conscientia munda; cum sint Theistæ tenebris involuti, judicantes ex præventionem, amantes vitia. Judæi non quidem omnes, at sancti tamen susceperunt Christum, quem Prophetæ et Apostoli Messiam prædicaverant; et quod carnales Judæi eum rejiciant, id ipsum auget gloriam Christi. Quæ enim ratio in Talmude et apud Rabbinos, Christum ceu Messiam repudiandi? fors quia non omnes nationes armis edomuit? nulla suis spolia distribuit? nullas elargitus divitias, ipse autem turpissima morte occubuit? Verum ex his ipsis Christus ceu Messias a sanctis agnoscitur, adoratur ac redamatur; repudiandus a Christianis Messias, qualem sibi effingunt et exoptant Judæi. Eandem autem quoad substantiam fuisse fidem in Christum ante adventum Christi, præclare edocet AUGUSTINUS; quamvis modus discrepet, sive ex parte objecti: quia veteres credebant in Christum nasciturum et moriturum, nos autem credimus in Christum natum et mortuum; sive ex parte actus: quia veteres, quamdiu sub nube Legis antiquæ erant, ad fidem in Christum explicitam non tenebantur, cum sufficeret implicita. Tandem veteres justi magis sub gratia, quam sub Lege fuerunt: si enim sub Lege esse dicitur, vel qui gratiam ignorans servitute Legis premitur, vel in quo peccatum dominatur, uti docet APOSTOLUS; illi nec servierunt peccato, nec

justitiam, quamvis Legi Mosaicæ adscripti, a Lege, sed a fide in Christum expectabant.

Hinc AUG. Tract. 43. in Joan. « Eadem fides, ait, utrosque conjungit, et eos, qui venturum esse, et eos, qui eum venisse crediderunt. » Idem L. III. cont. 2. epist. Pelag. c. 4. scribit, « Abraham, Mosen, David omnesque veteres Justos filios fuisse promissionis et gratiæ, non ex Lege, sed ex promissione; hæredes Dei, cohæredes autem Christi ».

§ III. COROLLARIA.

Discant hic Increduli, quem audiant magistrum et ducem sequantur, JESUM CHRISTUM, cujus ad doctrinam exclamandum: nunquam sic locutus est homo; hic solus verba vitæ æternæ habet; cujus ex prodigiis emicat virtus Altissimi, ipsemet virtus Dei; qui quantum ad mysteria et vaticinia, in-tuetur profunda Dei, genitus in splendoribus Sanctorum, unigenitus Dei Filius, quem nihil in domo Patris sui lateat; qui offert veritatem suam, quæ nos ducat; brachium, quo sustentet; gratiam, quæ corroboret; crucem, quæ defendat; sanguinem, qui emundet; mortem, quæ vivificet. Et quis vel momento temporis dubitet, hujus tanti magistri ac ducis vocem audire et revereri? quid enim majus veritate, cujus est magister? virtute, cujus est exemplum? Religione, cujus est auctor? Ecclesia, cujus est caput? Augusto Sacrificio, cujus est victima et sacerdos? gratia et gloria, cujus est arbiter? cælo, quod est Regnum ejus? Deo, cujus est legatus et unicus Filius? Me sane cogunt ista exclamare cum Centurione: *Vere hic homo filius Dei erat*, et cum Principe Apostolorum confiteri: *Tu es Christus filius Dei vivi*, auctor fidei et salutis meæ, unicum spei meæ fundamentum, amoris mei objectum dignissimum et præmium infinitum!

SECTIO II.

RELIGIO CHRISTIANA CONSIGNATA IN LIBRIS N. T. VERE DIVINIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

NOVUM TESTAMENTUM appellantur Libri divinitus inspirati, qui post Christi adventum exarati de rebus divinis divina auctoritate pertractant, et ab Ecclesia sacrum in Canonem, quem iterum recensuit Concilium Tridentinum, relati sunt. Fundatur Novi Testamenti authenticitas in Testamento Veteri vere authentico, cujus in hunc diem Judæi Christianis testes sunt, custodes, librarii et capsarii. Mira Dei providentia! Quamdiu exstabant Prophetæ, Legem suam tuendi vix curam habebant Judæi; postquam vero nulli amplius Prophetæ exstiterunt, successit ingens Judæorum zelus pro Lege sarta tectaque in Libris sacris conservanda. Nimirum ut ex Libris sacris Judæorum

firmetur veritas Christianæ Legis; et ex Libris sacris Christianorum convincatur ablatio Legis Mosaicæ; ex utrisque vero et Judæorum perfidia, et impietas Incredulorum confundantur.

§ II. THEMATA.

I. Divinitas Librorum Novi Testamenti gravissimis argumentis evincitur.

PROBATIO. Quinque sunt capita authenticæ ac theopneusticæ :

1^{um}. Fides publica et Traditio continuata non solum Christianorum, sed et Judæorum, Gentilium ac Hæreticorum, ita ut nullus sit alius liber, pro quo stet tanta auctoritas, videlicet omnium hominum vox ab Apostolorum ætate ad hæc usque tempora unanimis et perpetua.

2^{um}. Notæ seu characteres Librorum, qui fuere conscripti a testibus oculatis gestorum, in iis locis, ubi plures superstites testes itidem oculati, sed Christi et Apostolorum hostes infensissimi, falsitatem detegere continuo poterant, refellere ac vindicare; quin tamen vel ullus contradiceret. Adeo nihil reperias in historia Evangelica, quod ad illam ætatem Imperatorum Augusti et Tiberii non pertineat, aut quod cum Geographia vel Chronologia, cum historicis sive Judæis sive Paganis non consentiat in iis, quæ de Religione, Legibus, Politia, Ceremoniis, Jurisprudentia, opinionibus sectisque Judæorum memoriæ prodita sunt.

3^{um}. Characteres Scriptorum, qui erant Apostoli et duo Christi discipuli, qui cum doctrinam suam divinam esse dicunt, et se divinitus inspiratos, summa fide digni sunt; sive styli et narrationis simplicitatem, sive in confitendis erroribus et peccatis suis ingenuitatem, sive vitæ et mortis genus sanctissimum spectes; ac propterea omnibus Ecclesiæ Christianæ seculis maxima illorum fuit auctoritas, quorum Libris primi Christiani, si ex Judæis erant, parem cum Libris V. T. honorem deferrent, si ex Paganis, pro illis omnes Poetas ac Philosophos (quippe Ethnicorum Prophetas) fastidirent ac desererent: fideles autem vel hoc uno argumento contra hæreticos usi sunt pro sacris Libris, quod sint Apostolorum; ipsique hæretici quosdam Libros tanquam non theopneustos repudiarunt, quod non sint scripti ab Apostolis.

4^{um}. Materies et argumentum Librorum, videlicet altissima mysteria et dogmata fidei summo Numine dignissima; præstantia doctrinæ moralis de amore Dei et Proximi, de humilitate et mansuetudine, de patientia, temperantia, castitate; historiæ de Christi et Apostolorum vita, doctrina, miraculis, laboribus, perpassionibus et morte; in quibus œconomiam humana facultate majorem, obtusissimæ mentis homo sit, qui non percipiat.

5^{um}. Absurda et plurima et maxima, quæ si Libri N. T. non essent divini, admitti oporteret; nimirum quod per septemdecim secula opus fictitium orbem prope universum misere deluserit; quod sanctissimi æque ac doctissimi viri fraude pessima inde ab ævo Apostolico fuerint decepti; quod innumeri Martyres frustra sanguinem profuderint, tot Ecclesiæ Concilia de rebus nauci fuerint celebrata, atque integerrimi mortalium impenderint cultum Religioni ex fallaciis et mendaciis compositæ; quod omnium Prophetarum vaticinia uni Christo perperam quidem, sed apte tamen conveniant, ut nulli alteri deinceps aptius; quod Apostoli eos Libros non scripserint

contra fidem totius antiquitatis; quod si vero ab Apostolis fuerint conscripti, homines ii fuissent ab omni memoria callidissimi, improbissimi, stupidissimi, qui nullo suo commodo vitam miserrimam ac mortem crudelissimam elegissent.

II. Ex libris Novi Testamenti invicte stabilitur Divinitas Christi et Christianæ Religionis.

PROBATIO. Verus est Deus, de quo ceu Emmanuele veterum Prophetarum vaticinia edixerant; hæc vero in Christo omnia fuisse adimpleta, testantur Libri N. T. Prodigiosum ex virgine partum Isaias, natales promissi Ducis in Bethlehem Michæas, adorationem et munera Magorum ad cunas Dei-Hominis Psalmista, stellam ex Jacob Messiae testem Balaam, adventum Schilo tempore sceptri ablati Jacob, Messiae adventum in templum secundum Aggæus, ejus per suammet gentem reprobationem ac necem David et Isaias, ejus resurrectionem, vocationem gentilium, et Judæorum dispersionem David, Isaias, Jonas et Oseas fatidico spiritu prænuntiarunt de Christo, ac uni Christo (qui virtute divina resurrexit post mortem, qua Messias debuit, et qua Dei filius occumbere potuit) ea omnia exactissime convenisse, demonstrant Evangelistæ, et scripta Apostolorum.

Religio autem Christi in sacris libris N. T. consignata, quod sit vere divina, stipes sit, qui aut inficiatur, aut non intelligit. Quippe altitudo mysteriorum, dogmatum sublimitas, doctrinæ puritas, virtutum præstantia, sanctitas Sacramentorum, majestas Sacrificii, Ministrorum Ecclesiæ dignitas, cultus divini magnificentia, sigilla miraculorum ac prophetiarum totidem sunt characteres certissimi ac evidentissimi veræ Divinitatis.

Obj. I. Libri N. T. possunt esse supposititii, et ab impostoribus adornati: obstant illorum authenticitati (quæ præcipue innitur Christianorum testimoniis) horum credulitas, præjudicia, et in pias fraudes propensio: obstant Evangelia Mathiæ, Bartholomæi et Barnabæ certo spuria; de quibus adeo testatur S. HIERONYMUS, et quæ pari veneratione recepta fuere in Ecclesia.

RESP. Auctoritas hic summa est primorum Christianorum, qui reipsa increduli, utpote a teneris in Religione vel Judaica vel Ethnica instituti, omni exceptione majores sunt testes facti (utrum scilicet illas Scripturas suis temporibus Christiani pro divinis et scriptis vere Apostolicis habuerint) in quo decipi non potuerunt. Primi quoque Doctores Ecclesiæ summa diligentia distinxerunt a falsis et adulterinis scripta vera et genuina, qualia apud S. Irenæum, Tertullianum, Origenem et Eusebium non agnoscebantur, nisi quæ continerent doctrinam consentientem cum prædicatione Apostolica, seu disciplina ex eorum auctoritate ubivis recepta; haberentque confirmationem ex unanimi consensu ac testimonio omnium Ecclesiarum; et in stylo atque contextu orationis morem Apostolicum referrent. Insuper nostra Evangelia ab ipsis hæreticis admittebantur, illud S. MATTHÆI a Nazaræis, Ebionitis et aliis, Evangelium S. LUCÆ a Marcionitis et Manichæis... Equidem fuere protervi homines, qui miscere res nascentis Ecclesiæ ausi (procul dubio in suorum dogmatum confirmationem) relationes ab Apostolis diversas in vulgus sparserunt; at monstrent Theistæ, quod horum temeritas deroget

auctoritati primorum Christianorum. Donec hoc confecerint, contendimus, repudiata a Catholicis Evangelia, Catholicorum ostendere vigilantiam, et veracium librorum confirmare auctoritatem; præsertim cum ipsimet libri apocryphi referant contra Theistas Christi et resurrectionem et ascensionem et alia miracula.

Tandem duplex falsitas committitur a Theistis; 1^a quod plurima ejusmodi apocrypha objiciant, cum paucissima fuerint: quamvis enim titulos quinquaginta collegerit Fabricius; tamen fatetur, ex his plura unum duntaxat scriptum indicare, siquidem Evangelium S. МАТТІÆ cum quibusdam mutationibus dictum sit Evangelium Cerinthi et Carpocratis, et duodecim Apostolorum, et secundum Hebræos, et secundum Nazaræos, et secundum Syros, et secundum Ebionitas, et secundum Barnabam, et secundum Bartholomæum; Evangelium S. MARCI dictum est Evangelium Petri; Evangelium S. LUCÆ dictum est Evangelium Pauli, adjectis vero nonnullis mutationibus dictum est Marcionis et Apellis Evangelium. 2^a Quod spuria illa Evangelia vanissime edicant, olim recepta fuisse ab Ecclesia. Primi namque post Apostolos Ecclesiastici Scriptores, Clemens Romanus, Ignatius et Polycarpus nullibi illorum meminerunt: S. Justinus sexcenta exscribit testimonia ex veris, nullum usquam ex spuris Evangelii. S. Irenæus horum quidem meminit; simul autem scripto reliquit, illa ubique et ab omnibus Ecclesiis repudiata, et non nisi illa quatuor, quæ habemus, Christianorum omnium suffragiis comprobata fuisse. Clemens Alex. et Origenes laudant hinc inde illa apocrypha; at simul testantur, quatuor tantum Evangelia auctoritate divina valuisse in Ecclesia. Demum Patres antiquissimi, ut Irenæus et Tertullianus, argumento Præscriptionis adversus hæreticos usi, ad confirmandam quatuor Evangeliorum auctoritatem, eo adduxerunt hæreticos, ut dicerent, «Apostolos ante prædicavisse, quam perfectam cognitionem haberent, gloriantes, se esse emendatores Apostolorum.»

Turpius delirat, ac pejus criminatur TOLANDI Amyntor, quod per Evangelium BARNABÆ tanquam unice genuinum contendat restaurandum esse Christianismum. Contra quem vide MOSHEMI Vindicias antiquæ Christianorum disciplinæ; item BEAUSOBRI *Hist. Critiq. de Manichée.*

Eant ergo Increduli cum suo ridiculo, *fortasse!* fortasse ab aliis scripta sunt Evangelia; fortasse post tempora Apostolorum editi sunt libri N. T. Nonne etiam fortasse nulla unquam fuit Respublica Romana? fortasse nulla civitas Hierosolymitana?

Obj. II. Tametsi fides publica testetur, varia ab Apostolis fuisse litteris consignata; non æque tamen constat, eadem ad nos pervenisse integra et incorrupta. Nam plures textus laudantur a SS. Patribus, quos in Codicibus nostris non reperias: Patres non raro quærentur, exemplaria tam græca quam latina fuisse ab hæreticis depravata: innumeræ sunt variantes lectiones, quarum circiter triginta millia, triginta annorum labore, collegit MILLIUS: ac demum VICTOR TUNONENSIS suo in Chronico refert, sancta Evangelia tanquam ab idiotis Evangelistis composita, jubente Anastasio Imperatore, reprehensa fuisse ac castigata.

RESP. Quam belle consentiunt Theistæ cum Mahumetanis, qui dudum hanc Novi Testamenti interpolationem ac corruptionem objecere Christianis:

verum ubi, quando, et a quibus hæreticis attentatam? Qui fieri potuit, ut quæ jam ab Apostolicis temporibus eruperunt Sectæ diversissimæ ac invicem infensissimæ, in hanc mutationem conspiraverint? Quid? cum ubique propagatum Evangelium, et confirmata esset in animis fidelium sincera et genuina Apostolorum doctrina: dum infinita exemplaria omnium Christianorum manibus insererentur: cum in varios populorum sermones translata essent sacra volumina: credamus omnes orbis nationes maxime dissitas unanimi assensu convenisse ad corruptionem librorum, pro quibus sæpe vitam projecere? Tantam credulitatem minutis nostris Philosophis relinquimus. Est autem revera nullus a Patribus laudatus textus, qui non exstet in sacris paginis, si non iisdem verbis, certe quoad sensum, prout a multis Criticis ostensum. Cum enim Patres laudarent eos textus memoriter, mutabant sæpe verba verborumque constructionem. Nullum itidem caput est in nostris exemplaribus, cujus auctoritatem non evidenter vindicaverint viri eruditi (ac præprimis illa verba, *probi nummularii estote*, historiam mulieris adulteræ, duodecim ultimos versus S. Marci, et versum septimum capituli quinti Epistolæ primæ S. Joannis) in pluribus et optimis exemplaribus reperiri, laudari a SS. Patribus, et in antiquissimis versionibus contineri, demonstraverint.

Asserunt SS. PATRES, hæreticos depravasse Evangelia, scilicet sua, non ea quibus utitur Ecclesia Catholica. Aiunt etiam, emendata esse græca exemplaria per latina et vicissim; sed in levibus tantum, quæ ad substantiam fidei aut historiæ Evangelicæ nequaquam pertinent, in quibus per omnia exemplaria seu græca seu latina consensio semper summa fuit. De varietate lectionum, quod nihil ea officiat (cum sensum vix afficiat; in vocibus sit, et non in sententiis; ac plerumque in versionibus evanescat) sed potius confirmet auctoritatem, alibi dictum. Denique argumentum ex Chronico VICTORIS cavillus est Theistarum: si enim hæc nostra Evangelia fuissent vere corrupta ac vere emendata; quos tumultus non excitasset ista immutatio? Quis historicus rei tam singularis non meminisset? Cur in Commentariis SS. Patrum per quinque priora Ecclesiæ secula omnes Novi Testamenti lineæ allegantur, et optime concordant cum nostris Codicibus? Nonne tempore ANASTASII exstabant innumeræ Novi Testamenti versiones? has vero omnes credere immutatas ab invisio et imbelli Imperatore, insipientis est.

THOMAS HEARNE, Anglus, indefesso labore edidit historias LIVII cum innumeris lectionibus variantibus; quæ autem stupiditas foret, inde concludere: ergo interiit LIVIUS: ergo nescitur jam, quæ sint genuina ejus scripta? VICTORIS Chronico magnam hic lucem affert Cap. IV. Breviarii, quod est LIBERATI Diaconi æqualis Victori; unde colligitur, Imperatorem non voluisse authentica SS. Scripturarum immutare exemplaria, sed mutationem jam factam a Macedonio in uno versiculo PAULI: *qui apparuit in carne, justificatus est in spiritu*, solum decrevisse, ut tollatur.

Obj. III. Evangelistæ complura referunt, quorum aut falsitas aut difficultas non stat cum divinitate Evangeliorum; uti sunt apud MATTHÆUM occisio Zachariæ ante adventum Christi, quæ tamen Josepho teste primum contigit tempore obsidionis Jerosolymitanæ: apud eundem et LUCAM maxima circa genealogiam Christi discrepantia est: apud MARCUM maledictio Christi in

ficum fructibus carentem, cum non erat tempus ficorum: apud MATTHÆUM immisso dæmonum in gregem porcorum apud Gerasenos, qui non alebant porcos: apud JOANNEM aquæ in vinum mutatio, dum convivæ jam prope inebriati essent.

Ita VOLTAIRE in pestilenti Libro, *Dictionnaire Philosophique*, præsertim artic. *Christianisme*. Item Auctor detestandi operis, *Catéchisme de l'honnête homme*, Parisiis 1764.

RESP. Quid demum a callidis Incredulorum artibus tutum, utut divinum? VOLTAIRE hæc sua venditat argumenta, sed quæ sunt impii BAYLI. Venditet ergo tanquam sua Incredulorum uterque oraculum! At neuter vidit, quæ viderunt post Hieronymum plerique omnes Interpretes, sermonem Christi spectare ad occisionem ZACHARIE ante Christi adventum, et de quo jamdum in Libro II. Paralipomenon, capite XXIV. Quæ cæcitas in viris, qui videri ambiunt oculatissimi? Neuter ex etymo nominis perspexit, hunc Zachariam æquo jure ad idioma hebraicum vocari filium et Barachia et Joiada; quæ inscitia hominum doctissimorum, quales apud suos tralucent? De CHRISTI GENEALOGIA tricantur, idque post duodeviginti secula, quo toto tempore Judæorum taciturnitas et Christianorum omnium inconcussa fides quoad rei caput et summam consenserant, videlicet utrumque Evangelistam concordare; vel quod Jesum Christum negando esse filium naturalem Josephi, clare innuant, a Davide, cui toties a Deo promissus fuerat, eum descendere per Mariam Matrem suam ex Tribu Juda et familia David progenitam, nuptamque Josepho ex eadem Tribu et familia; vel quod stirpem utramque in Salathiel et Zorobabel conjungant, ut Deiparæ patrem ex Salomonis stemmate deducant. Quæ in his absurditas?

Ad ficulnea demum argumenta dilabuntur, et vinum in nuptiis, et diabolos in porcis exagitant: at studiose ignorant Increduli, quod in miraculis Christi non raro sensus historicus cum mystico, et typicus cum prophético jungatur. Erat arbor foliis dives, et præcoquas saltem ficus ferre poterat juxta indolem telluris, uti rerum naturalium scriptores consignant: Christus tametsi certus, quod nullæ pendeant ficus, accessit tamen documentum causa contra Judæorum hypocrisin eruendi, in hos ceu folia duntaxat sive externam pietatis speciem exhibentes, intus autem vera pietate vacuos et fructuum bonorum operum steriles, illam feralem sententiam vibraturus. Regio Gerasenorum inde a Pompeio subdita fuit Gedarenis gentilibus, quibuscum sub Herode plures Judæi vixerunt commixti; unde grex porcorum vel ad Gentiles, vel ad Judæos gentilium more viventes pertinuit, vel certe Judæis non fuit omnino prohibitum, negotiationis causa alere gregem porcorum. Demum quam imperite VOLTAIRE ebrietatem confundit cum liberali usu vini, quem vox græca hic et alibi (Gen. XLIII. 34.) significat; tam maligne infert ex generali illius adagii, *omnis homo primum bonum vinum ponit*, enuntiatione, convivas jam tum fuisse ebrios; cum tamen reprehendatur sponsus, quod melioris notæ vinum necdum apposuerit; et tam impie Christo imputat suppeditam ebrietatis occasionem, qui solum intenderat manifestare suam potentiam, qua firmaret discipulorum fidem. Quot crimina in uno sensu impiorum?

Obj. IV. Libri Novi Testamenti multa continent Christo ceu Deo-Homine

indigna; uti sunt tristitia, angor, injuriæ, tormenta, et mors probrosissima in cruce.

RESP. Si rite perpendantur omnia, CHRISTI gloria non eluxit splendidius, quam in ejus passione; et hanc obfuscare ausint increduli? Jesus moritur, sed oblati, quia ipse voluit; et morte quam, uti prædixit, ita vehementer desideravit ipse. Agonizat Jesus in Oliveto, quo in agone dum hominem nostri similem agnoscimus, reseratur cælum, et submissus ab altissimo angelus eum confortat contra naturæ reluctantiam. Proditur a discipulo Magister non sine gloria, cum inde se prodat inimicorum politica timiditas, quam incusserant patrata in populo tot tantaque Christi miracula. Captivus ducitur et vinculis adstringitur Jesus innocens, et confestim proditor sui ipsius condemnatione ac desperatione contestatur innocentiam Christi. Nocte integra ludibrio est cohorti militum, sed nocte eadem conjux Pilati multa patitur propter Jesum. Pilatus eum condemnat, sed lotis manibus velut innocens a sanguine justis hujus. Suffigitur cruci, sed inter summa summarum virtutum prodigia. In cruce emittit spiritum, sed inter stupenda miracula, quorum una et clara vox cum illa Centurionis pro vera Christi divinitate eloquebatur; atque inter ea ceu splendidissimum eminuit mortem insecuta Resurrectio, de qua AUGUSTINUS: « plus est, mortem vincere resurgendo, quam vitare vivendo ».

Obj. V. In Libris Novi Testamenti plurima referuntur de Apostolis, quæ omne genus improbitatis sapiunt: PETRUS neoconvertos suis bonis omnibus exspoliavit, quæ injustitia? ANANIAM et SAPPHIRAM morte repentina oppressit, quæ sevitia? PAULUS summum Sacerdotem ceu parietem dealbatum traduxit, quæ dicacitas? penulam Troade relictam et a Timotheo afferendam curavit studiosissime, quæ tenacitas? tandem eo collimabant studia Apostolorum, ut ex aliorum bonis ditescerent, et velut orbis domini palatia ibi erigerent, ubi quondam tuguria fuerunt. Ita *Catéchisme* jam citatus.

RESP. Vix dignum responso spermologum os viri impudentissimi: obtundatur tamen, sed paucis. Convertitne S. PETRUS in suos usus illam pecuniam? nonne sua sponte conversi eam offerebant? Num is, qui æs apud se depositum custodit, bonorum alienorum appetitor est, raptor et prædo? De Anania et Sapphira quam non delirat insipiens Catechista? jam enim illorum mortem vocat miraculum, ac proin solius Dei opus; jam Petro ceu facinus illam impingit; jam negat, id potuisse fieri a Deo, qui non sit homicida; jam vero imputat Deo, ita ut, quoties hujus memoria facti recurrit, horrore percullatur Catechista. Scire cupit, quid sibi hæc pœna mortis velit? et non solum Augustinus, Chrysostomus, Basilius et Hieronymus, sed perfidus adeo Beza docebunt, Ananiam fuisse reum simulationis, mendacii et sacrilegii. Quæ blasphemia Catechistæ, Deum insimulare homicidii, dum plectit nocentes? Te, te Catechistam serius ocus vindicabit acerrime, quin ejus infinite bonitati decedat, cum qua stat justitia æque infinita.

PAULUS læsæ majestatis sacræ reus agitur: sed Paulus ignorans, quis esset, dictum excusat ut primum monitus, quod sit summus Sacerdos. Illud de penula moderatam nos docet, imo laudabilem providentiam circa corporis necessitates; et « quæcumque in Scripturis levia et parva videntur, non minus esse a Deo, quam creaturæ vilissimæ sint a conditore cæli et terræ, »

ait S. Hieronymus. Quamvis enim non omnia in SS. Scripturis æque utilia sint; nihil tamen inutile in iis est, cum et illa, quæ videntur inutilia, conducant vel ad commendandas perfectiones divinas, vel ad integritatem, ornatum et gratiam, vel ad ingenuitatem ac simplicitatem narrationis, quæ magna sunt adjumenta et ornamenta veritatis. Demum edicito, Catechista, quandonam et ubi palatia exstruebant Apostoli, qui ad instar Ducis sui vix habeant, quo caput reclinarent? quandonam divitiis affluebant in omni vita sua pauperissimi ad exemplum et præscriptum Magistri? quandonam ceu Magnates terræ dominatum in homines aut affectarunt aut exercuerunt, omnibus omnia facti et servi servorum?

Obj. VI. Tandem Canon SS. Librorum, non diffidentibus Christianis, primum fuit confectus post sexaginta annos a Christi morte: quidam existimant, editum fuisse Adriano imperante circa annum centesimum decimum septimum æræ Christianæ: JOANNES CLERICUS illum Novi Testamenti Canonem circa Seculum XIII. a peritis quibusdam deceptoribus procusum atque orbi fuisse obtrusum contendit. Ubinam antiquitas, authentia, divinitas?

LE CLERC, *Biblioth. Ancienne et Moderne*, Tom. XXII. P. II. A. 4.

RESP. Ridicula plane objectio, quæ Libros N. T. incertæ auctoritatis arguit ex eo, quod eorum collectio facta non fuerit, antequam scripti essent omnes Libri. Editi autem sunt diversis temporibus, prout sese offerebat occasio ab anno XL. usque ad annum XCVII. æræ Christianæ; at statim a sua editione cum eadem observantia servati, qua ante Canonis perfectionem. Nonne ridiculum contendere, quod Libri posteriores Horatii vel Martialis non sint genuini, eo quod collectio omnium operum utriusque Poete non fuerit confecta, nisi multis annis post editionem priorum operum? Imo teste Eusebio jam tum S. Joannes divinatorum Librorum Canonem fecit, et perlatis jam in omnium ipsiusque Joannis notitiam tribus Evangelii, ea et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur. Illud CLERICI deliramentum hisce exploditur: Canonem Ecclesiæ Catholicæ a Concilio Tridentino promulgatum PP. Tridentini acceperunt a Concilio Florentino; hoc a Concilio Romano sub Gelasio Papa; hic ab Augustino; iste ab Innocentio I. in epistola ad Exuperium ineunte Seculo V., item a Concilio Carthaginensi III. de anno CCCXCVII. a Synodo generali VI. approbato; ac tandem per traditionem continuam a temporibus Apostolorum hunc Canonem accepit Ecclesia, Apostoli a Christo vel a Spiritu sancto eundem edocti. Hac vero Traditione Apostolica destitutus CLERICUS omni destituitur auctoritate suorum Librorum contra incredulos evincenda.

§ III. COROLLARIA.

Nituntur itaque adducta pro authentia et theopneustia utriusque V. ac N. Testamenti momenta et testimonia quasi cogenitis veritatibus ejusmodi: non omnes insaniant homines; in fraudem uno omnes ore consentire non possunt; non sunt omnes mendaces in uno seculo, et sinceri in altero; nec universum genus humanum conspirat ad decipiendum aliquem; nec aliquis toti generi humano illudere potest. Sphalmata item antologica, geographica, genealogica, elliptica et cujuscumque nominis (quæ SS. Scripturis exprobrant

eccl'i vitia Increduli) dudum apud Patres primorum seculorum complanata deprehendes; et abunde suppeditant hodie eruditissimi interpretes, cum primis vero nostrum hic Magisterium SS. Scripturarum. Malim ego, et boni omnes mecum, sequi in SS. Scripturarum veneratione Doctores maximos HIERONYMUM et AUGUSTINUM, quam vesanos Theistas: « multa dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia, et tamen vera sunt; neque enim valet natura contra naturæ dominum..... omnia, quæ illis continentur, vel de Jesu Christo dicta sunt, vel propter illum; quæque figuris involuta sunt, si quædam velut sub uno aspectu quasi contexta ponantur, ita conjungunt in contestatione Christi voces suas, ut cujusvis obtusi surditas erubescat... sanctæ Scripturæ non temerarios et superbos accusatores, sed pios et diligentes lectores desiderant. »

Epist. ad Vitalem... Libro XII. contra Faustum... Libro contra Adimant.

SECTIO III.

RELIGIO CHRISTIANA SPLENDIDISSIMIS UBIQUE MIRACULIS CONFIRMATA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Si veritatis præcones doctrinam, quam vel in Libris divinis revelatam, vel sibi a Deo inspirante communicatam annuntiant, prodigiis consignent; certum est, quod et ipsi sint legati divini, et ipsorum doctrina vere divina. Nam solus Deus operari potest vera MIRACULA, et doctrinam, quam vult credi divinam, munire debet sigillo, quod sit pariter a solo Deo; cujusmodi autem non est, nisi sigillum supernaturale ac miraculosum, quo sive doctrina, sive missio illius, qui doctrinam promulgat, firmatur ceu vere divina. Impossibile, Deum verum et infinite veracem aut sua auctoritate fulcire falsitatem; aut assequi non posse, quod intendit per Miracula, ut vera doctrina a falsa discernatur; aut a Deo abripi homines in errorem ineluctabilem. Id quod maxime indubitatum pro casu, quo publica interpellatione invocatur Deus, ut ostendat sui Legati missionem divinam, et doctrinæ a se revelatæ veritatem.

Hujusmodi casus exstant Exodi VII. 12. 20. 22... VIII. 6. 7. 17. 18. Et in Actibus Apost. C. XIX. 41. 47.

Est ergo hoc argumenti genus altiori indagine dignissimum, præsertim cum PRÆDESIUS obstupescente orbe Catholico non ita pridem defenderit, omnes morborum curationes a Christo peractas, si spectentur seorsim a prophetiis, æquivoca esse Miracula: aut nisi eæ curationes confirmantur per anastases mortuorum, similes esse iis, quas fecit Esculapius. VOLTAIRE autem, TOLANDUS et POMPONATIUS cum Spinozistis, Naturalistis et quibusvis aliis hujus generis Philosophastris quævis facile Miracula ceu inania et ridicula explodunt.

ait S. Hieronymus. Quamvis enim non omnia in SS. Scripturis æque utilia sint; nihil tamen inutile in iis est, cum et illa, quæ videntur inutilia, conducant vel ad commendandas perfectiones divinas, vel ad integritatem, ornatum et gratiam, vel ad ingenuitatem ac simplicitatem narrationis, quæ magna sunt adjumenta et ornamenta veritatis. Demum edicito, Catechista, quandonam et ubi palatia exstruebant Apostoli, qui ad instar Ducis sui vix habeant, quo caput reclinarent? quandonam divitiis affluebant in omni vita sua pauperissimi ad exemplum et præscriptum Magistri? quandonam ceu Magnates terræ dominatum in homines aut affectarunt aut exercuerunt, omnibus omnia facti et servi servorum?

Obj. VI. Tandem Canon SS. Librorum, non diffidentibus Christianis, primum fuit confectus post sexaginta annos a Christi morte: quidam existimant, editum fuisse Adriano imperante circa annum centesimum decimum septimum æræ Christianæ: JOANNES CLERICUS illum Novi Testamenti Canonem circa Seculum XIII. a peritis quibusdam deceptoribus procusum atque orbi fuisse obtrusum contendit. Ubinam antiquitas, authentia, divinitas?

LE CLERC, *Biblioth. Ancienne et Moderne*, Tom. XXII. P. II. A. 4.

RESP. Ridicula plane objectio, quæ Libros N. T. incertæ auctoritatis arguit ex eo, quod eorum collectio facta non fuerit, antequam scripti essent omnes Libri. Editi autem sunt diversis temporibus, prout sese offerebat occasio ab anno XL. usque ad annum XCVII. æræ Christianæ; at statim a sua editione cum eadem observantia servati, qua ante Canonis perfectionem. Nonne ridiculum contendere, quod Libri posteriores Horatii vel Martialis non sint genuini, eo quod collectio omnium operum utriusque Poete non fuerit confecta, nisi multis annis post editionem priorum operum? Imo teste Eusebio jam tum S. Joannes divinatorum Librorum Canonem fecit, et perlatis jam in omnium ipsiusque Joannis notitiam tribus Evangelii, ea et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur. Illud CLERICI deliramentum hisce exploditur: Canonem Ecclesiæ Catholicæ a Concilio Tridentino promulgatum PP. Tridentini acceperunt a Concilio Florentino; hoc a Concilio Romano sub Gelasio Papa; hic ab Augustino; iste ab Innocentio I. in epistola ad Exuperium ineunte Seculo V., item a Concilio Carthaginensi III. de anno CCCXCVII. a Synodo generali VI. approbato; ac tandem per traditionem continuam a temporibus Apostolorum hunc Canonem accepit Ecclesia, Apostoli a Christo vel a Spiritu sancto eundem edocti. Hac vero Traditione Apostolica destitutus CLERICUS omni destituitur auctoritate suorum Librorum contra incredulos evincenda.

§ III. COROLLARIA.

Nituntur itaque adducta pro authentia et theopneustia utriusque V. ac N. Testamenti momenta et testimonia quasi cogenitis veritatibus ejusmodi: non omnes insaniant homines; in fraudem uno omnes ore consentire non possunt; non sunt omnes mendaces in uno seculo, et sinceri in altero; nec universum genus humanum conspirat ad decipiendum aliquem; nec aliquis toti generi humano illudere potest. Sphalmata item antologica, geographica, genealogica, elliptica et cujuscumque nominis (quæ SS. Scripturis exprobrant

eccl'i vitia Increduli) dudum apud Patres primorum seculorum complanata deprehendes; et abunde suppeditant hodie eruditissimi interpretes, cum primis vero nostrum hic Magisterium SS. Scripturarum. Malim ego, et boni omnes mecum, sequi in SS. Scripturarum veneratione Doctores maximos HIERONYMUM et AUGUSTINUM, quam vesanos Theistas: « multa dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia, et tamen vera sunt; neque enim valet natura contra naturæ dominum..... omnia, quæ illis continentur, vel de Jesu Christo dicta sunt, vel propter illum; quæque figuris involuta sunt, si quædam velut sub uno aspectu quasi contexta ponantur, ita conjungunt in contestatione Christi voces suas, ut cujusvis obtusi surditas erubescat... sanctæ Scripturæ non temerarios et superbos accusatores, sed pios et diligentes lectores desiderant. »

Epist. ad Vitalem... Libro XII. contra Faustum... Libro contra Adimant.

SECTIO III.

RELIGIO CHRISTIANA SPLENDIDISSIMIS UBIQUE MIRACULIS CONFIRMATA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Si veritatis præcones doctrinam, quam vel in Libris divinis revelatam, vel sibi a Deo inspirante communicatam annuntiant, prodigiis consignent; certum est, quod et ipsi sint legati divini, et ipsorum doctrina vere divina. Nam solus Deus operari potest vera MIRACULA, et doctrinam, quam vult credi divinam, munire debet sigillo, quod sit pariter a solo Deo; cujusmodi autem non est, nisi sigillum supernaturale ac miraculosum, quo sive doctrina, sive missio illius, qui doctrinam promulgat, firmatur ceu vere divina. Impossibile, Deum verum et infinite veracem aut sua auctoritate fulcire falsitatem; aut assequi non posse, quod intendit per Miracula, ut vera doctrina a falsa discernatur; aut a Deo abripi homines in errorem ineluctabilem. Id quod maxime indubitatum pro casu, quo publica interpellatione invocatur Deus, ut ostendat sui Legati missionem divinam, et doctrinæ a se revelatæ veritatem.

Hujusmodi casus exstant Exodi VII. 12. 20. 22... VIII. 6. 7. 17. 18. Et in Actibus Apost. C. XIX. 41. 47.

Est ergo hoc argumenti genus altiori indagine dignissimum, præsertim cum PRÆDESIUS obstupescente orbe Catholico non ita pridem defenderit, omnes morborum curationes a Christo peractas, si spectentur seorsim a prophetiis, æquivocæ esse Miracula: aut nisi eæ curationes confirmantur per anastases mortuorum, similes esse iis, quas fecit Esculapius. VOLTAIRE autem, TOLANDUS et POMPONATIUS cum Spinozistis, Naturalistis et quibusvis aliis hujus generis Philosophastris quævis facile Miracula ceu inania et ridicula explodunt.

PRÆDESICUS in Thesibus Publicis de anno 1751. 18. Novemb. Contra quæm vide *Lettres à l'Auteur du Traité des Miracles*, 1767, VOLTAIRE in *Dictionnaire Philosoph.* verbo *Miracles*...

II. De Prodigis Veteris Testamenti cum primis a Mose patris abunde dictum, ubi de Lege Mosaica. De Miraculis Novi Testamenti, quæ primum Jesus Christus, tum Apostoli et primi Ecclesiæ Sancti patrarunt, præcipua hic disceptatio est. Erant quippe MIRACULA testimonium veritatis plane necessarium, usque dum prophetiæ implerentur. Prædictum namque, quod Messias sit conversurus gentes; atqui fieri possit hæc conversio, nisi per Miracula cæu complementum illius Prophetiæ? Priusquam ergo Christus moreretur et resurgeret, fieretque gentium conversio, necdum impleta erant omnia; proin toto hoc tempore fuit necessitas Miraculorum; et apud Judæos, ut Messiam, quem expectabant, in Jesu Christo certissime recognoscerent; et apud gentiles, ut iis testatum faciant, quod Apostoli et præcones Evangelii loquantur Dei nomine. Posthac vero non item, cum prophetiæ impletæ Miraculum sint subsistens, et satis jam cognita est falli nescia auctoritas Ecclesiæ, in cujus iudicio fideles secure acquiescunt.

Sunt verò Miracula a Christo et Apostolis patrata quam multa, tam vera et splendida, quæ dum referuntur a Scriptoribus sacris, merentur omnem fidem: plerique enim fuerunt testes de visu, alii ex certis relationibus testium de visu eadem acceperunt; nec deerat aut voluntas aut dexteritas, ab eventibus nature Miracula discernendi. Scriptorum autem sinceritas vel exinde liquet, quod referant miracula Christi et Apostolorum non in tenebris ignorantie facta, sed eo tempore, quo florentissimæ erant scientiæ; non clam, sed palam; non coram iis, qui jam erant fideles, sed coram incredulis et obstinatis Judæis, irrisoribus ac hostibus doctrinæ Christi; coram iis, qui artes fallendi omnes apprime callebant; et quis Christi ac Apostolorum veritas detexisset facilius, quam Judas? Verum nec infensissimi hostes (Celsus, Porphyrius, Judæi, Gentiles et Apostata) ausi negare Miracula, sed in omnes se partes torquebant, jam diabolo ea adscribentes, jam Christum peccatorem blasphemantes indignum virtute thaumaturga, jam nescio quas artes in iis fabricandis prætexentes; quorum impietatem vel sola confessio Judæ, *peccavi tradendo sanguinem justum*, valide constringit.

Nostrum ergo in re tanti momenti studium esto præcipuum, genuinam MIRACULI notionem dare, veri a falso discrimen statuere, et Miraculorum tam existentiam, quam vim et efficaciam evincere pro veritate Christiana non infringendam.

§ II. THEMATA.

I. *Miraculum est opus sensibile, notum ac bene testatum, quod in se et in adjunctis suis consideratum, omnes nature tam corporeæ, quam incorporeæ vires transcendit, factum ad invocationem Dei appellati in testem veritatis, quæ cæu divina annuntiat.*

PROBATIO. MIRACULUM, quod sit effectus sensibilis, rite distinguitur ab effectibus gratiæ invisibilis, qui tametsi verissimi sint, tamen vim testimonii non habent: quod sit opus notum ac bene testatum, differt a Miraculis duntaxat privatis, quæ ulteriore probatione indigent: quod omnes totius

nature vires superet, excludit causam naturalem, et a miris nature decernitur: quod invocationem Dei cæu necessariam involvat, hominis impotentiam et Dei preces hominis sigillo divino confirmantis omnipotentiam exprimit: quod de veritate a Deo veniente additur, principalis scopus est Miraculi; quo cæu firmissimo argumento veritas Religionis Revelatæ stabilatur.

Si effectus Miraculosus in se spectatus nullis unquam nature viribus produci valeat, dicitur Miraculum quoad substantiam: si vero secundum se spectatus nature quidem vires non excedat, quoad modum tamen et ordinem faciendi (velut subita morbi gravissimi depulsio) Miraculum dicitur quoad modum: si is effectus præstatur a Deo, qui a natura saltem in tali statu præstari nequeat (uti productio vitæ in mortuo) dicitur Miraculum supra naturam: si eo modo producitur a Deo, quo nequit a natura procedere (e. g. sanatio Naamani in Jordane) Miraculum dicitur præter naturam: si remanente in effectu dispositione contraria, illum tamen efficit Deus (uti vel stationem vel retrogressum Solis) Miraculum contra naturam appellari solet.

Cum autem quodvis veri nominis MIRACULUM nulla ex parte repugnet; Dei item perfectio et potentia sit infinita, nec actioni causarum secundarum alligata, nec illarum ordini subjecta, nec ab iis in agendo dependens, potens autem pro suo absoluto in omnia creata dominio illum ordinem immutare, suspendere, interrompere, et effectus ab eodem independentes producere; quis sanæ et probæ mentis ambigat, Miracula effici posse?

II. *Existunt descripta hæcenus Miracula, præsertim Christi et Apostolorum.*

PROBATIO. Pleni sunt libri vere divini N. T. summis Christi et Apostolorum prodigiis, quæ omnigenæ infirmitatis curatio solo verbo effecta, morbi sine numero et in momento temporis depulsi, surdis audiendi, mutis loquendi et cæcis videndi facultas subito reddita, panis iterato multiplicatus, sedatum uno verbo furibundum mare, idem sub calcante pede solidatum, frigida jam cadavera ad vitam revocata fuerunt; et quidem publice coram amicis et inimicis, in Galilæa, in Judæa, ac prope in universo orbe; et quæ conscripta sunt a testibus cævis aliis de visu, MATTHÆO et JOANNE, aliis de certo auditu, MARCO et LUCA, quorum libri primo jam Christi ævo prodierunt, tunc jam citati et a SS. Patribus et ab Ethnicis illorum impugnatoribus; a testibus veracibus, qui nihil commodi ex falsa relatione percepturi essent, imo ex verâ narratione mali plurimum ipsamque mortem retulerunt; a testibus publicis, qui Hierosolymæ, Athenis et Romæ, mediis in uribus, in cætibz Sapientum, et coram Magistratibus ea prædicarunt; a testibus invictis, quorum sapientiæ cessit tandem potentiorum in terris ingeniorum pervicacia, nec cessit nisi convicta doctrinæ ac Miraculorum summa vi et auctoritate, uti de Ignatio, Polycarpo, Justino, Irenæo, Athenagora, Origene, Cypriano et aliis certum, qui ante suam ad Christum conversionem in Paganismo eminuerunt; a testibus, quorum integritas et auctoritas ipsorum hostium fidem merebatur, ex Judæis JOSEPHI, qui Jesum vocat mirabilem operum effectorem, et veterum Talmudistarum, ex Paganis PORPHYRII qui Christum per sua Miracula dicit hominem pium et immortalem factum, JULIANI, qui asseverat, Jesum sanasse cæcos et claudos, et dæmone correptos

CELSI in Christo agnoscentis hominem, qui naturæ leges inverteret, et Deos ipsos cogeret, ut aiebat Porphyrius, TIBERII, qui auditis Christi per Syriam Miraculis Christum Diis accenseri voluit, ADRIANI et SEVERI, qui propterea templa Christo destinaverant; denique a testibus, quorum scripta ad nos integra et pura pervenerunt, cum nullum depravationis vestigium deprehendi, et vel auctor vel tempus vel ratio factæ depravationis nulla proferri possit; et Deo sic ordinante ad confirmandam Miraculorum fidem ne unus quidem eorum, qui a suscepto Christianismo defecerunt (vel ad primævam superstitionem reversi, ut Simon Magus, vel ad errores ac hæreses doctrinæ Apostolicæ oppositas conversi, ut Ebion, Cerinthus et Nicolaitæ) adversus Christi et Apostolorum Miracula reclamaverit.

Dixit Christus Apostolis: *Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos munde, demones ejicite.* MATTH. X. 8. Fatentur Judæi: *Notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem; manifestum est, et non possumus negare.* ACT. IV. 16. Confitentur etiam Principes Sacerdotum: *Carcerem quidem invenimus clausum... aperientes autem, neminem invenimus.* ACT. V. 23. His adde ACT. IX. 40. ACT. V. 3. 11. 38. ACT. XIII. 8. ut mirum non sit, auctam esse continuo credentium multitudinem, quin multam Sacerdotum turbam obedivisse Evangelio. ACT. V. 7. 16.

III. *Vera Miracula a falsis discernendi Regula, quam dedit Moses pro V. T. et Christus pro N. T., quando nempe Miraculum abducit vel a Deo ad idolatriam, vel a Christo ad sectas falsas, certissima est.*

PROBATIO. Falsa est Religio omnis, quæ non adorat, quæ non amat unum ac verum Deum, et unigenitum Dei Filium Jesum Christum, quippe deficiens quoad prima et primaria fidei morumque præcepta. Ergo et Miracula, quæ falsa Religio prætexit, falsa sunt, cum vera Miracula, quæ Deus æterna veritas facit solus, non nisi testimonia veritatis sigillaque divinæ Religionis esse possint. Vera proin et divina indubie fuerunt uti Mosis, ita multo magis Christi et Apostolorum Miracula, utpote ad unius Dei gloriam, ad solidæ pietatis imperium, ad subversionem regni diaboli tendentia; contra quæ Inferorum portæ universas mundi et tenebrarum potestates armaverunt; et quæ demum si non Deum, sed Dei hostem Diabolum haberent auctorem, nullum esset aut unquam fuisset medium discernendi veram a falsa Religione, quod bonitati, sapientiæ ac providentiæ divinæ omnino repugnat.

Vide DEUT. XIII. 1. 2. 3. MARC. IX. 38.

Nec est, quod juste aut metuat MosHEMUS, ne hæc discernendi Regula rudibus sit difficillima, eo quod similia veris falsa etiam Miracula Deus permiserit ac permittat pro errore; aut œconomiam divinam arguat ob relictam in ipsis etiam Miraculis obscuritatem, penitus dissipandam, si nullius omnino generis Miracula in confirmationem erroris Deus permitteret. *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus,* apud ISAIAM. Attamen tam evidentibus veritatis divinæ sigillis communivit veram Religionem Deus, ut in eo, qui rem mature ponderat, dubium saltem prudens excludat omne; et Miracula Mosis ac Prophetarum, Christi et Apostolorum rite comparata cum signis Magorum facile quis internoscatur majora ac splendidiora.

Qui omnimodam circa Religionem expostulat evidentiā, audiat PASCHALEM, quem quidem VOLTAIRE omnium minime sustinet adversarium, a se dudum (quod multoties promiserat) confutandum, at necdum confutatum: « Satis est luminis pro iis, qui videre cupiunt, et satis tenebrarum pro iis, qui aliter dispositi sunt: satis claritatis, ut illuminentur electi, et satis obscuritatis, ut reprobi exæcentur, et satis luminis, ut inexcusabiles sint et condemnentur ». Ita PASCHAL 18. *Pensées sur la Religion.*

IV. *Vera Miracula veræ Religionis demonstratio sunt divinissima.*

PROBATIO. EX unanimi omnium sensu potestas MIRACULORUM soli Deo propria est ceu causæ principali: Deus ex notione Miraculi invocatus testis veritatis ceu divinæ mirabilibus operibus loquitur, ut ait S. AUGUSTINUS, nempe dum continuo claudus libere ambulat, surdus audit, mutus loquitur, cæcus videt, mortuus ad vitam redit. Est ergo Miraculum Dei loquela, quæ naturæ Domini loquentis majestate et doctos et indoctos monet, atque ad oculos animumque pertingit; sed rebelles instar Pharaonis indurat, dociles instar Constantini M. perducit ad salutem: est testimonium Dei, cujus infinitæ veracitati, bonitati, sapientiæ ac providentiæ evidentissime repugnat, loqui et testari per Miracula, nisi pro veritate; ut ne hominem Deus ipse determinet invincibiliter ad errorem per medium ex natura sua determinatum, ut sit sigillum et testimonium veritatis ac divinitatis. Atque inde est, quod Deus in Veteri, Christus, Apostoli et apologetæ Religionis Christianæ in Novo Testamento usi sint argumento Miraculorum; et quotquot vel Mosi crediderunt, vel Christo nomen dederunt, ac proinde orbis propemodum universus in hujus argumenti robur invictissimum consenserit. Inde est, quod suam Judæis incredulitatem Christus exprobraverit tanquam inexcusabilem, eo quod viderint Miracula Christi, et nihilominus suam Christo divinitatem abnegaverint; judicavit ergo Christus, veris Miraculis inesse vim demonstrandi et suam et suæ doctrinæ veritatem ac divinitatem, verissimeque dixit æterna veritas: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* JOANN. XV. 24.

Quapropter tametsi solæ de CHRISTO prophetiæ aliæ ex V. T. argumenta pro adventu Messiæ, hunc esse Messiam invicte non probarent; quin et doctrina Christi Nicodemo videri posset difficilis, obscura, atque ex eo suspecta, quod Phariseorum traditiones destrueret; tamen ad eximiam lucem illam et majestatem tot sanctorumque signorum, quæ fecit Jesus, ut veteris Testamenti de se elogia illustraret, ut adimpleret vaticinia, ut doctrinam et missionem suam ceu vere divinam comprobaret; fugata procul omnis obscuritas, sublata difficultas et dissipata suspicio est. Itaque si hoc Deus debet hominibus, ut ne in errorem eos inducat, quod certe fieret, si Miracula æque pro falsitate ac pro veritate doctrinæ militarent: hoc debent homines Deo, ut quam Miraculis (quæ nemo alius facere potest) insignitam instituit, omnes recipiant ac tueantur ceu veram vereque divinam Religionem.

Obj. I. Miraculum antehac descriptum, est omnino impossibile ceu illud, quod fieri dicitur contra naturam, cujus leges sunt immutabiles, et contra

quas fieri quidquam posse, ipse negat AUGUSTINUS. Ad hæc si Miraculum excedere debet vires naturæ, quis scit, quousque se illæ extendant? Demum Deus jamdum ab initio prævertit omnem mundi imperfectionem, ut nulla deinceps mutatio per Miraculum esset necessaria; siquidem haud deceat divinam omnipotentiam, non posse assequi suum finem per leges naturæ; et opus quodvis miraculosum reipsa effectus finitus est.

Ita SPINOZA, Tract. Theol. polit. c. 6. VOLTAIRE, *Dictionnaire Philos.* art. *Miracles*. BAYLE et Increduli fere omnes proterve in rem suam citantes AUGUSTINUM de Genesi ad litteram L. VI. C. 13.

RESP. Ubinam Deus statuit, nunquam se acturum supra leges et vires naturæ, aut ex supremo absolutissimoque dominio? Numquid prævidit Deus uti minimos eventus et minimas horum circumstantias, ita necessitatem Miraculi in iis, quæ solis naturæ viribus haud fieri possent? et omnipotentia decedat quidquam, si ex sapientissimo fine aut non omne id agat, quod agere cum possit, agere non vult; aut leges naturæ, quas libere tulit, aliquando suspendat vel infringat, opera mutans, ut ait AUGUSTINUS, consilia non mutans; idque ob regnum gratiæ, cui omnia inferiora Deus voluit ancillari? « Sic ergo instituit, docet ANGELICUS, naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat. » Et HIPPOXENSIS: « quomodo est enim contra naturam, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti ubique conditoris conditæ rei cujusque natura sit? portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura: » ac si dicat, non est contra ordinem naturæ in principio spectatum, quod est decretum Dei immutabile; non est contra leges naturæ generales et fundatas in ipsa rerum essentia, quæ sunt prima principia per se nota; non est contra leges etiam particulares respectu Dei, cui cæu auctori suo perfecte subjacent, sed respectu nostri, qui eas leges aut suspendi aut immutari aut superari cum admiratione suspicimus.

Esto, Miraculum effectus sit in se finitus, ut vita mortuo reddita; at omnes causarum secundarum vires superat, et sine illarum interventu producitur; requirit ergo potentiam supremam et infinitam ab omni alia causa independentem et nullis terminis circumscriptam. Nonne mundus etiam et homentia sunt finita, quin a causa finita esse possint? Demum in casu, quo ad Dei invocationem reipsa effectus ponitur natura superior, æque pertinet ad Providentiam divinam, nos ab errore immunes præstare, sive cognitæ sive incognitæ etiam naturæ vires is superet; cum si cætera adsint, secundum communem hominum æstimationem nihil determinet Providentiam, ut testimonium suum potius affigat operi incognitæ etiam naturæ vires, quam duntaxat cognitæ, omnium judicio excedenti.

Ita S. AUG. L. XXI. de Civ. c. 8. D. THOMAS Q. VI. de Miraculis, art. 4.

Obj. II. Ordo rerum naturalis probatur perpetuo experimento, ac proinde pro hoc ordine contra Miraculum (quod est contra aut supra naturam) stat præsumptio, ita ut, si testimonium de patrato non sit ejusmodi, ut majus foret Miraculum, si falleret testimonium, prorsus nullam fidem Miraculum mereatur. Miracula Christi et Apostolorum coram paucis et indoctis patrata, et ad alios rumore vulgi perlata sunt, sed popello rudi in his non fidendum; aut quot demum testes necessarii sunt ad verum Miraculum? aut cui bono

sint Miracula, si ipsa quoque probanda sint? Tandem multitudo testium ipsa præjudicat veritati Miraculorum; nam si horum testium plures (ut factum non semel) ad aliam Religionem transeant, hoc ipso Miraculorum, uti Religionis quam deserunt, falsitatem profitentur.

Ita ROUSSEAU, *Emile* P. III. pag. 101. HUMUS in Libro: *Philosophische Versuch von den Wundern*. X. p. 254-277.

RESP. Næniæ incredulorum! Non fit testimonium contra testimonium in casu Miraculi, prout HUMUS contendit; nam 1º. ordo naturæ non testatur, omnia in mundo fieri juxta leges naturæ, et nihil fieri posse supra leges naturæ; sed abstrahit ab utroque: 2º. testimonium plurium fide dignorum realis probatio est facti Miraculi, nisi obstat testificatio contraria aliorum itidem probatorum testium: 3º. ni valeant prædicta; ergo quidquid vel ego vel alius mihi notus non fuerit expertus ipse, incredibile erit, omniaque recens inventa ac excogitata falsitatis argui poterunt, quia antehac incognita: 4º. reipsa ingens prodigium foret, si Miracula in Scripturis relata genuina non essent; tum quia impossibile non est Miraculum, sed incredibile, Deum suæ doctrinæ unice veræ et vere salvificæ sigillum quoddam divinitatis imprimere non posse; tum quia reipsa sine Miraculo ea fieri non poterant, quæ sacra Scriptura enarrat; tum quia facta esse per Miraculum, tot tantique testes, astutia et furor hostium incassum ea infestans, lux publici testimonii, et rei ipsius summa gravitas evincunt.

Altera æque indigna viro cavillatio est; et quia ex locis communibus, qui si hic probarent quicquam, nihil plane valeret ullum seu testimonium seu experimentum humanum, cum horum rarissima sint exempla, quæ non indigeant nova probatione; et quia factis apertissimis ac testatissimis ea adversatur, prout exhibet Thema II. Demum quam vile ac lepidum tertium illud HUMUS experimentum! Num ignorat, præter Judaicam et Christianam Religionem proferrî nullam posse, quæ per Miracula sit introducta? sola Ethnicorum, Mahumetanorum aut Hæreticorum præjudicia de veritate suæ sectæ adversus reale ac probatum testimonium Hagiographorum æque parum valere, ac incredulorum machinas contra quodvis Christi et Apostolorum Miraculum? plus valere auctoritatem paucorum etiam testium de visu ac quidem hostium veritatis per Miracula confirmatæ, quam milliones testium nulla experientia instructorum? reipsa hostium veritatis Christianæ (qui sunt Judæi, Gentiles et Mahumetani) testimonia de Miraculis Christianorum non everti per sua de propriæ sectæ veritate præjudicia? Nam tametsi hæc ipsi Miracula impugnent veluti sigilla Religionis unice veræ et salvificæ; vere tamen patrata esse, non diffitentur; id quod requiritur ac sufficit ad rationem testimonii, cum ad istam nihil faciat illud aut præjudicium, aut opinionamentum mere humanum de propriis sectis.

Obj. III. Verum ad quid probatio veræ Religionis per Miracula, cum et Magi in Ægypto sua Mosi opposuerint pro falsa Religione, ac Deus ipse jubeat divinitatem Miraculorum probare ex doctrina, in cujus probationem ea fiunt, quod sine vitio circuli intelligi non potest.

Ita ROUSSEAU, *Emile*, citans Deuteronomii c. XIII.

RESP. 1º. Tametsi concedatur, quod quidem falsissimum est, posse a Deo tribui diabolo virtutem vere thaumaturgam, tamen certum, quod sine nostra

culpa iis non simus decipiendi, nisi fors cæcorum more, et sine ullo criterio iisdem assentiremur juxta illud 2. THESSAL. II. 9. *cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*; cui deceptioni in paribus circumstantiis etiam patet Religio Naturalis, juxta illud ROM. I. 18. *revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem et injustitiam eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.*

2°. Magi Egyptii vera Miracula non patrarunt, sed mirabilia virtute quadam naturali ad quamdam illorum Mosis similitudinem, ita ut illorum vanitatem ex prodigiis Mosaicis cuncti præsentes possent colligere; neque jussu Dei ut Moses, in quo lapsus est ROUSSEAU.

3°. Discernendum est inter doctrinam jam propalatam et admissam cen vere divinam, ac inter doctrinam, quæ tanquam divina primum venditur; hæc si priori contradicat (e. g. Idola ad ferendam opem imploranda esse) prætenso licet prodigio firmata, ex ipsamet hac contradictione prodigii falsitas manifestatur. Atque hic est casus, quo innuunt sacræ paginae, miracula ut sint vera, ex doctrina probanda esse. En! quam prudens hæc norma veritatis.

Hic recole C. XIII. Deuteronomii... 1. Corinth. XII. 2... 1. Joann. IV. 1-3.

Si posterior non contradicat priori doctrinae (e. g. Jesum Christum esse Redemptorem generis humani) illa pariter, ut hæc, poterat esse vera et divina; sed unde hoc certo rescias? juxta sententiam Nicodemi ex miraculo eandem confirmante: *scimus, quia a Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* JOANN. III. 2. Non ergo vitiosus hic circulus est, ubi doctrinae veritas probatur per Miracula; sed potius desideratur circulus ad Q. E. D. in hac ROUSSEAUVII demonstratione.

Obj. IV. Ethnicus seu idololatra jure occiderunt Apostolos, ignotum sibi Deum et Evangelium annuntiantes: siquidem ubi Dei et divinæ doctrinae veritas ex miraculis cognoscenda proponebatur, Miraculis Miracula ii facile opponerent, quin solide quicquam oggeri posset ab Apostolis.

Ita ROUSSEAU, *Emile*, inde concludens: ergo rationi credendum magis quam Miraculis.

RESP. Oculos habet, nec tamen videt ROUSSEAU, quantum utrinque discrimen intercedat: 1°. Ex eo, quod Christi et Apostolorum quædam Miracula fuerint indubie divina, videlicet Christi Resurrectio, morborum subita curatio vel ex umbra Apostolorum, quo in genere Miraculi a nullo deceptore imitabilis neque necessaria fuit norma probandi Miracula ex doctrina, duntaxat necessaria pro casu dubii de veritate prodigii. 2°. Quod sacra Scriptura, ubi illam probandi normam statuit, præmittat ceu doctrinam indubitam, omnem idololatriam esse falsam atque impiam, contra ac Ethnicus præsupponant; si vero id ipsum ex errore conscientia de vera Religione Ethnicus præmitterent, qui subsistet ROUSSEAUVII assertio, quod iis nihil solidi possit opponi? Videtur hic data opera prætermisisse ROUSSEAU, quod eodem argumento ex Cap. XIII. Deuteronomii Ethnicus adversus Christum et Apostolos abuti potuerint; verum irrito pariter conatu: nam Christus et Apostoli non venerunt solvere et abjicere (ut idololatrae) sed perficere SS. Scripturarum doctrinam: profitebantur Religionem suorum Majorum et fidem omnium,

quæ divino Codice continebantur; id solum contendebant, Jesum esse Messiam Judæis promissum, id quod longissime aberat ab inducenda idololatria, cum hoc potius dogma Judæorum capitale fuerit, venturum esse Messiam, quem esse Jesum Christum, Christus et Apostoli ex vaticiniis demonstrarunt; indeque nunquam Judæi Miracula Christi aut denegarunt, aut impugnarunt propterea, quod suæ doctrinae contradicerent.

Demum sequela Rousseauviana (quod rationi potius, quam Miraculis sit deferendum) si ex Deuteronomii Cap. XIII. contra Christi et Apostolorum Miracula deducitur, vana: si ex cerebello ROUSSEAUVII promanat, fatua est, et seu erroris seu impostoris miserum apophthegma.

Confer hic Joann. XVI. 23... Matth. V. 17... Act. Apost. XXIV. 13... Rom. I. 1...

Obj. V. Innuit CHRISTUS ipse, patrari posse Miracula a peccatoribus, quos ceu operarios iniquitatis nunquam se nosse, enuntiat. Multis ipse locis recusavit operari prodigia, rejiciens cum indignatione eos, qui cupiebant videre signum. Passim autem de Miraculis, quæ patrauerat, secretum commendavit; non ergo per Miracula suam voluit divulgari Religionem.

RESP. CUM ANGELICO, 1° posse fieri Miracula ab impiis et hæreticis, non tamen in confirmationem erroris, sed veritatis, cujus homines etiam mali possunt esse testes: « nam et Saül et Balaam et Caïphas prophetaverunt », (ait S. HIERONYMUS): non item a daemonibus, « quorum tota voluntas ad malum est ». 2°. Non placuit divinæ Sapientia, coram Phariseis, Nazarethanis et Herode, utpote superbis, male curiosis et obstinate incredulis sua prodigere Miracula; hoc sane nihil criminationis habet. Herodi in liberationem Christi propenso signum Christus denegavit, quia mori pro nobis decreverat. Non indulsit Phariseis signum caeleste, quia testatissima in terris facta prodigia neglexerant. Nazarethanos, propinquos etiam et cognatos suos Miraculis indignos censuit, scilicet illos, de quibus JOANNES: *Non credebant in eum*; et MARCUS energia hebraica: *Non poterat ibi virtutem ullam facere*; ob voluntariam cæcitatem, incredulitatem atque obstinationem. Qui, si male de Christo sentiebant, eum quasi furiosum traducetes, aliorum Christi fratrum Simonis, Josephi, Judæ et Jacobi sensa longe sublimiora erant. Attamen nec illos omni prorsus Miraculo destituit, infirmis quamvis non ita multis per manuum impositionem ibidem curatis. 3°. Christus quam multa, tam illustria Miracula patrauit coram ingenti testium multitudine in Synagogis, in amplissimis civitatibus: ex his Miraculis Phariseos et Pontifices arguit Christus: inexcusabiles pronuntiat Judæos ob visa tot Miracula: ipsi hostes Christi multitudinem signorum pro causa mortis allegant, et vel in cruce pendenti exprobant: *alios salvos fecit.*

Quid ex his colligis, incredule? quod passim mentiaris et passim calumniaris. Passim sua edidit Miracula Christus, ut palam commonstraret tum suam, tum suæ doctrinae divinitatem: si vero ad quædam miracula secretum commendavit, id factum ad declinandam initio suæ prædicationis invidiam hostium, in exemplum modestiæ, ad demonstrandam velut per gradus suam missionem divinam, et quæ sunt causæ hujusmodi peculiare economiæ Evangelicæ.

Vide Matth. VII. 22. Marc. III. 21. Joann. VII. 5. Marc. VI. 5. 6. Joann. V. X. XI. XV.

Obj. VI. Si tanta vis est Miraculorum; eecur non dicitur, credite Miraculis; sed credite Ecclesiae? Eecur tam paucis se Deus manifestat per signa et prodigia? Eecur permittit Deus pseudo-christos et pseudo-prophetas illorumque signa et portenta ad seducendos, si fieri posset, etiam electos?

Resp. Secundum exactitudinem theologicam nec Ecclesiae credimus, nec Miraculis, sed Deo, cujus locutionem Miracula reddunt evidenter credibilem, et Ecclesia proponit credendam propter Deum. Assentiri autem evidentiæ credibilitatis, præcepto haud ita indiget, uti obsequium circa credenda præstandum Ecclesiae. Deus mirabilia operatur ad excitandam nostram fidem, ut quo major et illustrior est certitudo cognitionis, eo ardentius sit obsequium mentis. Si Deus ubique et semper et omnibus via tam extraordinaria sese manifestaret, vix meritum esset fidei: si nusquam et nulli, vix ulla foret fides. Quod veris sæpe Miraculis non credatur, et falsis credatur, utrinque defectus est charitatis: *non creditis*, ait Christus ad Judæos, *quia non estis ex ovibus meis*; item, *eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Deus vero tollere hunc defectum in volentibus cæcutire ac obstinate incredulis non tenetur, quia nulla consecutio est: dantur Miracula falsa pseudo-prophetarum et pseudo-christorum, ergo nulla dantur vera; cum inde potius eruatur oppositum, quod non dentur falsa, nisi quia dantur vera Miracula; sicut nec falsæ Religiones ac Revelationes, nisi quia dantur veræ. Nulla item consecutio est: fieri possunt Miracula falsa, ergo vera a falsis nequeunt discerni; cum nunquam permittatur portentum pro errore, ut majus prodigium pro veritate non operetur Deus, simulque prædicat signa falsa et mendacia, ne fidem inveniant: præterquam quod multa Miracula Prophetarum oraculis prænuntiata effectus habuerint illustrissimos, eversionem idololatriæ et gentium conversionem. Adde, quod voces hebraicæ *oth* et *mophet*, quibus exprimuntur signa et portenta pseudo-prophetarum, generatim designent novi quid ac mirabile, et pro vero Miraculo haud decident.

Obj. VII. Deus dicitur tentare nos (Deut. XIII.) scilicet prodigiis, quæ in errorem inducant; atque hinc est, quod Hæretici etiam et Pagani sua jactitent prodigia, et signa magna patraturus sit Antichristus. Nulla ergo Miracula merentur fidem tanquam sigilla veræ ac divinæ doctrinæ.

Resp. Deus tentare nos dicitur, quod prolabendis in errorem subministret occasiones, quæ tamen nullam imponant necessitatem. Si vero in errorem Deus homines induceret, necessitati illos subjiceret sequendi falsum; id quod repugnat infinitæ sanctitati, bonitati et justitiæ. Quod autem in dubio vera Miracula discernant inter populum et populum, inter Judæum et Gentilem, inter Judæum et Christianum, inter Catholicum et Hæreticum; patet ex omnibus certaminibus pro veritate adversus errorem, videlicet Abelis contra Caim, Mosis contra Magos Pharaonis, Eliæ contra pseudo-prophetas, Jesu Christi contra Phariseos, S. Pauli contra Barjesu, Apostolorum contra Exorcistas, Christianorum contra Paganos, Orthodoxorum contra Heterodoxos, ac tandem Eliæ et Enochii contra Antichristum; semper vi Miraculo-

rum splendidissimorum (quæ Deus et nemo alius facit) prævalente pro veritate. Inter Christum verò et Antichristum ac utriusque prodigia quantum, proh! intervallum? Christus contra Deum aut Mosen aut Prophetas locutus nunquam est: Antichristus et pseudo-prophetae ab utroque Testamento prædicti palam loquentur adversus Deum et Christum; poterat autem Deus aperto hosti permittere signa et portenta citra periculum erroris. Christum Moses prædixerat, præcipiens sequi Christum: Antichristum prædixit Christus, sed prohibens sequi illum: Miracula Christi non sunt prædicta ab Antichristo, sed hujus portenta ab illo, quæ proin neminem sanæ mentis perventent, utpote prædicta ceu falsa et mendacia signa.

Verbo: inservierunt Miracula Ecclesiae institutioni, et deservient ejusdem conservationi usque ad Antichristum, ita ut pro hac Ecclesiae prærogativa Deus vel non permittat, vel prædicat, vel confundat Miracula falsa, vel certe majora pro veritate faciat evenire.

Obj. VIII. Christus sua patravit Miracula ceu merus Dei minister; hinc preces ad Deum iisdem præmisit, eaque Deus per Christum fecisse dicitur; suspicari ergo semper Judæis licuit, ea ab agente oriri, quod homine quidem superius, non tamen Deus sit; præsertim circa ea Miracula, quæ a Prophetis prædicta non fuerunt. Atque hinc est, quod nec Synagoga Judæorum, controversiarum in Religione judex, ea tanquam vera et cum Christi divinitate conjuncta existimaverit.

Resp. Quam multa Christus signa fecerit ceu Dominus et naturæ et gratiæ, pleni sunt libri N. T. Nonne enim ad patranda longe maxima prodigia solo nutu et voluntate usus dixit: *Volo, mundare: ego veniam et curabo eum: fiat tibi, sicut vis?* Nonne uno vocis imperio expulit dæmones, cunctis obstupescens? Nonne a Centurione pro salute servi Christus ceu Dominus solo verbo omnipotens fuit exoratus? Nonne de sanctissimo Christi corpore adeo vis thaumaturga exibat et sanabat omnes? Si quando itaque preces adhibuit, hominem se ostendit et exemplum nobis præbuit. Si dicatur: *non potest Filius a se facere quidquam*; distinctio duntaxat personarum innuitur et generatio æterna Filii, cum doceat Augustinus: *si per Filium facit, quæ Pater facit, non alia Pater, alia Filius facit.*

Prædictum Judæis erat, Messiam ex Miraculis cognoscendum esse; num valeant prudenter suspicari, ab agente creato summa illa prodigia proficisci, in quibus divina Christi virtus apertissime eminuit? Synagoga circa personas Prophetarum sæpe erravit, quidni circa Christum errare potuerit, maxime cum prænuntiaverint Prophetae, Messiam a Synagoga repudiandum esse? Attamen tota Synagoga nunquam edixit, falsa esse Christi Miracula; ac tandem deficiente tum Synagoga Deus tamen non defuit populo suo, cui providit de Propheta, qui sit Mosis similis, in cujus ore verba sua reposuerat, et cui maximam fidem fecerat ex doctrina et evidentiâ Miraculorum.

Demum quæ Prædestinatio de Miraculis vel a prophetiâ, vel ab excellentioribus Miraculis, v. g. anastasi mortuorum sejunctis, nuperrime orbi Catholico obstruit, protinus a Sorbona et ab Episcopis Galliæ ceu impiissima atque execrabilis doctrina nigrum theta tulit.

§ III. COROLLARIA.

Theistas Judæis haud absimiles exhibet par circa fidem Miraculorum perfidia. Judæi Miraculorum, quæ palam ac toties Christus patrauerat, evidentia convicti realitatem, ut aiunt, Miraculorum negare non poterant, quin et sæpe tacite et inter se confessi sunt. Sed publice ad alias causas ea detorqueere conati attribuerunt jam Beelzebub principi dæmoniorum, quamvis scirent, exsuscitationes mortuorum vires dæmonum longe transcendere; jam artibus magicis, tametsi aliunde artes magicæ Judæa exularent, et Christi adventus cumprimis tenderet ad evertendum dæmonis imperium, magicæ et superstitioni innixum; vel per ineptissimam fabulam pronuntiatio Dei Nomini, quod Tetragrammaton Christus e templo Hierosolymitano abstulerit. Numquid Judæis meliores Theistæ? Religionis, quam Christus instituit et Miraculis confirmavit, hostes infensissimi, Miracula Christi et Apostolorum variis artibus, miris fraudibus, aut causis mere naturalibus adscribunt, ac divinitate Christi et Religionis explosa, solum adorant idolum rationis. Quippe paris perfidiæ par causa, pravæ animi affectiones, excæcatio mentis, obduratio cordis, spiritus rebellionis in Christum; sed et par poena utrinque consequetur, hac in vita abjectio incredulorum inter quisquilias hominum, et in altero seculo mors secunda in loco tenebrarum et tormentorum.

SECTIO IV.

RELIGIO CHRISTIANA A VATICINIIS EXACTISSIME ADIMPLETIS STABILITA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Quod olim MARCIONITÆ, hoc aiunt hodie SOCINIANI, veteres Prophetias esse superfluas ad demonstrandam Jesu Christi divinitatem; et quod THEOPHORUS MOPSUESTENUS impie docuit ab Ecclesia propterea condemnatus, hoc recoquant hodie minuti Philosophi, nullam probandi vim inesse Prophetiis. GROTIUS vaticinia non tam prosunt ad firmandam fidem, quam ad ornatum fidei et fomentum pietatis; quam vero sententiam totam turgere fermento Socini, notat Huetius: consentiunt GROTIUS Episcopus et SIMONIUS. IMPIUS COLLINUS, ut Christianam Religionem vaticiniis innixam ceu falsam suffodiat, cum grege Theistarum Prophetiis, utpote mere typicis, mysticis et ænigmaticis, vim et efficaciam denegat omnem. Verum Prophetiam et a solo Deo esse, et ad veritatem probandam habere prærogativam divinitatis, docent sacræ litteræ, testatur communis gentium persuasio, evincunt notio, natura et objectum prophetiæ versantis circa futura contingentia, quæ homo naturaliter cognoscere nequit; sive in seipsis, cum non existant; sive in causis

creatis, cum ad hunc effectum necdum sint determinatæ. Atque hinc est, quod Christus Judæos incredulos remiserit ad Mosen et Prophetas; quod Petrus, Paulus, veteres Apogetæ omnes et Patres gravissimi ad stabilendam Christianam Religionem usi sint scriptis Prophetarum ceu validissimo argumento. Inde Gentiles adeo teste Huetio persuasum habebant, « omnem prophetiam facultatem esse a Deo », et vates futurorum præcios appellabant DIVINOS; hinc Isaïas ait: *annunciate, quæ ventura sunt in futurum, et scimus, quia Dii estis vos.*

II. Id genus vaticiniorum ubertim profundunt sacræ paginae de Christi adventu, nativitate, passione, morte, resurrectione, ascensione, illapsu Spiritus sancti, vocatione Gentium, Judæorum dispersione et novo Christi regno, ita ut quater mille annorum oracula Prophetica, ad minimas etiam circumstantias exactissime impleta, eventus comprobaverit. Ac profecto ni tot Prophetarum certissima prædictio antecessisset; cuinam mortalium credibile fuisset, Christum (cui tot et tam luculenti Messiae characteres ex Veteri Testamento congruerent, et eo quidem tempore, quo communis per orientem vigeat persuasio de adventu Messiae) a Judæis rejectum, quin et morte turpissima trucidatum iri; qua tamen ignominia nullum alium, qui se Messiam falso jactitabat, unquam affecerunt? Si vel conferantur prædictiones ISALÆ de excidio Babylonis per Cyrum cum Herodoto ex Xenophonte; item CHRISTI exacta designatio Jerosolymæ unaque Reipublicæ Judaicæ subvertendæ cum historia Josephi; illucescet clarissima undique prædictorum cum prædictionibus conspiratio. Cum vero innumera fere sint vaticinia, quorum notitiam, lucem et veritatem sacræ litteræ aliunde suppeditant; duntaxat geminas hic spectamus, de Christi Resurrectione et de Excidio Jerosolymæ omnium præstantissimas; tum quod earum auctor sit auctor Religionis Christianæ; tum quod sint fundamentum Christianismi contra Judaismum; tum quod usitatis incredulorum atque impiorum effugiis non ita pateant.

Conferantur hic ISAIAS C. XIII. XIV. XLV. VI. VII. LUCAS II. 26..., III. 45. MATTH. III. 5. HERODOTUS L. I. c. 190. XENOPHON L. VII. Cyropediæ. JOSEPH. LL. de Bello Jud. et L. ult. de Antiq. SÆTONIUS in Vespas. c. 4. TACITUS Hist. L. V. c. 13. Ex quibus etiam manifestum redditur, nullo alio tempore, quam statim post Christi mortem, tot extitisse non sine sequacibus pseudo-christos, qui pro vero Messia sese venditarent.

§ II. THEMATA.

I. *Vaticinium Christi de sua Resurrectione invictissimum divinæ Religionis a Christo institutæ argumentum est.*

PROBATIO. Christus hanc suam Resurrectionem, quam ringentibus nequicquam Theistis credit universus orbis, ipsemet propalavit ceu divinissimum signum suæ a Patre legationis. Noverant hostes Christi, hanc resurrectionis factam esse prædictionem, antequam resurgeret. Contigit ea post tres dies, uti prædicta fuit. Hujus testes erant Apostoli integerrimæ fidei, qui veritatem rei nosse poterant per quadraginta dies conversati cum Christo post ejus resurrectionem, edentes et bibentes et sermocinantes cum eo, contre-

§ III. COROLLARIA.

Theistas Judæis haud absimiles exhibet par circa fidem Miraculorum perfidia. Judæi Miraculorum, quæ palam ac toties Christus patrauerat, evidentia convicti realitatem, ut aiunt, Miraculorum negare non poterant, quin et sæpe tacite et inter se confessi sunt. Sed publice ad alias causas ea detorquere conati attribuerunt jam Beelzebub principi dæmoniorum, quamvis scirent, exsuscitationes mortuorum vires dæmonum longe transcendere; jam artibus magicis, tametsi aliunde artes magicæ Judæa exulerent, et Christi adventus cumprimis tenderet ad evertendum dæmonis imperium, magicæ et superstitioni innixum; vel per ineptissimam fabulam pronuntiatio Dei Nomini, quod Tetragrammaton Christus e templo Hierosolymitano abstulerit. Numquid Judæis meliores Theistæ? Religionis, quam Christus instituit et Miraculis confirmavit, hostes infensissimi, Miracula Christi et Apostolorum variis artibus, miris fraudibus, aut causis mere naturalibus adscribunt, ac divinitate Christi et Religionis explosa, solum adorant idolum rationis. Quippe paris perfidiæ par causa, pravæ animi affectiones, excæcatio mentis, obduratio cordis, spiritus rebellionis in Christum; sed et par poena utrinque consequetur, hac in vita abjectio incredulorum inter quisquilias hominum, et in altero seculo mors secunda in loco tenebrarum et tormentorum.

SECTIO IV.

RELIGIO CHRISTIANA A VATICINIIS EXACTISSIME ADIMPLETIS STABILITA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Quod olim MARCIONITÆ, hoc aiunt hodie SOCINIANI, veteres Prophetias esse superfluas ad demonstrandam Jesu Christi divinitatem; et quod THEOPHORUS MOPSUESTENUS impie docuit ab Ecclesia propterea condemnatus, hoc recoquant hodie minuti Philosophi, nullam probandi vim inesse Prophetiis. GROTIUS vaticinia non tam prosunt ad firmandam fidem, quam ad ornatum fidei et fomentum pietatis; quam vero sententiam totam turgere fermento Socini, notat Huetius: consentiunt GROTIUS Episcopus et SIMONIUS. IMPIUS COLLINUS, ut Christianam Religionem vaticiniis innixam ceu falsam suffodiat, cum grege Theistarum Prophetiis, utpote mere typicis, mysticis et ænigmaticis, vim et efficaciam denegat omnem. Verum Prophetiam et a solo Deo esse, et ad veritatem probandam habere prærogativam divinitatis, docent sacræ litteræ, testatur communis gentium persuasio, evincunt notio, natura et objectum prophetiæ versantis circa futura contingentia, quæ homo naturaliter cognoscere nequit; sive in seipsis, cum non existant; sive in causis

creatis, cum ad hunc effectum necdum sint determinatæ. Atque hinc est, quod Christus Judæos incredulos remiserit ad Mosen et Prophetas; quod Petrus, Paulus, veteres Apogetæ omnes et Patres gravissimi ad stabilendam Christianam Religionem usi sint scriptis Prophetarum ceu validissimo argumento. Inde Gentiles adeo teste Huetio persuasum habebant, « omnem prophetiam facultatem esse a Deo », et vates futurorum præcios appellabant DIVINOS; hinc Isaïas ait: *annunciate, quæ ventura sunt in futurum, et scimus, quia Dii estis vos.*

II. Id genus vaticiniorum ubertim profundunt sacræ paginæ de Christi adventu, nativitate, passione, morte, resurrectione, ascensione, illapsu Spiritus sancti, vocatione Gentium, Judæorum dispersione et novo Christi regno, ita ut quater mille annorum oracula Prophetica, ad minimas etiam circumstantias exactissime impleta, eventus comprobaverit. Ac profecto ni tot Prophetarum certissima prædictio antecessisset; cuinam mortalium credibile fuisset, Christum (cui tot et tam luculenti Messia characteres ex Veteri Testamento congruerent, et eo quidem tempore, quo communis per orientem vigeat persuasio de adventu Messia) a Judæis rejectum, quin et morte turpissima trucidatum iri; qua tamen ignominia nullum alium, qui se Messiam falso jactitabat, unquam affecerunt? Si vel conferantur prædictiones ISALÆ de excidio Babylonis per Cyrum cum Herodoto ex Xenophonte; item CHRISTI exacta designatio Jerosolymæ unaque Reipublicæ Judaicæ subvertendæ cum historia Josephi; illucescet clarissima undique prædictorum cum prædictionibus conspiratio. Cum vero innumera fere sint vaticinia, quorum notitiam, lucem et veritatem sacræ litteræ aliunde suppeditant; duntaxat geminas hic spectamus, de Christi Resurrectione et de Excidio Jerosolymæ omnium præstantissimas; tum quod earum auctor sit auctor Religionis Christianæ; tum quod sint fundamentum Christianismi contra Judaismum; tum quod usitatis incredulorum atque impiorum effugiis non ita pateant.

Conferantur hic ISAIAS C. XIII. XIV. XLV. VI. VII. LUCAS II. 26..., III. 45. MATTH. III. 5. HERODOTUS L. I. c. 190. XENOPHON L. VII. Cyropediæ. JOSEPH. LL. de Bello Jud. et L. ult. de Antiq. SÆTONIUS in Vespas. c. 4. TACITUS Hist. L. V. c. 13. Ex quibus etiam manifestum redditur, nullo alio tempore, quam statim post Christi mortem, tot extitisse non sine sequacibus pseudo-christos, qui pro vero Messia sese venditarent.

§ II. THEMATA.

I. *Vaticinium Christi de sua Resurrectione invictissimum divinæ Religionis a Christo institutæ argumentum est.*

PROBATIO. Christus hanc suam Resurrectionem, quam ringentibus nequicquam Theistis credit universus orbis, ipsemet propalavit ceu divinissimum signum suæ a Patre legationis. Noverant hostes Christi, hanc resurrectionis factam esse prædictionem, antequam resurgeret. Contigit ea post tres dies, uti prædicta fuit. Hujus testes erant Apostoli integerrimæ fidei, qui veritatem rei nosse poterant per quadraginta dies conversati cum Christo post ejus resurrectionem, edentes et bibentes et sermocinantes cum eo, contre-

ctatis adeo vulneribus Christi; et cum hæc omnia ante suam mortem promississet, de veritate divinæ apparitionis magis certi erant inde, quod antea haud nimis creduli prædictam sibi resurrectionem Christi vix capere aut possent aut vellent, dum oculis manibusque eam percepissent. Fucum autem facere hic Apostoli nec volebant nec poterant; tum ob candorem animi sincerissimum, quem ipsi hostes suspexere; tum ob ingentem zelum, quo suum quoque sanguinem huic de Christi resurrectione veritati devovebant; hinc palam et liberrime eam profitentur in loco, in quo contigit, eo tempore, quo miliones Judæorum erant Jerosolymis, et quorum intererat plurimum, rem istam maximi momenti discutere, utpote cujus veritas veritatem ac divinitatem Christi, Religionis vero et Reipublicæ Judaicæ stupendam catastrophem eodem puncto temporis demonstraret.

Horum omnium clarissima testimonia exhibent MATTHÆUS, C. XII. 39... XXVI. 61... XXVII. 63. JOANN. II. 21... XX. 24. LUC. XVIII. 34... XXIV. 11. et 21.

Igitur Resurrectio Christi undequaque certissima est, 1º. ex parte testium, qui erant sat multi, quia plures quam quingenti, et primarii inter illos Apostoli; testes oculati, et qui serio ac frequenter testantur appellato tribunali divino, implorato Dei nomine, et ostensa virtute thaumaturga; testes in loco rei gestæ, statim ab eventu rei, palam et modo maxime solemniter; testes probi, virtute sua spectabiles, et de facta resurrectione plenissime convicti ac persuasi; testes quorum testimonio omnes morales evidentiæ insunt characteres, et cujus fallacia certo ac necessario detegi debuisset. 2º. a Judæorum persuasionem, sive spectemus modum, quo Apostolorum de Christi resurrectione testimonium exceperunt, sive modum agendi contra Apostolos ob istud testimonium. 3º. ex connexionem factæ resurrectionis cum certissimis eventibus tum antecedentibus, tum consequentibus. 4º. ex absurdissimis sequelis adversus Apostolos ceu homines sine omni Religione, sceleratissimos, nebulones et impostores pessimos æque ac stupidissimos, quorum Dux et Caput S. PETRUS (prout hic acute ratiocinatur COLLET ex DUGUET, *Principes*, pag. 236.) his fere verbis post Christi mortem usus sit ad Apostolos.

En tandem occubuit in cruce Magister noster! Promiserat is equidem se die tertia resurrecturum, id quod sperabamus, sed spem fefellit eventus, nec jam dubium, quin fœdus fuerit impostor, qui filium Dei se esse blasphemabat, et supernas nobis in regno suo sedes pollicebatur. Quid ergo jam nobis agendum? Unum e duobus; ut vel ad sordidam nostram piscatus artem revertamur, vel Jesum hunc a mortuis surrexisse, nobisque per multos dies apparuisse mentiamur. Et hanc partem ut grandibus animis longe digniorem propono vobis. Nec vero me fugit, quantis ea difficultatibus subiaceat. Ne quid enim dissimulem, disseminandum erit ubicumque mendacium ea mentis intrepiditate, qua nec alii veritatem annuntiant. Pugnantium erit contra carceres, torturas, mortem ipsam et forte immanissimam. Jam nunc prævideri debent mala hæc omnia et contemni. Interea, et id vos serio commonitos velim, nihil undecumque expectandum erit solatii; non a conscientia, cujus e contrario remorsus et clamores sedulo compescendi erunt; non a Deo, qui mendaces plectit, nedum remuneret; non a Jesu, cujus in gloriam inaudita hæc meditatur, et qui æque parum salvabit nos,

ac seipsum salvare potuit; non ab amicis, quibuscum id nunc inimus consilii, quia alii post alios cadent, nec forte deerit novus Judas, qui promissis allectus aut victus conscientia et futuri judicii timore nostram hanc totam machinationem revelet, et tetram impostorum labem miseris jam et afflictis inurat. Macti tamen este animis, ite, volate et id unum metuite, ne quid in terra, in cælo, in inferis vereamini! En summam pacti inter Apostolos ineundi, ut orbem totum deluderent. Quis autem credat hoc intervenisse pactum, quis ejus successum sibi persuadecat, nisi stolidissimo quovis Theista stolidior?

Lucem dictis afferunt Matth. XXVIII. Luc. XXIV. 48. Act. Apost. I. 8.-22... II. 32.-36... IV. XVI. XVIII. XXV. 1. Corinth. XV. 6...

II. *Vaticinium Christi de Excidio Jerosolymæ et Reipublicæ Judaicæ Eversione, efficacissimum Christianismi Judaismo surrogati testimonium est.*

PROBATIO. Christus apertissimis verbis prænuñtiavit Templi et Urbis devastationem, nec non Gentis Hebrææ durissimam servitutem et funestissimam dispersionem una cum præcedentibus et consequentibus, et quidem pro illa tum ætate hominum obventuris. Hæc Christi prædictio diu antecessit rei eventum, et Matthæus ac Lucas multo tempore ante dirutam Jerosolymam idem Vaticinium publice ediderunt. Christus non nisi ex spiritu prophetico ea potuit prænuñtiare; quamvis enim ex judaico rebellionis spiritu bellum cum Romanis et fata Judææ aliquatenus posset prævidere, non vero terræ motum, pestilentiam, famem et tot pseudochristos, quibus sine prodigiis credituri sint Judæi, qui veris ac splendidissimis Christi miraculis nequicquam movebantur, certo præaugurari potuit sine Numine. Huic Christi præaugurio certissimus respondit eventus, prout testantur JOSEPHUS, TACITUS, EUSEBIUS et EPIPHANIUS, præprimis autem JULIANUS Apostata; qui cum eam prophetiam Christi evacuare contenderet, atque ad restaurandum Templum Judæos adigens pecunias et ingentes sumptus profunderet, subito terræ motus ac erumpentes flammæ conatus omnes ita dissiparunt, ut in hunc usque diem nec patriæ, nec urbis, nec Templi spes ulla Judæis affulgeat.

Recole hic MATTH. XXIV. LUC. XXI. JOSEPH. LL. de Bello Jud. EUSEB. L. III. c. 5. EPIPHAN. hæresi 29. THEODORET. L. III. c. 20. PHILOSTORG. L. VII. n. 9. SOZOM. L. VI. c. 22. præcipue AMMIANUM MARCELLINUM Juliano Imp. cœvum, sub quo stipendia meritis scribit: « globi flammarum prope fundamenta crebris adsultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo cessavit inceptum. » Et S. CHRYSOSTOMUS Juliani ævo propinquior in oratione (quod Christus sit Deus) sic habet: « nam ætate nostra Imperator facultatem tunc dedit et cooperatus est; opus incepere, at ne vel minimum ultra progredi potuere; sed ignis a fundamentis exiliens omnes fugavit... Indicium est, quod hactenus nudata appareant, ut videas ipsos quidem fodere cœpisse, sed ædificare non potuisse, obsistente Christi sententia ». Idem testantur GREG. NAZ. AMBROS. RUFFIN. SEV. SULPIT. CASSIODOR. et FRECULPHUS LEXOV.

Obj. I. Omnes seu figuræ seu prophetiæ tam erant obscuræ ac ambigæ, ut nihil certi exinde rescire potuerit aut Synagoga aut Ecclesia: sic LXX.

Hebdomades DANIELIS laborant æquivocatione; sive initium spectetur, ex verbis Prophetiæ; sive terminus ob discordantem chronotaxin: Prophetia JACOBI varium in sensum a Judæis detorta nihil roboris habet. Atque hæc tamen omnium præcipua sunt vaticinia. Tandem si per tot secula lux tanta vaticiniorum effulsit; ecur non crediderunt Judæi? ecur necdum exterminata gens Hebræa tantæ obsistens claritati?

Resp. Dari Prophetias pro certo temporis spatio et aliqua ex parte obscuras, quæ tamen per eventum claræ fiunt et perspicuæ; non obstat veritati Prophetiæ, nec Dei gloriæ, nec utilitati hominum. Quamvis enim vaticinium, dum ejus durat obscuritas, vim probandi non habeat; tamen ubi Deo placuerit, suarum Prophetiarum dare intelligentiam (ubi eventus prædictioni exacte responderit; ubi vel a Scriptoribus theopneustis vel ab Ecclesia earum sensus fuerit determinatus) procul est obscuritas et ambiguitas, implete sunt conditiones, et Prophetiæ miro fulgore collustrant tam Christum, quam Christi Ecclesiam. Id quidem manifestum de plerisque V. T. vaticiniis, jam nunc vel ante Christum, vel in Christo, vel post Christum eventu comprobatis; et de illis Christi vaticiniis supra memoratis manifestissimum est.

De illa DANIELIS certum, quod temporis discrepantia non excedat ducentos annos, et plures jam fluxerint, quam mille septingenti. Ad illam JACOBI ipsimet Judæi respondent (Joannis XIX.) *non habemus Regem, nisi Cæsarem*; ergo cum ex propria confessione non haberent Regem, nisi extraneum, et alium habere nollent; Messias tunc venerat, isque Jesus Christus. Quod nihilominus ad tantam lucem cæcutiant Judæi, pervicacia est, quam etiam æmulantur Theistæ, et pejus quidem. Adhæc si Judæi conversi fuissent ad Christum omnes, non essent nobis testes, nisi suspecti; et si fuissent exterminati omnes, non essent nobis testes amplius ulli. En! quam admirabilis Christi erga suam Ecclesiam contra incredulos providentia?

De figuris, quod non omnes debita luce caruerint, exemplo sit vel unica illa de JOSEPHO Christi typo splendidissimo: Joseph prædilectus patri, missus a patre ad fratres, innocens divenditus a fratribus, inter duos reos insons in carcere detentus, uni prædicit salutem, et mortem alteri, inde dominus fratrum et salvator populorum effectus est. Numquid Jesus Christus, unigenitus Dei Filius et primogenitus fratrum, ad fratres descendit, a fratribus proditus et venditus, medius inter duos latrones suffixus est cruci, unum salvans et alterum derelinquens, inde Dominus omnium et mundi salus?

Obj. II. Ut vim habeat prophetia, hæc tria requirit ROUSSEAU: ut sit ipse testis prophetiæ, dum profertur: ut ipse videat eventum: ut certo ipsi constet, eventum non potuisse fortuito congruere; siquidem sequi possit eventus vel ad falsam etiam prophetiam ex Deuteronomii capite decimo tertio, vel naturali via aut casu. Ac demum quis scit, vaticinia veteris et novi Testamenti non esse conficta a versipellis, præsertim Judæis et Christianis, quorum intererat, suam Legem vel Mosaicam vel Christianam ceu vere divinam orbi persuadere?

Resp. Insulsiatatis apicem hic contingunt increduli: nam quis sapiens unquam existimare potuit, oracula Prophetarum (qui unius Dei gloriam intendebant nihil non mali propterea perpessi, et qui missionem suam mira-

cilis confirmabant) fuisse procusa vel ab Ethnicis, quibus curæ plane non fuit, unius Nazaræi suorum Deorum hostis gloriam aut Religionem promovere: vel a Christianis, quos, ut Judæos lucrifacerent, palam fingere oportuisset oracula, quorum falsitas publica statim notorietate constitisset: vel a Judæis, qui Christo erant capitaliter infensi, et venientem in propria non receperunt? ROUSSEAU autem plane pyrrhonicus est, quod nisi ex ore Prophetarum aut ipsius Christi vaticinia ipse audiverit, de iis dubitat, tametsi libris sint consignata, de quibus indubie constat, quod longo tempore ante eventum prophetiarum extiterint: qui nisi eventum suis ipse oculis conspiciat, illidem dubitat, quamvis certissima historiæ monumenta illum velut oculis exhibeant: qui tametsi res prænuntiata a sola Dei voluntate pendeat, ab homine autem non nisi theopneusto prævideri ac prædici unquam potuerit, adhuc dubitat, ne casus aut naturalis causa prædictionem impleverit.

Esto, quod possit eventus sic consequi; non tamen naturalibus etiam indicibus ita prædici potest, cum hæc sit notio prophetiæ proprie ac stricte sumptæ: certa cognitio et prædictio rei libere et contingenter futuræ, quæ nulla arte humana, nullis naturalibus indicibus prævideri potest. Deut. XIII. sermo non est de eventu veræ prophetiæ proprio, quem Deus Deut. XVIII. ceu regulam certam veritatis assignat; sed de eventu qualicumque naturali sagacitate prævidendo, et de prophetia improprie dicta, qua Deus dici potest tentare homines, uti ibidem: *tentat vos Dominus*, nempe permittendo dæmonem vel hominem nativa uti industria ad explorandam hominum fidelitatem. Jussit ergo Deus hoc in casu eventum ejusmodi non curare, cum ex prava doctrina talis prophetæ ad idololatriam inducente pateat, veram hic divinamque prophetiam esse non posse.

Obj. III. Poterant Apostoli fuisse vel decepti vel deceptores; ergo illorum auctoritas non præstat indubitam fidem de Christi resurrectione; præsertim cum Christus ipse eam fecerit suspectam, suam promittens resurrectionem post tres dies, quæ tamen ante tertiam diem jam contigit; cum Evangelistæ in describenda resurrectionis historia a se invicem dissideant; cum Christus post resurrectionem suam solis discipulis et quibusdam feminis phantasiæ ludibriis admodum obnoxii apparuerit; cum et custodia militum testata sit oppositum, videlicet noctu venisse et furatos esse corpus Christi, militibus somno oppressis.

Resp. Apostolos nec decipi nec decipere aut potuisse aut voluisse, docet Thema I. Sit vero etiam figmentum aliquod resurrectio Christi, in quod conspiraverint Apostoli duodecim; sed cum admodum proclive sit cor hominum ad levitatem ac mutationem, flexile ad minas et promissa, atque inhians bonis; vel uno illorum aut illecto hisce illecebris, aut conterrita a vinculis, tormentis ac morte, perditum erant omnes. Poterat quidem Christus, quoad cum iis conversatus, eos hac in arte sustentare; si vero postea nunquam iis apparuisset, quid demum stimulasset ad id facinus tot inter discrimina prosequendum? Christus resurrectionem suam prædixit ad morem Judæorum, qui, quod intra tres dies geritur, tertia die agi dicunt et compleri: sic intellexerunt Pharisei, qui custodiri volebant sepulchrum usque in diem tertium: sic disertiores Græci particulam *μετὰ* sepe pro *ἐν* et *εἰς*, et Evangelistæ hebraizantes *μετὰ* pro *be* usurpant hic, uti alias sæpius.

Discordia Evangelistarum nonnisi apparens est, et contra Theistas probat, quod non ex condito sua concinnaverint Evangelia, facillime alioqui evitatis quibusvis levioribus discrepantiis. Testes vero mulieres etiam Deo adhibere placuit; quid obluctaris, incredule? Illusiones mulierum prætexis, quas tu quidem somnias, at vel pia et attenta lectio Evangeliorum circa rei hujus seriem omnino dissipat. Apostolis suis apparuit redivivus; sed illa ipsa in credendo difficultas, quæ soli evidentiæ tandem cesserit, mirifice illustrat veritatem resurrectionis. Demum quam misere circa milites et discipulos hallucinantur Theistæ? illi dormierint, et simul viderint, ut testes esse possint? hi in captivitate Christi omnes profugi, et post mortem Christi præ timore cubiculo abditi, nihilominus in sepultura Christi milites armata manu fugaverint contra Præsidis imperium, contra militum reluctantiam, et contra Judæorum conatus omnes fregerint sigillum, lapidem prægrandem in silentio revolverint, corpus Christi sustulerint; quin ulla cuniculorum indicia extiterint, quin procul deinde fugerint, ut potius Hierosolymam sint ingressi? Apage nœnias; et ut cum S. AUGUSTINO loquar: « cœlum tonat, taceant ranæ »!

Est jam medium fere seculum, quo a DITTON (ut testis est PARUZZIUS) ad singulare certamen provocati sunt Theistæ quoad unicum divinæ Revelationis de Christi Resurrectione argumentum oppido invictissimum; et in hunc diem ausus est nemo cum tanto pugile hac in arena congredi et confingere: quanta diffidentia causæ, scilicet impiæ?

Obj. IV. Christus palam mortuus palam debuit resurgere, et coram Judæis ad cœlum ascendere, ut juxta scopum suæ Resurrectioni et Ascensioni præfixum suam Religionem firmaret validius, cunctis statim ab initio ceu indubiam persuaderet efficacius, Judæis etiam et Sacerdotibus se videndum præbens, veritatem ac divinitatem suæ doctrinæ invicte probaret.

Resp. Judæi ista objiciunt? quam imperite! numquid multa credunt in fidem unius etiam testis, uti raptum Eliæ ob testimonium unius Elisæi. Theistæ hæc oggerunt? quam inscite! Quid enim si opponat Atheus: si Deus existeret, is deberet suam existentiam tam aperte et tam universe manifestare, ut eam nemo mortalium posset in dubium vocare? Nimirum ut Deus Religionem naturalem adstrueret, satis erat, illam validis quibusdam rationibus firmare, relictis licet nonnullis difficultatibus, queis Athei et gentiles quondam abusi sunt. Ut Christianam adstrueret, satis non est, eam argumentis stabilire, quæ omne prudens dubium excludant, et quibus jam cesserit tota antiquitas Sapientiorum? Christi resurrectionem decantant feminae, prædicant Apostoli, eloquuntur milites sepulchri custodes, resciant Principes Sacerdotum a militibus (quorum vero silentium aut mendacium pecunia emerunt) plures quingentis eandem asserunt, et quod asserunt, innumeris ac splendidis miraculis orbi persuadent; occur soli propemodum Judæi et horum æmuli Theistæ refragantur? quippe animo fixum est non credere, sicut nec miraculis Christi quamvis palam editis, ita nec ipsi Christo resurgenti.

Sane qui spiritum blasphemie in Judæa gente novit penitius, is facile percipiet eorum ludibria Christo Judæis apparenti impingenda: quis scit, num vere mortuus fuerit? num implicat reipsa vixisse Christum, ubi de cruce

fuit depositus? nonne Pilatus mirabatur, si jam obiisset in cruce? quam facile erat, eum opera Nicodemi et unguentis feminarum velut a deliquo redire ad seipsum? quin et splendor corporis et nubes lucida, quæ suscepit Christum ascendentem, eorum cavillis patuissent: quippe negassent, Christum vere ascendisse, sed spiritum nescio quem Christi forma indutum, verius spectrum aliquod aut merum phantasma. Imo sexcenta alia quamvis miserrima effugia excogitassent potius, quam fassi unquam fuissent, Christum a mortuis vere resurrexisse. Expulit Christus dæmonia; inferendum erat; ergo Christus est contra dæmonem; sed inferebant, quod Christus sit cum dæmone. Curavit Christus infirmos et quidem virtute miraculorum et quidem in Sabbato; concludere oportebat; hic ergo homo vere ex Deo est, qui vel in Sabbato facit opera Dei; sed concludebant, eum non esse ex Deo, qui etiam in Sabbato ab ægrorum curatione, hoc est, a miraculis se non abstinet. Inde vero quid pronum magis, quam credere, perfidos id genus homines, ubi Christus a mortuis redivivus ipsis apparuisset, minime confesuros fuisse: vivit Christus, ergo resurrexit a mortuis; sed ejus oppositum: vivit, ergo mortuus non fuit. Hujus perfidiæ exemplum edidit in die Pentecostes, quo virtutem Spiritus sancti ceu ebrietatem deridebant. Mirabantur, obstupescabant, et Jesu divinitas sole clarius illucescebat; verum ad ipsam hanc lucem oculos claudebant, ut possent cavillari, quod ebrii sint Apostoli et musto pleni.

Vide CL. DITTON, *la Religion Chrétienne démontrée par la Résurrection de N. S. J. C.* Item P. ANTON. VALSECCHI O. P. *Dei Fondamenti della Religione, e dei Fonti dell' Empietà*, Paduæ 1767.

Obj. V. Christi Vaticinium de excidio Jerosolymæ tam erat obscurum, ut illud Apostoli nec intelligerent, nec crederent. Evenit autem eversio Reipublicæ Judaicæ per Titum alio longe modo, et aliis plane de causis, quam Christus prædixerat, et Christiani enarrant. Demum quis vidit, ea omnia sic contigisse in Templo et Urbe, prout hodie dum a Christicolis venditantur?

Resp. Quis scit? quis vidit? hæc tota impiorum armatura est, qua Christi, Apostolorum, Evangelistarum, Sanctorum Patrum, testium in vita et in morte fortissimorum, omnium Scriptorum, Christianorum, Judæorum et Paganorum probatissimam fidem et summam auctoritatem subruere conantur; sed ausu quam ridiculo, tam infausto. Nonne Christus apertis ea verbis edocuit sæpissime: 1º. ubi de NUPTIIS, quas suo Rex filio (Pater æternus suo Unigenito et Ecclesiæ ejus sponsæ) adornaverat, sic elocutus est: misit Rex servos suos (Joannem et ejus discipulos) ut ad Regis nuptias, ad gratiam et gloriam Jesu Christi Judæos invitarent, qui autem venire renuerunt: misit iterato alios servos, quippe Apostolos; neque hos audierunt, sed opprobriis, suppliciis et morte affecerunt eos: inde Rex iratus misit exercitus suos, famem et pestilentiam, et occidit illos latrones, civitatem autem eorum, Jerosolymam per Romanos succendit igni. 2º. Ubi sub VINÆ parabola idem prædixit Christus: Paterfamilias, ait, plantavit vineam (Deus Synagogam) huic sepem circumdedit, intellige Dei præsidium et custodiam Angelorum; fodit torcular in ea, hoc est, Legem tulit, quæ ex Judæis virtutes exprimeret; ædificavit turrin, Templum scilicet et in eo cultum Dei maxime sublimem; locavit eam agricolis (summis Sacerdotibus, Regibus, Scribis et

Magistratibus) ipse peregre profectus: cum vero tempus vindemiæ appropinquaret, misit servos suos Prophetas, ut fructus vineæ colligerent; sed agricolæ sive Judæi alios ejus servos cædebant, uti Hananum, Michæam et Jeremiam; alios lapidabant, uti Zachariam filium Barachia; alios occidebant, uti Isaiam, Ezechielem et Amos: iterum misit alios servos, alios quippe et plures Prophetas, et similiter iis faciebant, uti recenti exemplo est Joannes Baptista. Filium ergo, quem habebat unicum, novissime misit; et apprehensum eum ejecerunt extra vineam et occiderunt: ideo dico vobis, ait Christus ad Judæos, quia auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus, hoc est, non eritis vos deinceps Ecclesia, et gens Dei, indeque auferentur a vobis omnia etiam bona, quæ sunt populi Dei.

Ne vero quemquam aut ætate aut ingenio minorem ea veritas lateret, eandem sine parabolis et apertissime et frequentissime proposuit Christus: implete, inquit, vos nunc viventes Judæi, mensuram patrum vestrorum, qui Prophetas occiderunt; ecce enim ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes et Legis Doctores, viros plenos Spiritu sancto (meos discipulos et Apostolos) sed ex his alios occidetis et crucifigetis, alios in Synagogis vestris flagellabitis, ut veniat super vos omnis sanguis justus ab Abel usque ad Zachariam; amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam; Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: O si cognovisses et tu (Jerusalem) diem visitationis tuæ (ita inter lacrymas Jesus) et quidem in die tua, qua vides, sed non agnoscis Redemptorem tuum, tametsi omnibus Messia characteribus insignitum! Ecce propter hanc cæcilitatem tuam et obstinationem venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui, Romani, vallo, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem. Demum etiam recenset mala, famem, pestem, terræ motus, seditiones, bella, iram et furorem hostium, ac Jerosolymæ per gentes conculcationem acerbissimam, turpissimam, luctuosissimam.

Quid ad ista increduli? hucusque non nisi opprobriis et sannis, argutiis et fallaciis Christi fidem invasere, atque ideo identidem egregie vapularunt. Do consilium, ut posthac feliciori Marte decertent: desistant profundere libros et schediasmata, utpote nullius in hanc horam frugis aut victoriæ pro Theismo; et omnes eo intendant nervos, ut illam Christi prædictionem de Judæis (qua revelatum, Hebræos nunquam ad finem usque mundi fore in populum et veram gentem, ac nunquam reædificandum esse eorum Templum; in qua vero Revelatione plurimum confidit ac vere triumphat Christi Ecclesia digito ostendens, quot Judæos ubique dispersos, tot veritatis Christianæ testes nunquam defuturos) penitus subvertant: Judaicam resuscitent Rempublicam, victimas, altare et sacerdotium Aaronicum restituant, faciantque Templum illud Judæorum reædificari Jerosolymæ. Et possibile reddent Theistæ, quod ceu impossibile tenet ac tradit Ecclesia; imo quod Christus ceu veritatem prædicavit, falsissimum efficient; sicque Christum, Evangelium et Ecclesiam ceu erroris et mendacii reos constituent, ac prorsus evertent. Dedi consilium, cujus executionem incredulis relinquo.

Vide MATTH. C. XXI. 33-41. MARC. XII. LUC. XX. MATTH. XXIII. 35. LUC.

XIX. 41. MATTH. XXIV. 6. LUC. XXI. 9. Atque de his omnibus quam copiose, tam crudite ac nervose disserit P. MAURUS LINDEMAYER in egregio Opere: *Die grossen Merkmale der Gottheit Jesu, Augsburg 1767.* pag. 380-467.

Obj. VI. Oracula prophetica designant Ecclesiam ejusmodi, quæ dominetur a mari ad mare, inter omnes gentes, et ad mundi finem usque: hæc vero elogia minime quadrant in Christianam Religionem, quæ pene nullos in Sina, in Persia, in America progressus fecit; aut si Evangelium Christi jam ubivis prædicatum est, juxta aliam prophetiam advenit consummatio seculi et finis mundi, MATTH. XXIV. 14.

RESP. Si nossent increduli phrasin sacræ Scripturæ, et genium idiomatis orientalis indefinite exprimentis, quod definite vult intelligi; nossent utique, quod prophetiæ de Religionis Christianæ amplitudine non ad rigorem mathematicum, sed in sensu morali sint accipiendæ. Quid tritum magis, quam veterem Romam mundi dominatricem audivisse, ut adeo Liber I. MACHABEORUM edicat, *Romanos omnem locum possedisse consilio suo et patientia*, quamvis nunquam toti mundo dominata sit Roma? Numquid a DANIELE II. 39. Alexander dicitur imperaturus universæ terræ, licet mediam ad summum partem Asiæ subjecerit, et in Europa atque Africa longe minores provincias occupaverit? Quin et Prophetæ suorum verborum interpretes sensu minus generali sunt elocuti: *Ibunt populi multi et dicent, venite et ascendamus ad montem Domini*, ISAIAS II. 3. Ac præterea unde sciunt increduli, gentes hucusque necdum credentes in Christum nec deinceps credituras esse?

Demum verba Christi apud MATTHÆUM eum sensum non habent, quod, ut primum facta fuerit universis gentibus Evangelii annuntiatio, confestim sequatur finis mundi: sed eum, quod Legi Evangelicæ ad finem mundi persilituræ non sit alia Lex surroganda; nec prius futura sit consummatio seculi, quam facta sit prædicatio Evangelii in universo orbe.

§ III. COROLLARIA.

Quod NATHANAELI dixit PHILIPPUS, quivis sibi incredulus dictum habeat: *quem scripsit Moses in Lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth*: (Joann. 1. 5.) Veni igitur, incredule, et vide, num exstet alius quis, cui tot seculorum divina eloquia et oracula exactius convenient, quam Jesu Nazareno? veni et vide in libris, ab ævo Mosis usque ad tempus Machabeorum Deo aspirante exaratis, Jesum Christum, ejus mysteria, vitam et mortem in figuris, typis et titulis copiosissime, luculentissime, magnificentissime præsignatum ac prædicatum! Si vel unicus Propheta mortem Christi et passionem, et securam Judæorum abjectionem, gentium vero conversionem tam dilucide prædixisset; nonne id summum esset prodigium, fide in Jesum Christum prorsus dignissimum? cum vero per tredecim fere secula a diversissimis Prophetis, locis et temporibus diversissimis, ea omnia fuerint prænuntiata; quid hæsitas, Hebræe, venire, videre, credere et diligere Jesum Christum, verum Messiam? et quid audes, sacrilege Theista! ad quem venisti, quem vidisti, et in quem credidisti, majori nunc perfidia respuere auctorem et consummatorem fidei? Aspernaris veritatem, fidem, certitudinem et glo-

riam Resurrectionis, quam ceu fundamentum nostræ Religionis ascensus Christi, descensus Spiritus sancti, mira per universum fidei Christianæ propagatio, et eventa post mortem Christi omnia demonstrarunt? Vates tibi sum : excidio Jerosolymæ et Judæorum exterminio involvendus es, et supremus vindex suæ Religionis ridebit in interitu sui derisoris.

De Hebd. DANIELIS et prophetia JACOBI, vide HUETIUM in *Demonst. Evangel.* prop. IX. c. 8. LAMY in *Apparatu Chronolog.* P. II. c. 3. Item, *Preuves de la Religion*, P. III. art 2. P. FRANC. WIDDENHOFER S. J. P. I. Tom. II. de sacra Scriptura. P. THOM. HOLZKLAC S. J. *Instit. Theolog. de Deo Incarn.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
 SECTIO V.
 RELIGIO CHRISTIANA MIRIFICE PER UNIVERSUM PROPAGATA
 ET CONSERVATA.

§ I. PRÆCOGNITA.

I. Si Theista (quod nemini sensato, nec sibi persuadere) Prophetiarum ac Miraculorum omnium fidem impudentissime abneget; huic belle Augustinus : « Tametsi nec Prophetæ oraculis, nec miraculis Apostoli Christianæ Religionis veritatem demonstrassent; hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis crediderit »; hoc est, quod respicerit orbis sive ab idolorum cultu, sive a legalium observantia, nec respicerit credendo solum, sed novum vitæ genus cœperit in lacrymis, in humilitate, in pœnitentia, in castitate, in constanti simul et placida injuriarum, cruciatuum ac mortis etiam perpessione. Si Judæi abhorreant a Christiana Religione, eo quod Christiani (prout in suis libris sæpius conquesti sunt) nullos Prophetas, nulla miracula, nullas rerum mirabiles habeant conversiones, tametsi Christum magnum Regem et magnifica de Messia triumphis illa Veteris Testamenti vaticinia prædicent, nullos tamen regii muneris actus recitare possint, quibus ante Christum Judæorum Respublica per tot secula gloriabatur; his longe plura et majora singularis providentiæ Christi erga suam Ecclesiam, quam olim erga Synagogam, argumenta exhibemus, in effusione donorum Spiritus sancti in primos Christianos, in mirabili propagatione Evangelii, in efficacia incredibili doctrinæ Christianæ, in Martyrum constantia, in cessatione Oraculorum, in fati Reipublicæ Judaicæ, in mortibus Cæsarium, qui persecuti sunt Religionem Christianam, in triumphis denique Ecclesiæ contra internos externosque hostes semper incolumis. Quæ sane beneficia Christi illis quondam genti Judaicæ collatis tanto sunt augustiora, quanto præstant terrenis spiritualia, tantoque illustriora, quanto præstant terra Chanaan majus et magnificentius theatrum est Orbis universus.

II. Inter innumera gravissimaque fidei impedimenta stabat, persistebat

et crescebat Christi Religio non sine prodigio omnium maximo. Christum prædicat PETRUS, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Alia vice quinque millia susceperunt baptismum regenerationis. De reliquis testatur LUCAS, quod creverit numerus discipulorum in Jerusalem valde, et multa etiam turba Sacerdotum obederit Evangelio. Magis autem in dies augebatur credentium multitudo virorum ac mulierum, ut statim initio facile quindecim millia conversorum ad Christum Judæorum Baronius recenseat. Quid sancti Apostoli per universum orbem ac præprimis S. PAULUS in plurimis gentibus ad plantandam et amplificandam Christi fidem effecerint, verbis vix exprimi potest. PETRUS Ecclesiam fundavit Antiochenam ad Orientem, et versus Septentrionem Ecclesias Ponti, Cappadociæ, Bithyniæ et Illyrici; versus Meridiem Ægyptum, Arabiam, Æthiopiæ et Africam Christi fide per MARCUM collustravit, cujus lucem ipse in Occidentem intulit.

Roma adeo subdirissima tyrannide NERONIS per quadriennium, DOMITIANI per biennium, et TRAJANI per plures annos redundavit a Christianis. Atque inde ab ævo Apostolico multo magis effloruit Christi Religio altero et tertio seculo æræ Christianæ, frustra ringentibus furiis Trajani, Adriani, M. Aurelii, L. Veri, et Severi, ad usque CONSTANTINUM M., a quo tandem tempore in omnium fere Regum ac Imperatorum coronis Crux Christi, antehac scandalum et stultitia, præ omnibus gemmis resplenduit. Facile igitur demonstrare est, quod ex ista Christianæ fidei propagatione ac conservatione contra Judæos et Incredulos mire eluceat Virtus Dei; maxime si spectentur Doctrina, Doctores, Media et Obstacula Christianæ Religionis.

Vide ACTA APOST. C. II. V. VI. JUSTINI Dialogum cum Tryphone. IRENEI Librum I. c. 3. TERTULLIANI Apologeticum c. 37. OROSIUM L. VII. c. 22. SOZOMENUM L. II. c. 5.

§ II. THEMATA.

I. Doctrina Religionis Christianæ non nisi per Omnipotentis dexteram ita propagari potuit.

PROBATIO. Religio Christiana sive in dogmatibus fidei, sive in præceptis morum e diametro opposita fuit et Paganismo et Judaismo. Attamen quæ Legem Mosaicam, pro qua multoties copiosus Judæorum sanguis profluxerat, convellebat; quæ Deum a Judæis adorandum proponebat hominem ab iisdem Judæis probrosa nece sublatum; quæ totius gentis correxit errores circa Messiam, quem ceu potentissimum Regem et gentium Domitorem illa expectaverat; eam Religionem tam Judæis ingratiam intra paucos annos plura Judæorum millia profitebantur. Attamen Religio, quæ Polytheis unicum Numen, et Idololatris verum unius Dei cultum ita proposuit, ut simul edoceret, sacrilege impendi Dei nomen et honores Jovi, Mercurio, Apollini, Veneri et Dianæ; hos totidem fuisse monstra hominum de utroque sexu, quibus error et superstitio templa et vota nuncupassent; eosdem æternis inferorum ignibus cremari, ubi et eorum adoratoribus sedes præparata sit, nisi præteriti temporis ignorantias et delicta pari ad crimen pœnitentia eluant. Religio, inquam, quæ arrogantibus philosophis summam animi demissionem; hominibus famæ ac divitiis inhiantibus sui abnegationem et

riam Resurrectionis, quam ceu fundamentum nostræ Religionis ascensus Christi, descensus Spiritus sancti, mira per universum fidei Christianæ propagatio, et eventa post mortem Christi omnia demonstrarunt? Vates tibi sum : excidio Jerosolymæ et Judæorum exterminio involvendus es, et supremus vindex suæ Religionis ridebit in interitu sui derisoris.

De Hebd. DANIELIS et prophetia JACOBI, vide HUETIUM in *Demonst. Evangel.* prop. IX. c. 8. LAMY in *Apparatu Chronolog.* P. II. c. 3. Item, *Preuves de la Religion*, P. III. art 2. P. FRANC. WIDDENHOFER S. J. P. I. Tom. II. de sacra Scriptura. P. THOM. HOLZKLAC S. J. *Instit. Theolog. de Deo Incarn.*

ALERE FLAMMAM VERITATIS
 SECTIO V.
 RELIGIO CHRISTIANA MIRIFICE PER UNIVERSUM PROPAGATA
 ET CONSERVATA.

§ I. PŒCOGNITA.

I. Si Theista (quod nemini sensato, nec sibi persuadere) Prophetiarum ac Miraculorum omnium fidem impudentissime abneget; huic belle Augustinus : « Tametsi nec Prophetæ oraculis, nec miraculis Apostoli Christianæ Religionis veritatem demonstrassent; hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis crediderit »; hoc est, quod respicerit orbis sive ab idolorum cultu, sive a legalium observantia, nec respicerit credendo solum, sed novum vitæ genus cœperit in lacrymis, in humilitate, in pœnitentia, in castitate, in constanti simul et placida injuriarum, cruciatuum ac mortis etiam perpessione. Si Judæi abhorreant a Christiana Religione, eo quod Christiani (prout in suis libris sæpius conquesti sunt) nullos Prophetas, nulla miracula, nullas rerum mirabiles habeant conversiones, tametsi Christum magnum Regem et magnifica de Messia triumphis illa Veteris Testamenti vaticinia prædicent, nullos tamen regii muneris actus recitare possint, quibus ante Christum Judæorum Respublica per tot secula gloriabatur; his longe plura et majora singularis providentiæ Christi erga suam Ecclesiam, quam olim erga Synagogam, argumenta exhibemus, in effusione donorum Spiritus sancti in primos Christianos, in mirabili propagatione Evangelii, in efficacia incredibili doctrinæ Christianæ, in Martyrum constantia, in cessatione Oraculorum, in fati Reipublicæ Judaicæ, in mortibus Cæsarium, qui persecuti sunt Religionem Christianam, in triumphis denique Ecclesiæ contra internos externosque hostes semper incolumis. Quæ sane beneficia Christi illis quondam genti Judaicæ collatis tanto sunt augustiora, quanto præstant terrenis spiritualia, tantoque illustriora, quanto præstant terra Chanaan majus et magnificentius theatrum est Orbis universus.

II. Inter innumera gravissimaque fidei impedimenta stabat, persistebat

et crescebat Christi Religio non sine prodigio omnium maximo. Christum prædicat PETRUS, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Alia vice quinque millia susceperunt baptismum regenerationis. De reliquis testatur LUCAS, quod creverit numerus discipulorum in Jerusalem valde, et multa etiam turba Sacerdotum obederit Evangelio. Magis autem in dies augebatur credentium multitudo virorum ac mulierum, ut statim initio facile quindecim millia conversorum ad Christum Judæorum Baronius recenseat. Quid sancti Apostoli per universum orbem ac præprimis S. PAULUS in plurimis gentibus ad plantandam et amplificandam Christi fidem effecerint, verbis vix exprimi potest. PETRUS Ecclesiam fundavit Antiochenam ad Orientem, et versus Septentrionem Ecclesias Ponti, Cappadociæ, Bithyniæ et Illyrici; versus Meridiem Ægyptum, Arabiam, Æthiopiæ et Africam Christi fide per MARCUM collustravit, cujus lucem ipse in Occidentem intulit.

Roma adeo subdirissima tyrannide NERONIS per quadriennium, DOMITIANI per biennium, et TRAJANI per plures annos redundavit a Christianis. Atque inde ab ævo Apostolico multo magis effloruit Christi Religio altero et tertio seculo æræ Christianæ, frustra ringentibus furiis Trajani, Adriani, M. Aurelii, L. Veri, et Severi, ad usque CONSTANTINUM M., a quo tandem tempore in omnium fere Regum ac Imperatorum coronis Crux Christi, antehac scandalum et stultitia, præ omnibus gemmis resplenduit. Facile igitur demonstrare est, quod ex ista Christianæ fidei propagatione ac conservatione contra Judæos et Incredulos mire eluceat Virtus Dei; maxime si spectentur Doctrina, Doctores, Media et Obstacula Christianæ Religionis.

Vide ACTA APOST. C. II. V. VI. JUSTINI Dialogum cum Tryphone. IRENEI Librum I. c. 3. TERTULLIANI Apologeticum c. 37. OROSIUM L. VII. c. 22. SOZOMENUM L. II. c. 5.

§ II. THEMATA.

I. Doctrina Religionis Christianæ non nisi per Omnipotentis dexteram ita propagari potuit.

PROBATIO. Religio Christiana sive in dogmatibus fidei, sive in præceptis morum e diametro opposita fuit et Paganismo et Judaismo. Attamen quæ Legem Mosaicam, pro qua multoties copiosus Judæorum sanguis profluxerat, convellebat; quæ Deum a Judæis adorandum proponebat hominem ab iisdem Judæis probrosa nece sublatum; quæ totius gentis correxit errores circa Messiam, quem ceu potentissimum Regem et gentium Domitorem illa expectaverat; eam Religionem tam Judæis ingrati intra paucos annos plura Judæorum millia profitiebantur. Attamen Religio, quæ Polytheis unicum Numen, et Idololatris verum unius Dei cultum ita proposuit, ut simul edoceret, sacrilege impendi Dei nomen et honores Jovi, Mercurio, Apollini, Veneri et Dianæ; hos totidem fuisse monstra hominum de utroque sexu, quibus error et superstitio templa et vota nuncupassent; eosdem æternis inferorum ignibus cremari, ubi et eorum adoratoribus sedes præparata sit, nisi præteriti temporis ignorantias et delicta pari ad crimen pœnitentia eluant. Religio, inquam, quæ arrogantibus philosophis summam animi demissionem; hominibus famæ ac divitiis inhiantibus sui abnegationem et

terrenorum contemptum; pudicitiam, quæ vel ad umbram sceleris exhorreat, populis ad libidinem projectis eo magis, quod ad illam suorum Numinum exemplis provocarentur; paupertatem gentibus, quæ divinos auro argentoque honores litabant; remissionem injuriarum atque inimicorum sinceram dilectionem aliud prorsus a Diis suis edoctæ nationi, efferræ, indomitæ et ad quamvis offensam spumanti imperaret; inter omnes tamen gentes profecit plurimum, ut uno minus seculo eam amplexi sint Græci, Romani, Indi, et in his docti etiam ac Sapientes.

Hinc TERTULLIANUS L. contra Judæos ait: « Parthi, Medi, Elamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, et incolentes Pontum, et Asiam, Pamphyliam, Ægyptum et regionem Africæ trans Cyrenem, et Romani, et Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, et Hispanorum omnes termini, et Gallorum diversæ nationes, et Britannorum inaccessibleia Romanis loca, et Sarmatarum, Dacorum, Germanorum, Seytharum examina Christo subdita sunt ». Idem in Apologet. « urbes, inquit, insulas, castella, municipia, castra, tribus, decurias, forum, senatum, palatium ipsum Christiani impleverunt ». Nonne a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

II. *Præcones Doctrinæ Christianæ non nisi divina Virtute Orbem Christo subegerunt.*

PROBATIO. Erant Apostoli et Christi discipuli vere pauci, rudes, abjecti, rerum omnium egeni, et ob judaicam originem omnibus invidi: non opes, non honores, non voluptates corporeas, sed adversa omnia spondebant, et fere nihil præter ignominiam, ærumnas, cruces et mortem, quibus ipsimet omnes subiciebantur: si tamen homines sine opibus, sine armis, sine præsiidiis omnibus humanæ aut potentiæ aut sapientiæ, contra spem omnem imis et summis, doctis et indoctis Religionem Christi ita persuaserunt, ut omni Philosophorum sapientiâ, omni Principum potentia, omni Ethnicorum furore, omni Inferorum rabie nequicquam prævalentibus, Christi fides (Judæis scandalum et gentibus stultitia) pro unice vera agnosceretur, cum vitæ et sanguinis dispendio teneretur, et Idola omnia, quibus per tot secula parentes eorum litaverant, præcipitarentur, illorumque fana destruerentur, ac utrisque conculcatis et prostratis trophæum Crucis ceu solum adoratione dignum substitueretur. Quam igitur verissima est illa AUGUSTINI sententia: « Incredibile est, Christum resurrexisse in carne, et in cælum ascendisse cum carne; incredibile est mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis persuadere potuisse... Jam ergo tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt ». Videlicet ab illo, qui facit mirabilia solus. Veniant ex Japonia aliquot, ut Pagodam suam orbi ceu Deum obtrudant, et nescio quæ prædicent, at sine miraculis; quid demum efficiunt? ubi digitus Dei non est, nequicquam commovetur Orbis terrarum.

Sicut autem ratio auxiliorum non nisi superna esse potuit ad fidem propagandam, cui Judæi pariter et Gentiles omnimode adversabantur; ita ratio quoque impedimentorum et persecutionum divinam arguit virtutem, vi

cujus Apostoli, teste AUGUSTINO, « exigui numero per mundum disseminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescent, per afflictionum angustias usque ad terrarum extrema dilatantur »... ita ut Gentiles et Judæi, conspecta Martyrum invicta constantia in dirissimis cruciatibus, aspirante Numine ad Christi castra turmatim convolarent. « Cum enim viderent, ait LACTANTIUS, dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices multam tenere patientiam; existimarunt id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare ».

Videantur AUG. L. XXII. de Civ. C. 5. Item Epist. olim ad Volusian. LACTANT. L. V. Instit. C. 43. Cum primis autem gravissima S. CRYSTOSTOMI demonstratio (quod Christus sit Deus).

III. *Stabilitas Religionis Christianæ per tot jam Secula eximium divinæ Providentiæ prodigium est.*

PROBATIO. Nihil homine et rebus humanis inconstantius, utpote quarum ex levissimis causis maximæ fiunt conversiones, et torrentis instar cum temporis fluxu abripiuntur et mutantur humana; cum igitur Religionis Christianæ institutum solum permaneat immotum, divinum esse coelestique vi contineri, necessum est. Millies et amplius imminerebat Religionis nostræ ferale excidium: jamdum in sui ortu incurrebat in odium sapientum, in contemptum populi, in minas, leges, edicta, opprobria et supplicia, tum a feroci Synagoga, tum a gentilium furore intentata: nunc ab externis violente impugnata hostibus, nunc intestinis graviter commota dissidiis: quandoque ignorantia et morum depravatione quasi lue multum tabefaeta in discrimen venerat; ast perstitit inconcussa, semper læcessita, nunquam devicta, ita ut sanguis Martyrum semen esset Christianorum, et ex ipsis vulneribus, quæ variis temporibus Matri intulerunt perduelles filii, Ecclesia semper novas vires sumpserit. Interitura forent Regna, nisi leges Regni cederent necessitati; et nihilominus interierunt Regna illa omnia, quorum dominatus ad annos mille quingentos sese nunquam exporrexerat. Christi Regnum cessit nunquam de rigore suarum legum (cedendo enim se conservare, nihil prodigii habet) et perstitit tamen persistetque inter furias Tyrannorum, contra inferorum portas, usque ad mundi finem. Quodnam esse possit divinæ in Ecclesiam procurationis argumentum luculentius, illustrius, magnificentius?

Inde ne dicat Theista, nimis obscuram esse Ecclesiæ ac Religionis Christianæ veritatem; cum sit omnibus perspicua vel ex eo, quod, corridente quavis alia secta, ipsa in conventu visibili semper visibilis perseveret. Nec claritatem nimiam requirat; cum tametsi non sit una omnium de vera Ecclesia opinio, ea tamen itidem inlarescit ex eo, quod in hunc diem perduret Ecclesia Christi: certum namque est, quod verum perstet semper, non item falsum. Huc quadrat optime gravissima illa oratio GAMALIELIS ad Concilium Judæorum, qui Apostolos Christum prædicantes occidere parabant: Viri Israélite! attendite vobis super his hominibus, quid acturi sitis: quid necessum, per mortem Apostolorum vobis procurare securitatem a

sequacibus Jesu Nazareni? nam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud: nonne ante hos dies extitit THEODAS dicens, se esse aliquem (cui consensus numerus virorum circiter quadringentorum) sed occisus est, et omnes qui credebant ei, dissipati sunt et redacti in nihilum: nonne post hunc extitit JUDAS GALILÆUS, et avertit populum post se, et ipse periit, et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt? Eodem fato corruet seipsa Christianorum secta, si JESUS illius auctor pseudopropheta fuit. Si ex illorum secta turbæ, ac seditiones oriri cœperint, compescentur a milite Romano; si vero optimos ea fructus proferat, vobis ipsa dietabit ratio, quod nonnisi arbor bona det fructus bonos; doctrina igitur illorum bona et a Deo esse debet.

Cum itaque per septemdecim secula effluerit Christi Religio; impossibile est falli nos, si dicamus cum GAMALIELE, quod illa sit opus Dei, siquidem nec longinquitas temporis, nec hominum malignitas, nec Orci furie illud aut potuerunt hactenus aut poterunt deinceps dissolvere: opus Dei, quod non aliis armis, quam fide, charitate, patientia, fortitudine in patiendo pro justitia, et in moriendo pro veritate stabilitum ac propagatum est; in quo uno vel maxime elucet Christi Jesu divinitas et omnipotentia. Quis enim unquam extitit exercitus, cujus in dies magis accise vires, qui tamen ex his ipsis cædibus in dies creverit? cuinam provinciæ ex eo succerevit populus, quod novis in dies depopulationibus affligeretur? quæ tellus inde feracior reddebatur, quod diurnis nocturnisque tempestatibus quateretur ac devastaretur?

Erat GAMALIEL Phariseus ac Legis Doctor, de quo vide ACTUS APOST. V. 34. De THEODA Joseph. Antiquit. L. XX. C. 2. De JUDA GALIL. idem Antiq. L. XVIII. C. 1.

Obj. I. Propagatio Evangelii orta fuit ex causis naturalibus, quarum præcipua erat entusiasmus primorum Christianorum. Quippe ethnicus, cultor Apollinis, certus, quod nulla sit suorum Numinum adversus alios Deos zelyptia, ne cogitavit quidem, susceptis itineribus difficillimis, suæ superstitionis proselytos lucrari. Judæus divina suæ gentis electione superbus, alias etiam nationes templo Jerosolymitano adgregare nequicquam curabat. Solus Christi assecla sui muneris esse rebatur omnes alias Religiones evertere, cujus vix quisquam ausibus obsistere sollicitus erat. En subitæ propagationis causam.

Resp. Alia omnia nos edocent historiæ. Numquid enim apud omnes idolatras certorum Numinum Religio determinata non fuit, ita ut crimen majestatis censeretur, invehere aut colere Deos alienos? numquid apud Athenienses, qui alioqui sat liberales in numero Deorum Deo etiam ignoto aras erigebant, SOCRATES morte mulctatus et PAULUS vehementer exagitatus fuit, eo quod Deos alienos obtrudere conati? Quis nescit, Judæos terra marique proselytos magno studio conquisivisse; et primis Christi adoratoribus a magistratibus, a plebe, ab omnibus contradictum esse inter dirissimas persecutiones? Num credibile, solum Apostolorum entusiasmum tot tantæ naturæ, libertatis, superstitionis ac tyrannidis obstacula perrumpere potuisse, ut imis et summis, potentissimis et sapientissimis gentilium inimicam naturæ, odiosam libertati, superstitioni ac tyrannidi exitiosam Reli-

gionem tam repente, tam ubivis persuaderent; quæ etiam Religio auctorem habeat infami crucis supplicio affectum, et præcones nonnisi viros simplices, illiteratos, nullo splendore natalium spectabiles, opibus et præsidiis omnibus humanis destitutos, atque pro nova, inaudita, factu ac creditu perquam difficili doctrina, nonnisi adversa Christi sequacibus pollicitos?

Obj. II. Nihil in hoc arduum, insolens aut stupendum, quod exterminari cœperint Paganismus et Judaismus eo tempore, quo ille refertus stultitiis ac spurcitiis suamet tandem absurditate opprimebatur; hic vero tot et tam fœdis abusibus scatebat; uterque importabili legum et traditionum jugo a Sacerdotibus in dies aucto sui fastidium et gentibus et Judæis ingerebat?

Resp. Ecce autem non prius uterque corruit, quam Christi fides annuntiaretur? Uti per tot jam secula incannerat idololatria, sic tanto etiam tempore non defuerunt sapientes, qui idololatriæ vesaniam perspicerent. Judæis autem qua ratione sua Religio videretur stulta et inutilis, quam sibi a Deo traditam prædicabant? qua ratione onus legum refugerent, quod ipsimet continuo aggravabant; et tametsi jam Christiani facti, suæ etiamnum Legis antiquæ observantiam optabant jungere Legi Christianæ? Nec constat gentiles unquam adversus sacrificulorum aut avaritiam aut sævitiam fuisse conquestos. Et vero, si suam utriusque Religionem pertæsi; ecurr Christianam tam cito et tam constanter amplecterentur, quæ Judæis et Gentilibus tam circa corporis et sensuum commoda externa, quam circa internos affectus et cordis puritatem quædam graviora præciperet ac prohiberet, quam erant Judæis sua lex, et sui ritus ac sacrificia Ethnicis; quibus cæteroquin persuasum, vivere licitum, prout libet? Demum nonne etiam Religio Christiana accusatur a Theistis ceu rea contradictionis, inutilitatis, imprudentiæ? magis ergo pronum utrisque fuisset, vel omnem prorsus Religionem abjicere, vel solam naturalem eligere, vel novam sibi effingere.

Obj. III. Doctrina moralis Christianorum, sanctior et suavior, causa fuit Christianismi tam subito propagati. Nimirum ingemiscens tum sub gravissima Imperantium tyrannide Romanum Imperium conquisivit lenimen et solatium, uti in Stoicorum, ita in Christianorum morali doctrina illi simillima.

Resp. Imprimis quantum inter se discrepant inevitabile fatum cæcæque necessitas, et ineffabilis Dei providentia, quæ ex iis etiam, quæ nobis videntur mala, nostrum bonum elicit: tantum chaos intercedit inter Stoicorum et Christianorum doctrinam moralem. Deinde non omnes tum Imperatores fuere aut Caligulæ aut Neronis; sed et Claudii, Titi ac Vespasiani ab illorum barbarie multum dissidentes. Demum quæ calamitas publica potuit adigere Judæos et Gentiles, ut præcise ad Christianismum confugerent afflicti? Nonne Judæis ad lenimen præsto erant Psalmidia Davidis, divinarumque promissionum ingens copia, unde levamen populi electi tempore opportuno adfuturum liquido haurirent? nonne Ethnicis, prout sapientissimi eorum dudum fecerant, in suis virtutibus acquiescere, et per apathiam stoicam adversis omnibus insultare pronum erat? Ecce Christiani fiant, queis Christus et Apostoli non pacem, sed gladium et acerrima quævis prædixerant? ecquid mala malis accumulent, et præter jugum tyrannicum etiam odia amicorum,

sannas et opprobria a Christi hostibus accersant? cequid suavi jugo Christi non contenti in occulto, palam cum discrimine vitæ nomen et fidem Christi profiteantur?

Obj. IV. Singularem erga pauperes liberalitatem affectabant primi Christiani, virtutem, quæ ipsius adeo Juliani Imperatoris zelotypiam cieret. Inde factum, ut pauperes et plebei ad Christi sacra festim abriperentur; reipsa vero exiguus semper numerus erat Christianorum in primis seculis.

Resp. Erat quidem mirifica in Apostolis et primis Christianis beneficentia, sed nulla prodigalitas: qua enim moderatione collectas distribuerent, exhibent Actus Apostolorum (VI. 1. et 1. Timoth. V. 3.). Quod otiosos abjectosque homines suis eleemosynis minime foverent, docet Epistola 2^a. ad Thessal. III. 6-12. Quod demum Jerosolymæ tantum esset gazophylacium, pro ingenti copia Judæorum, qui ad Christum conversi vel inibi habitabant, vel illuc ad festa convolabant; et quod nonnisi pro pauperibus collectæ fierent, testantur itidem Acta Apost. XI. 28; et 1^a. Pauli epistola ad Corinthios XVI. 1. Porro hæc liberalitas si permovit pauperes, non item divites magis exin absterrendos, quod, ubi Christum profiterentur, ipsis incumberet, suas pecunias in tot pauperes Christianos profunderet. Et quid demum contra Judæos pro sua Religione tantopere zelosos valeat tantillum eleemosynæ, pro qua ingens ac præsens quotidie periculum ac persecutio subeunda forent.

Illud vero JULIANI de ignobilitate primorum Christianorum, quam sit putidum, testes sunt doctissimi quondam Philosophi, S. Justinus, Clemens Alex., Origenes, Tertullianus, Arnobius, Pantænus et alii, de quibus Eusebius Libro II. « Viros insignes litteris et pietate numerari non posse »: testes sunt Actus Apost. XIII. 7-12. De Proconsule SERGIO PAULO, XVII. 34. De DIONYSIO inter Areopagitas sapientissimo ac nobilissimo ad Philipp. IV. 22. De JOSEPHO et NICODEMO spectatissimis inter Judæos Consulibus, ac de iis, qui de domo Cæsaris sunt, aliisque videatur Lamy de Erudit. Apost. c. 5. Demum Davidis CLARKONI nœniam de paucitate primorum fidelium dudum explosit inter alios P. ANSALDI O. P. ex antiquissimis Scriptoribus Ecclesiasticis.

Nimirum secundum LUCAM Act. II. 5. *erant autem in Jerusalem habitantes Judæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est*, S. CLEMENS Rom. scribit de Petro et Paulo, « his viris, qui divinam vitam duxerunt, aggregata est magna multitudo electorum »: quam epistolam sub persecutione Domitiani scriptam fuisse, tuctur MAMACHUS L. II. Orig. et Antiq. Christian. CLEMENS ALEX. Strom. L. VI. scripsit: « nostram autem doctrinam a prima usque prædicatione prohibent Reges et Tyranni, nos pro viribus excindere conantes; illa autem magis etiam floret ». SEPTIMIUS ex Tertulliani Libro cont. Judæos c. 7 ait: « in quibus locis (pluribus Regnis) Christi nomen, qui jam venit, regnat ». Quæ voces *floret, regnat*, maximum sane numerum innuunt. TERTULL. Apolog. c. 2. et 17. « tanta, inquit, hominum multitudo, pars pene major civitatis ejusque ». Cuiam vero potior habenda fides, an BASNAGIO, qui suis in Annalibus L. I. c. 6. scribere ausus est, vel in tertio seculo vixdum decimam partem fuisse Christianam in Civitatibus Romani Imperii? an TERTULLIANO, qui de sui ævi factis testatur; præsertim si addas testimonia ORIGENIS L. IV. c. 5. cont. Celsum: « in omni orbe

terrarum, in omni Græcia atque universis cæteris nationibus innumeri et immensi sunt, qui relictis patriis legibus, et his, quos putabant Deos, se disciplinæ Christi tradiderunt ». Ipsorum gentilium; TACITI XV. c. 44. « Eorum (Christianorum) multitudo ingens convicta est »: PLINI ad Trajanum: « neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est »: JULIANI APOST. in Satyra cont. Antioch. « etenim populi magna pars, imo totus populus, qui impictatis sectam sequitur, mihi succenset, quod me videt Patrum Religionem amplecti ». CELSUS, PORPHYRIUS, MACROBIUS et APULEIUS observant, quod primis jam seculis infamis idololatriæ aspectus ad lucem Evangelii ita inhorruerit ex tot confictis et flagitiosis Numinibus (cum nonnisi unum et optimum et maximum colerent Christiani) ut ad cooperienda hæc probra dicerent Ethnici, evulgatas de Diis suis fabulas esse meras allegorias. Quo tamen non obstante, magis in dies inhorrescens idololatria ad loca deserta et viles pagos exulare debuit, unde pagani dicti sunt idololatrae.

Obj. V. Fides Christiana sui propagationem cum primis debet Martyribus; inde vero ejus divinitatem evincere, vanum ex eo, quod extiterint pro humanis quoque opinionibus, pro erroribus et sectis falsis, qui sanguinem vitamque prodigerent; itaque sicut hos, ita illos nonnisi enthusiamus Martyres fecit.

Resp. Habeant error, hæresis et superstitio suos pseudo-martyres: quis prudens inferat, ergo nec pro veritate Christiana ulli sunt veri Martyres? Fuisse falsos testes in referendis factis historicis, nemo negat: sed nemo affirmat, omnes omnino Historiographos sublestæ fidei esse. Conferantur illi Martyres falsitatis cum his veritatis Christianæ Martyribus; atque illinc motiva mere humana et naturalia, præjudicia, ignorantia, superbia, pervicacia et obstinatio; hinc vero doctrinæ sublimitas, eximia vitæ sanctitas, præcellens Religionis zelus, quanta animi dimissio, tanta fortitudo, omnigenæ virtutis et gratiæ supernæ affluentia emicabunt. Nam

1^o. Horum sanguis ab omni genere, sexu et ætate hominum copiosissime fusus pro veritatibus, tum quæ naturæ imperviæ a Deo libere erant revelatæ, uti spes salutis æternæ per vivam fidem in Christum; tum quæ futura manifestarent uti resurrectionem mortuorum, nonnisi ex verbo Dei scripto aut tradito addiscenda, cum sola ratio ea neutiquam assequatur.

2^o. Plerique Martyrum non erant a teneris Christiani, sed vel Judæi vel Gentiles; proin vel obterenda erat Religio altis radicibus fixa et quondam divina, vel evellenda inveterata opinio de pluralitate Deorum; et pro doctrina uti mysteriis incomprehensibilis plenissima, sic naturæ ac propensionibus hominum inimica, et duntaxat a morum severitate, a perpressionibus, a cruce, ab opum, honorum ac voluptatum contemptu spectabili mors obeunda; et obita quidem in tanta luce cognitionis, sapientiæ, patientiæ ac fortitudinis præcellentia, ut suis persecutoribus injustitias quidem eorum exprobrarent, sed condonarent ignominias, pro iis Deum exorarent, et quosvis alios ad eandem fidem et in fide constantiam, uti SS. STEPHANUS et PAULUS, excitarent.

3^o. Martyres Christi ad exemplum et præceptum Christi longissime aberant a protervia et insania pseudo-martyrum: non enim se ultro ac importune ingerebant in odia et persecutiones, clam et noctu ad orationem et fractio-

nem panis congregati, interdiu cum Judæis (quantum per Christi fidem licuit) in Synagoga et in Templo conversati, nunquam magistratibus oblectati, nisi dum abneganda fides esset. In mortis pericula improvide ac stolide se non immittebant, sed vel fuga vel sapiente apologia periculo se extricare conabantur, MATTH. X. 23. Ubi vero pati ac mori necessum erat, non illa Stoicorum apathia superbiebant, sed mortis horröre aliquantum percussi (uti Paulus 2. Corinth. V. 2.) quamvis inter Apostolos omnium maxime imperterritus, ad orationem, ad solatia Evangelica conversi exultabant præ gaudio, quod digni habiti sint, pro nomine Jesu contumeliam, cruciatus et mortem pati.

Veros ergo Martyres habet sola vera Christi Ecclesia, extra quam, teste CYPRIANO, martyrium non tam fidei corona, quam poena perfidiæ est: «ardeant (inquit de unitate Ecclesiæ) licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant; non erit ille religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus; occidi talis potest, coronari non potest». Videlicet Martyrem non facit supplicium et genus mortis toleratæ, sed causa, status et religio patientis. Et quis ausit, tam nobilem Martyrum gloriam in tam universali et tam invieta patiendi moriendique constantia entusiasmi ignominia obfuscare? Sane non nisi Theistæ et Naturalistæ, Enthusiastarum duces imprudentissimi ac impudentissimi.

Obj. VI. Injuria fit sane maxima Imperatoribus ethnicis, præsertim DIOCLETIANO, quod a male credula simplicitate summi Principes arguantur atrocissimæ tyrannidis in Christianos; cum horum neminem solius fidei causa morte unquam affecerint. Quis enim nescit TRAJANUM, M. AURELIUM et ANTONINOS fuisse Cæsares mitissimos æque ac sapientissimos fortissimosque spiritus, qui ab effusione humani sanguinis quam maxime abhorrent? Nulli ergo ullo tempore fuerunt veri Martyres pro Christi fide.

Ita VOLTAIRE, *Histoire générale*. c. V.

RESP. Quanta hominis temeritas et audacia adversus probatissima testimonia gentilium adeo scriptorum, Ælii Spartiani, Julii Capitolini, Ælii Lampridii, Trebellii Pollionis, Flavii Vopisci, Dionis Cassii, Suetonii, Sulpitii Severi, Pauli Orosii et Taciti, qui indignissimas sub NERONIS imperio Christianorum persecutiones, supplicia et cædes scriptis consignerunt: contra celebratissimas S. Justinii, Tatiani et Athenagoræ apologias, quas Imperatoribus tradidere, ut a cædibus Christianorum fidei dumtaxat causa imperatis eos cohiberent: contra ATHANASII, LACTANTIÏ et EUSEBII irrefragabile testimonium, qui testes de visu teterrimam DIOCLETIANI tyrannidem per Asiam et Ægyptum in Christianos exercitam vivide enarrant: contra acta martyrum consensu omnium seculorum firmissima, sed quæ inter veterum Monachorum deliria abiecit VOLTAIRE: contra auctoritatem SS. Patrum, scriptorum Ecclesiasticorum, et præprimis Baronii, Pagii, Ruinartii, Bossueti, Fleurii ac Tillemontii, quos omnes ceu simplices malæ simul credulitatis arguit. Et quo demum fundamento nititur unius contra omnes tam pervicax sententia? nullo. Legit VOLTAIRE in suo DODWELLO, quod paucissimi quondam Martyres extiterint; inde ferocior VOLTAIRE asseverat, nullos plane Martyres Christi unquam extitisse. Nimirum ut magis nova et insolita præ

DODWELLO luci publicæ obruderet, non puduit præ DODWELLO magis esse impudentem.

Severus, Severianus, Carpophorus et Victorinus; omnes statuarii ideo solum a DIOCLETIANO trucidati, quod ad Christum conversi et nollent idola porro adorare, quæ novcrant esse opera manuum suarum, et nollent posthac sua arte elaborare idola. Quippe omnes prope statuarii jam Christiani nullis cruciatibus adigi poterant, ut Lares, Penates aliave Deastrorum simulacra Ethnicis effingerent. De his vide TERTULL. de Idolol. c. 6. et 7. Demum hæc VOLTAIRI nœnias egregie depexuit P. LINDEMAYER in Libro cit. pag. 375-670; nec non Cl. NONNOTTE in Libro: *Les Erreurs de Voltaire*.

Nimirum ridiculus ex toto scepticus est VOLTAIRE, cujus principale dogma: dubitandum esse de omnibus; et axioma præcipuum: quis scit, num verum sit? pari ergo, quin potiori jure dicam de VOLTAIRI historia universali: quis scit, num verum sit, quod scribit; cum sit de omnibus dubitandum? Succenset VOLTAIRE nostro de suis scriptis scepticismo? et nos magis ipsius Pyrrhonismo, quo universalissimum, constantissimum, probatissimum tot gravissimorum testium de visu, et Scriptorum omni exceptione majorum de SS. Martyribus testimonium arrodit, sicque omnem et fidem et auctoritatem humanam adversus semetipsum totiusque humanitatis sensum pessumdat. Idque dum ejus scripta vel ex eo de mala fide, quin de impietate suspecta reddantur, quod, ubi in sua historia universali Sinenses, Indos et Quackeros copiose dilaudat; Socratem, Platonem, Aristidem, Titum, Trajanum, M. Aurelium, Antoninum, Julianum, Mahumetem et Mahumetismum mire deprædicat; de Christo et Christianismo, de primis Christianis, de nostris Apologetis, de sanctis Præsulibus, et de innumeris Martyribus parca memoret, ac vix quidquam laude dignum proferat, imo primæ Christi æræ impingat non nisi vitia, superstitiones, seditiones, crudelitates et abominationes. Quam vero in placitis suis, tam et in suis moribus est exoticus ille Philosophus: semper recta incedit, quantumvis in via occurrant aut plaustrum fœni, aut scrobs, aut collis, aut canis veneficus: semper eundem præfert vultum: semper, ubi suum cœpit dialogum, eum pertexit ad finem, quamvis omnes ejus auditores dudum fuga dilapsi sint ipso solo relicto; idque juxta suam gnomen: quis scit, num verum sit? De his plura in Dissert. X. Sect. III.

§ III. COROLLARIA.

I. Prudentia quidem humana ad abolendum nomen Christianum suggerere Reipublicæ Judaicæ, Principibus et Romanis Imperatoribus nihil efficacius potuit, quam populorum odia excitare contra Christicolas, et hos sine numero ob ipsum nomen christianum atrocissimis addictos suppliciis crudeliter necare. Imo orbis universi conspiratio adversus Christi nomen inita sustulit ipsum auctorem Religionis, sustulit Apostolos, et per tria Ecclesiæ secula anteriora in aperto vitæ discrimine vivere omnes Christiani, quorum infinitus numerus variis et truculentis persecutionibus fuit sublatus, ut adeo SOZOMENUS sub Sapore Persarum Rege 16000 Martyres recenset; 160000 unius provincie Martyres adnumeret RUINARTIUS; S. AUGUSTINUS vel unum diem passionis SS. Martyrum computando, millia hominum invenerit coronatorum; GENEBARDOUS et ARIAS in singulos anni dies 30000 Martyres collocave-

rint. Fefellit tamen spem humanam eventus plane oppositus, et (quod nunquam antea nec postea visum est) sævitia illa in Christianos Christianismo præcipua fuit causa diffusionis ac stabilitatis, attestantibus S. JUSTINO, TERTULLIANO; ARNOBIO, LACTANTIO et aliis, se permotos incredibili constantia et fortitudine Martyrum, ut causæ Christianæ examen in se susciperent, et suspicientes quiddam divinum in Secta tantorum pugilum (quales in omni ætate, in omni sexu, in omni conditione illa efformaverat, et quales Philosophia suis præceptis nunquam instituerat) ad Christum conversi uno ore cum TERTULLIANO contra paganos Imperatores hoc insigne veritatis ac divinitatis argumentum proferrent: «exquisitor quædam crudelitas vestra illecebra est magis Sectæ; plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum». PACIANUS autem de primis fidelibus cum scribit: «non sciebant disputare, sed sciebant mori»; confundit ævi nostri incredulos ex eo maxime, quod ipsi licet sciant disputare de fide aut potius contra fidem Christianam, tamen nec mori sciant pro fide, nec vivere juxta fidem, sicque disputando fere tantum obsint fidei, quantum illi moriendo profuerint.

II. Audiant ista DODWELLUS et VOLTAIRE, simulque consulant ipsa Martyrum gesta olim per notarios tachygraphiæ peritissimos sollicitè consignata; et profanos etiam scriptores adeant, quin ethnicos adeo testes de visu minime suspectos (quia maxime infestos fidei Christianæ) ut tandem, castigata sua temeritate de paucis vel nullis admodum veris Martyribus primorum temporum, cessent toti antiquitati proterve oblectari. Quippe certissimum, sed et divinissimum est, quod Christiana Religio in sinu suorum hostium nata fuerit, altricem habuerit crudelitatem, inter cædes adoleverit, divexata a Magistratibus, a Principibus dilaniata, ab Imperatoribus excarnificata, mundani odii et furiarum infernalium scopus et meta. His vero omnibus superior et victrix triumphavit, Christi prædictionibus præmunita, Christi et Apostolorum exemplis animata, divinis promissionibus excitata, de qua TERTULLIANUS: «nihil de sua causa deprecatur, quia nec de conditione miratur; scit se peregrinam in terris agere; inter extraneos facile inimicos invenire; cæterum genus, spem, sedem, gratiam, dignitatem in cælis habere». Apolog. c. 1. In eundem sensum effatur aurea pro more facundia S. PETRUS CHRYSOLOGUS, Serm. XX. et GREG. TURON. Lib. I. Hist. c. 39.

Quæ de subita et diffusa latissime propagatione Ethnicæ ac Mahumetanæ superstitionis oggerunt Theistæ, vide de Polytheismo et Mahumetismo alias dissipata.

SECTIO VI.

SOLA RELIGIO CHRISTIANA VERA, VERÈQUE SALVIFICA RELIGIO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Duplex genus est INDIFFERENTISTARUM: Alii quasi pagani salutem cuius Sectæ adjudicant, si modo Deum unum agnoscat et colat juxta ritum et rationem propriam suæ Sectæ: Alii vero Christiani (quos etiam adiaphoristas aut syncretistas vocitant) fidei in Deum superaddunt et illam in Christum, ut proin ad salutem vix quicquam requirant aliud, quam credere fundamentales, ut aiunt, articulos de Trinitate ac Incarnatione: de his posthac, de illis nunc agendum. Deterius quoddam systema Religionis nuperrime procudit BEAUMELLIUS, quo vult quatuor infantes, utprimum ratione utuntur, a Philosopho erga omnes Religiones, Catholicam, Judaicam, Mahumetanam et Protestanticam perinde affecto, operose imbui cum primis Logicæ præceptis; dein ubi discerniculum creverit, iisdem explicari dogmata, præcepta, ritus et fundamenta prædictarum Religionum, ita ut demum ex his quatuor vera sit Religio, quaecumque demum pueri post maturum examen sibi delegerint. Absurditatem et auctoris et systematis jamdum in fronte adnotare licet; nam 1°. Pestilenti scripto suum scriptor nomen præfigere vix ausus, fœditatem partus ipse abhorruit, quamvis aliunde certum sit, BEAUMELLIUM et hujus libri et aliorum æque pestiferorum auctorem esse. 2°. Puerorum criterio subjiciens quatuor Religiones, abstrahit a Paganismo, a cujus tamen abominatione superstitio Mahumetana aut parum distat, aut nihil. 3°. Philosopho, nescio cui, rem totam committit; ubinam autem in Philosopho tanta critices exactitudo, et par instituendis tot Religionibus sive scientia sive auctoritas?

§ II. THEMATA.

I. Religio Christiana est unice Vera Religio.

PROBATIO. Illa Religio sola est vera, quæ geminam hanc veritatem omnibus ingerit, et quod Deo ceu auctore ac fine ultimo digna sit natura rationalis, et quod corrupta indigna sit Deo: quæ sicut lapsum hominis, ita fidem in Reparatorem, et reparationem hominis per Messiam ceu dogma principale proponit: quæ eo Deum cultu prosequitur, qui Deo dignus et gratus Deum auctorem, objectum et finem habet. Sed sola Religio Christiana hæc tradit omnia ex revelatione et inspiratione divina, ex miraculis et prophetiis, ex oraculis Christi et præconio Apostolorum certissima æque ac

rint. Fefellit tamen spem humanam eventus plane oppositus, et (quod nunquam antea nec postea visum est) sævitia illa in Christianos Christianismo præcipua fuit causa diffusionis ac stabilitatis, attestantibus S. JUSTINO, TERTULLIANO; ARNOBIO, LACTANTIO et aliis, se permotos incredibili constantia et fortitudine Martyrum, ut causæ Christianæ examen in se susciperent, et suspicientes quiddam divinum in Secta tantorum pugilum (quales in omni ætate, in omni sexu, in omni conditione illa efformaverat, et quales Philosophia suis præceptis nunquam instituerat) ad Christum conversi uno ore cum TERTULLIANO contra paganos Imperatores hoc insigne veritatis ac divinitatis argumentum proferrent: «exquisitor quædam crudelitas vestra illecebra est magis Sectæ; plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum». PACIANUS autem de primis fidelibus cum scribit: «non sciebant disputare, sed sciebant mori»; confundit ævi nostri incredulos ex eo maxime, quod ipsi licet sciant disputare de fide aut potius contra fidem Christianam, tamen nec mori sciant pro fide, nec vivere juxta fidem, sicque disputando fere tantum obsint fidei, quantum illi moriendo profuerint.

II. Audiant ista DODWELLUS et VOLTAIRE, simulque consulant ipsa Martyrum gesta olim per notarios tachygraphiæ peritissimos sollicitè consignata; et profanos etiam scriptores adeant, quin ethnicos adeo testes de visu minime suspectos (quia maxime infestos fidei Christianæ) ut tandem, castigata sua temeritate de paucis vel nullis admodum veris Martyribus primorum temporum, cessent toti antiquitati proterve oblectari. Quippe certissimum, sed et divinissimum est, quod Christiana Religio in sinu suorum hostium nata fuerit, altricem habuerit crudelitatem, inter cædes adoleverit, divexata a Magistratibus, a Principibus dilaniata, ab Imperatoribus excarnificata, mundani odii et furiarum infernalium scopus et meta. His vero omnibus superior et victrix triumphavit, Christi prædicationibus præmunita, Christi et Apostolorum exemplis animata, divinis promissionibus excitata, de qua TERTULLIANUS: «nihil de sua causa deprecatur, quia nec de conditione miratur; scit se peregrinam in terris agere; inter extraneos facile inimicos invenire; cæterum genus, spem, sedem, gratiam, dignitatem in cælis habere». Apolog. c. 1. In eundem sensum effatur aurea pro more facundia S. PETRUS CHRYSOLOGUS, Serm. XX. et GREG. TURON. Lib. I. Hist. c. 39.

Quæ de subita et diffusa latissime propagatione Ethnicæ ac Mahumetanæ superstitionis oggerunt Theistæ, vide de Polytheismo et Mahumetismo alias dissipata.

SECTIO VI.

SOLA RELIGIO CHRISTIANA VERA, VERÈQUE SALVIFICA RELIGIO.

§ I. PÆCOGNITA.

Duplex genus est INDIFFERENTISTARUM: Alii quasi pagani salutem cuius Sectæ adjudicant, si modo Deum unum agnoscat et colat juxta ritum et rationem propriam suæ Sectæ: Alii vero Christiani (quos etiam adiaphoristas aut syncretistas vocitant) fidei in Deum superaddunt et illam in Christum, ut proin ad salutem vix quicquam requirant aliud, quam credere fundamentales, ut aiunt, articulos de Trinitate ac Incarnatione: de his posthac, de illis nunc agendum. Deterius quoddam systema Religionis nuperrime procudit BEAUMELLIUS, quo vult quatuor infantes, utprimum ratione utuntur, a Philosopho erga omnes Religiones, Catholicam, Judaicam, Mahumetanam et Protestanticam perinde affecto, operose imbui cum primis Logicæ præceptis; dein ubi discerniculum creverit, iisdem explicari dogmata, præcepta, ritus et fundamenta prædictarum Religionum, ita ut demum ex his quatuor vera sit Religio, quaecumque demum pueri post maturum examen sibi delegerint. Absurditatem et auctoris et systematis jamdum in fronte adnotare licet; nam 1°. Pestilenti scripto suum scriptor nomen præfigere vix ausus, fœditatem partus ipse abhorruit, quamvis aliunde certum sit, BEAUMELLIUM et hujus libri et aliorum æque pestiferorum auctorem esse. 2°. Puerorum criterio subjiciens quatuor Religiones, abstrahit a Paganismo, a cujus tamen abominatione superstitio Mahumetana aut parum distat, aut nihil. 3°. Philosopho, nescio cui, rem totam committit; ubinam autem in Philosopho tanta critices exactitudo, et par instituendis tot Religionibus sive scientia sive auctoritas?

§ II. THEMATA.

I. Religio Christiana est unice Vera Religio.

PROBATIO. Illa Religio sola est vera, quæ geminam hanc veritatem omnibus ingerit, et quod Deo ceu auctore ac fine ultimo digna sit natura rationalis, et quod corrupta indigna sit Deo: quæ sicut lapsum hominis, ita fidem in Reparatorem, et reparationem hominis per Messiam ceu dogma principale proponit: quæ eo Deum cultu prosequitur, qui Deo dignus et gratus Deum auctorem, objectum et finem habet. Sed sola Religio Christiana hæc tradit omnia ex revelatione et inspiratione divina, ex miraculis et prophetiis, ex oraculis Christi et præconio Apostolorum certissima æque ac

notissima. Cum ergo sic dicta Naturalis Religio ad superna non pertingat; Paganica labis originariæ ac necessariæ reparationis inscia, pro sui demissione vanitatem, pro miseræ deploratione arrogantiam, pro vera virtute omnis generis impietatem, et pro fide superstitionem inspiret; Judaica in umbris et figuris hæreat; Mahumetana fabulis delusa, terrenis immersa, flagitiis submersa nec nomen Religionis mereatur; sola Christiana est vera Religio, summe æstimanda, eo quod hominis miseriam tam probe perspiciat ac edoceat; summe desideranda, eo quod humanæ miseræ medelam adpromittat et exhibeat; summe excolenda, quia vere divina Dei Filium et auctorem et præconem habet, atque unice vera Religio est. Videlicet una fides et una lex unam Religionem seu Dei cultum constituunt; sed una est fides, quia una est veritas et spiritus unus veritatis; sed una fides unam legem parit, quæ obligat ad credenda et agenda, quæ fides docet; ergo cum Christiana sit una et vera, etiam unice vera Religio est.

Itaque detestanda falsitas est, quod cuiuslibet liberum sit, Religionem quamlibet pro suo genio et ingenio sibi deligere. Nam imprimis ille BEAUMELLIUS modus examinandi (præterquam quod effrenem Scepticismum invehit) injurius est omnium seculorum clarissimis viris, qui dudum ponderarunt exactissime omnia Religionis Christianæ fundamenta. Præterea indignus est supremo Numine, cujus voluntatem in re tam sacrosancta (qualis est Religio) quatuor homulorum iudicio subiecit, universis dein mortalibus promulgandam; cum sit Religio summi æternique Parentis filia, solatio submissa mortalibus. Tandem infausta libertas Religionis non humano, sed divino beneplacito subjugatur vel exinde, quod illuscente ratione exoriatur obligatio ab ipsa natura rationali homini intimata, Deum auctorem suum quoad licet agnoscendi, colendi, amandi, et eo quidem cultu, quo Deus vult et præcipit coli in Ecclesia a se instituta. Eo quippe recidunt machinamenta incredulorum, tum ut semper habeant aliquas cavillationes, quas duræ et superbiæ cervici sue prælexant, ne suavi jugo Christi subjungentur; tum ut alios efforment homines sine cultu et amore Dei, qui in truncos denique omnis Religionis expertes obdurescant.

II. Religio Christiana est unice Salvifica Religio.

PROBATIO. Sola Religio vera est vere Salvifica: nam una est fides, sine qua impossibile est placere Deo; sicut ergo in sola Ecclesia Christi vera est fides, ita et salus. Una tantum est Ecclesia Christi, una sponsa, una columba et Sunamitis, una Regina in vestitu deaurato circumdata varietate, unum boni pastoris ovile, unum corpus Christi spiritu vegetatum, unus spiritus veritatis, quo Ecclesiæ corpus agitur et vivit, una demum cœlestis Ecclesia, una Dei civitas, una Hierusalem: sed quæ cœlestis est, terrestris aliquando fuit; et quæ modo triumphat in cœlis, eadem in terris militavit; qui ergo non est militantis nunc Ecclesiæ, neque erit posthac membrum Ecclesiæ triumphantis.

Itaque falsissimum est, in sua quemvis secta posse salvari. Si enim ante Ecclesiam conditam salus ex Judæis erat; post conditam Ecclesiam extra hanc non est salus. Id quod non ex Alcorano Mahumetis, non ex Talmude Judæo-

rum, non ex libris gentilium Poetarum, non ex fabulis et somniis Theistarum; sed ex divinis Scripturis, quæ Christi institutoris voluntatem patefaciunt; sed ex evidentibus signis, quæ suam Christum Ecclesiam ceu dignissimam et unice necessariam salutis ducem et magistram insignivit, ac insignitam conservat, discere universi et possunt et debent. Et liberum sit, quamlibet Religionem sectari? necessum omnino, eam amplecti, quam Deus ordinavit; nec liberum credere, quæ dictat imbecillis et superba ratio, sed quæ prima et summa veritas edocuit; nec liberum, quovis ritu Deum colere, sed quem Dominus Dominantium pro suis honoribus ipse decrevit; nec liberum, hanc vel illam sectam deligere, sed ingredi et audire Ecclesiam, quam veræ doctrinæ et æternæ salutis magistram in terris constituit auctor et consummator fidei Christus.

Obj. I. In vita Christi consignata litteris Evangelicis nec verbum legitur de Christianismo. Testes sunt omnes Evangelistæ, quod Christus per totam vitam suam sollicitè adimpleverit Legem Mosaicam; quod Christi discipuli frequentaverint Synagogas, et prædicaverint non contra Judaismum, sed contra abusus Judæorum; quod non nisi exacto tempore longissimo Christi asseclæ secesserint a Judæis. Tempori adscribenda sunt, non Christo, dogmata fidei Christianæ: nam si Christo in mentem venisset instituere Ecclesiam, is certe omnes ritus, omnia sacramenta, omniaque agenda et credenda nobis declarasset; ergo Religio Christiana non est unice vera ac salvifica.

RESP. Quæ audacia et improbitas? Nonne in Evangelio legitur: *Tu es Petrus et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* quodnam illud Regnum cœlorum, quod Christus dixit appropinquare, advenisse et annuntiandum omnibus esse, si non est Ecclesia Christi? nonne ejus discipuli a prima missione sua per Judæam prædicabant non Judaismum, sed Evangelium, et post resurrectionem Christi baptismum, Christum et fidem in Mediatorem, ideo a Scribis, Pharisæis ac summis Sacerdotibus extrema passi? Et nullum sit vestigium Christianismi in Evangelio, in quo Christus præcepit: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris et Filii et Spiritus sancti?* Missio Apostolorum ad omnes gentes, novum Magisterium doctrinæ Evangelicæ, novi Baptismi institutio, congregatio filiorum Dei dispersorum, ovile etiam pro ovibus quæ non sunt ex hoc ovili, vinea aliis agricolis demandata, quid aliud significant, quam fidem pro Lege et Ecclesiam pro Synagoga a Christo institutam? Successu temporis Lex Christi obtinuit: hoc verum dicit, sed nihil derogat divinitati Christianæ Religionis: numquid Deus ipse post sex dies complevit hoc Universum? numquid Regnum Israel et Lex Mosaica crevit cum tempore, cujus initio erant duo præcepta, hæc postea in decem accreverunt, ac demum, exortis dubiis, singula Dei responsa ad quæsitâ Mosis cœlitus data Legi Moses inseruit, siquæ ingentem codicem instruxit? nemo propterea aut Legi Mosaicæ, aut mundi fabricæ denegat, quod sint opus Dei.

Idem est de Christianismo: revelata erant, statuta ac definita Religionis capita, fidei ac morum principia, credenda et agenda ab homine Christiano: interim subnata sunt dubia, quorum iudices Christus constituit Apostolos, horum judicia apostolica totidem erant voluntatis divinæ declarationes, et

veritatis Christianæ dilucidationes : hæc vero difficultas non ex ambiguitate verborum Christi, sed ex perversitate hominum orta fuit. Si stetisset prima et sancta credentium simplicitas, idem semper stetisset numerus credendorum, quæ Christus prædicavit. Verum hic Cerinthus, ibi Arius, alibi Macedonius, Nestorius, Cyrus, Sergius et Macarius conclamabant, non esse salutem sine circumcissione, Dei filium non esse verum Deum, Spiritum sanctum merum esse ministrum Dei, Mariam non esse Deiparam, unicam in Christo fuisse voluntatem... Atque errores isti ac hæreses causa erant, ob quam augetur objectum fidei. Quod adstringat adversarius Christum ad prævertenda omnia omnino dubia statim ab origine sanctæ Legis Novæ; hoc ipso etiam arguit Deum ceu auctorem Synagogæ, quod non jamdum in monte Sinai clarissime sit elocutus de mentis humanæ immortalitate contra Sadducæos, de nullitate consecrationis panum Deo factæ in extrema penuria parentum contra Pharisæos, de falsitate metempsychoseos contra Sammai et Hillel, de veritate resurrectionis mortuorum contra Samaritanos, de quotidiani baptismi vanitate contra Hemerobaptistas, de stultitia immoderate quietis in Sabbato contra Dosithæos.

Obj. II. Varia sunt inter Christianos instituta ordinum Religiosorum; plures item Ecclesiæ, quarum in Apocalypsi jamdum meminit S. Joannes; ecur non sit varietas Religionum?

Resp. Religiosi omnes, quamvis diversi ordinis ac instituti sint, eandem fidem ac legem profitentur, ea scilicet Christi consilia secuti, quæ licet omnes minime sequantur (nec enim consilium obligat, sed præceptum) nemo tamen est, qui consilia esse non dicat. Porro diversa habitus, cibi, cantus ac exterioris vitæ ratio Religionis substantiam non mutat, sed eandem supponit, et varia tantum adnectit ornamenta. Itaque una quidem est Religio eaque Christiana; diversa tamen Religionis instituta diversique ordines, sicut in Hierarchia diversi gradus. Multas Apostolus privatas memorat Ecclesias, sed quæ unam constituant, sicut multæ civitates unam provinciam, multæ provincie unum imperium. In hac una Ecclesia universali Romanum inter et Græcum Catholicum discrimen non intercedit in iis, quæ ad essentiam fidei ac Religionis pertinent; quod autem diversa lingua sit, unam fidei animam aut mentem non tollit; diversa liturgia, cantus diversi, diversæque vestes sacræ ejusdem legis unitatem non solvunt.

Non ergo multiplex Christi Ecclesia est aut dici potest, cum sit ea fidei, legis, Religionis et Ecclesiæ connexio, ut ex fidei unitate Legis ac Religionis unitas, et ex fidei, Legis ac Religionis unitate Ecclesiæ unitas consequatur.

Obj. III. Fides Christianorum dicitur donum Dei, quod quidem Deus cum nemini debeat, ac nemo illud emereri possit, dat cui vult, et cui non vult dare, illud denegat; tuto proin quivis in sua Religione poterit acquiescere, donec cœlitus illud donum gratuitum Deus submittat. Idque ex eo magis, quod fides Christiana sit difficillima, sive spectentur mysteria, quæ rationem vel excedunt vel evertunt; sive studium prope immensum, omnes mundi ætates recolendi, tot omnium seculorum et nationum prætensas revelationes inter se comparandi, credibilitatem discutiendi, veritatem

dignoscendi, sensum investigandi, ac utrinque motiva ponderandi, ut tandem certus sis de existentia ac necessitate Religionis Christianæ.

Resp. Est plane donum Dei fides nostra; quod vero ut cumctis mortalibus elargiatur, tota die suas expandit manus Pater misericordiarum. Est et lumen cœleste, sed quo illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Pater luminum; nisi homo dilexerit magis tenebras, quam lucem. Est sua nostræ Religioni obscuritas circa dogmata et mysteria, sed quæ ex evidentibus tamen signis et characteribus cuilibet veritatis ac salutis studioso satis innotescant, ceu revelata ab eo, qui nec fallere, nec falli possit. Et vero si Religioni Christianæ desint efficacissima credibilitatis momenta, qua fascinatione animorum fieri potuit, ut eam totus orbis amplexus sit? sed, demonstrata per evidentiam credibilitatis divinitate Religionis Christianæ, fallit omnis huic contraria Revelatio: quippe cum jamdum primordia Christianismi eo tenderent, ut Idololatria et Judaismus, si cum fide Christiana pugnant, everterentur: cum inde ad salutem hominum per omnia deinceps secula necessaria esset fides in Christum: cum scientia salutis ex Scripturis sacræ ceu ex Testamento divini Institutoris haurienda esset, secundum quas spiritus omnes Prophetarum probandi sint, ita ut anathema dicatur illi, qui tametsi angelus aliud Evangelium evangelizet; evidens est, nullam revelationem aliam esse veram, et Religionem nullam a Christiana diversam esse divinam. Non ergo, ut solent Theistæ, conjiciendi primum sunt oculi in dogmata et mysteria, sed in auctoritatem, quæ illa proponit: si enim hæc divina est, jam illa quamvis obscura fidem merentur indubiam. Verum Theistas et Libertinos non obscuritas aut sublimitas credendorum, sed agendorum difficultas et vis ardua præceptorum Christi, de sui odio et abnegatione, de mortificatione membrorum super terram, de dilectione inimicorum, de abstinentia, de continentia, etc. illos fecit ososores aut desertores Religionis Christianæ.

Obj. III. Si omnium fides et salus adstringenda erat ad Christi Evangelium: num operæ pretium fuit, Dei Filium venisse in hunc mundum ad tantillum temporis, et ad tam mancam generis humani institutionem? Ecur, nisi acceptor personarum sit Deus, non ubivis et omnibus annuntiari voluit fidem Evangelicam unice salvificam?

Resp. Tunc ausis inscrutabilia Dei judicia pervestigare, et arcana divinæ œconomiae sanetissima, sapientissima divinissimaque ad stateram dolosam infirmæ rationis appendere? gentilis cum sis, responsum accipe gentilibus datum ab AUGUSTINO: «salus Religionis hujus, per quam solam veram salutem vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, et cui defuit, dignus non fuit, et ab exordio propagationis humanæ quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur... Itaque ab exordio generis humani, quicumque in Christum crediderunt, cumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus præcepta pie et juste vixerunt, quandolibet et ubilibet fuerint, procul dubio salvi facti sunt». Epist. XLIX. c. 2.

Inde ab ortu naturæ rationalis fidem salvificam Deus inniti voluit Revelationi, sed quæ primum parcius Adamo et Patriarchis, tum largius Mosis et Prophetis, demum plenissime per Christum et Spiritum sanctum Apostolis fieret, ab his Christi Ecclesiæ communicandam de credendis et agendis ad


salutem necessariis. Ita visum est Altissimo, ita placuit Deo optimo; ergo nec Deus acceptor personarum est, qui providens omnibus de necessariis nemini denegat, quod debet; nec sua aut Judæos, aut Gentiles, aut quosvis incredulos infidelitas excusat ab æterna damnatione; præterquam enim, quod Lex Evangelica in universo orbe ex præcepto Christi sit promulgata, et Ecclesia Christi velut arx in monte posita cognosci, discerni et adiri ab omnibus possit; Judæos etiam suorum Prophetarum vaticinia, divina Christi auctoritas Legem Veterem in Novam commutandi, miracula Christi, vitæ, passionis, mortis et resurrectionis ejus omnes circumstantiæ; et Gentiles sensus universalis et suorum Majorum scripta, Sibyllarum oracula, confessio dæmonum in suis idolis reddunt inexcusabiles; Theistæ demum aliive increduli, qui ad plenam lucem Evangelii mentem excæcant, et cor obdurant, etiam prolixius illis (scilicet Judæis et Paganis) judicium habebunt.

Obj. IV. Si sola Christi Religio universis necessaria est ad salutem, mirum videri possit, cur tanto tempore Dei Filius non prædicaverit ipse, aut prædicari jusserit hanc suam Religionem; sed fere extrema mundi ætate eam primum constituerit et annuntiaverit. Demum difficile creditu est, voluisse incarnatam, ut vocant, Sapientiam et Bonitatem omnibus imponere sub dispendio salutis æternæ novam Religionem, quam prævidit a tot hominum myriadibus abjiciendam esse, sine ullo fructu crucis et mortis Christi.

Resp. Jam iterum audeat terræ pulvisculus cum cœli terræque Domino expostulare circa suam in negotio Religionis dispensationem; sed opprimendus a gloria majestatis et æternorum consiliorum abyso infinita. Annuntiata fuit Christi Religio, quo tempore commodius atque utilius annuntiari poterat. Erant sparsi jam per totum orbem Judæi, Veteris Testamenti codices secum deferentes; proin et liberior erat Apostolis ad Judæos suos fratres accessus, et facilior via gentiles etiam revincendi de fide in Christum, in quo exactissime impleta V. T. vaticinia Judæi exhibebant. Utilitas autem major exinde perspicitur, quod tum impleta vaticinia, Christi miracula, comperita sapientioribus Ethnicis suorum Numinum inanitas, ipsæ Philosophorum divisiones viam aperirent ad fidem Evangelii, indeque a seculis vix tribus elapsis factum, ut terræ facies (quæ fere tota Idololatriæ tenebris involuta, et voragini immersa omnium flagitiorum erat) prodigiose immutata Dei digitum aperte indicaret. Quod adversus Christi Religionem insurrexerint gentes et Reges terræ; novum est prodigium, quo illa tot inter turbines germinaverit, creverit, adoleverit, et in hunc usque diem efflorescat. Quod scelesti complures vel repudiarent lucem Evangelii, vel non ambularent juxta illam, etiam cum nomine et caractere Christiano ad tenebras exteriores condemnandi; id vitio hominum fit, nec bonitati divini Redemptoris, nec sanctitati Religionis quicquam officit; minus autem ideo lumen fidei concludendum sub modio est: alioqui etiam Theistæ desinant (quod optamus maxime) sua dogmata quaquaversum spargere, ne durius judicium accersant et atheis, qui illam Theisticam Religionem contemnunt, et Christianis, qui illam adeo detestantur.

§ III. COROLLARIA.

Stat itaque tot jam seculis, et stabit ad consummationem seculi toto terrarum orbe diffusa, uti Paganismum et Judaismum, ita et Libertinismum debellans Christi Religio; quæ cum sit ex veritate prophetiarum, miraculorum gloria, constantia Martyrum, doctrina Apostolorum et Doctorum, virtuteque divina latissime propagata, alium sui auctorem nec habet, nec habere potest, quam Unigenitum Dei Filium; cujus ex promissione et omnipotenti virtute contra omnes furias Paganicæ tyrannidis, Judaicæ perfidiæ, Hæreticæ pravitatis et mundanæ nequitiae per duodeviginti secula jam effloruit, quin vel Idololatria vel Judaismus suis e ruinis exurgere potuerint, aut portæ inferorum tot hæresum monstris armate unquam prævalerent; cujus ex doctrina vigent in Ecclesia mysteria, dogmata, ritus et sacramenta ad fidem veram et æternam salutem necessaria, quam sublimia, tam credibilia, quam incomprehensibilia, tam digna assensu fidei firmissimo; cujus ex institutione tanta est Christianæ Religionis perfectio, ut Legem et Religionem naturalem ab omni erroris admixtione liberet, tanta plenitudo, ut divinam pro statu naturæ Revelationem augeat et ornet, tanta lux et veritas, ut antiqui Fœderis umbras illustret, et splendor tam divinus, ut ethnicæ superstitionis ac quorumvis errorum tenebras dispellat ac eliminat; cujus demum ex æterno decreto nulla salus illi, cui in sua Ecclesia velut arca novi Fœderis perfugium non fuerit, regnante hæresum, errorum ac infidelitatis diluvio æternum perituro.



DIRECCIÓN GENERAL DE

DISSERTATIO VIII.

DE RELIGIONE CHRISTIANO-CATHOLICA.

SECTIO I.

SOLA RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA VERA CHRISTI RELIGIO.

§ I. PRÆCOGNITA.

Religio vera et salvifica una est, sicut una fides et unus Deus; est ergo illa, quæ est in Ecclesia Christi, quam æterna Veritas fundavit supra petram, et velut arcem in monte posuit divinis characteribus, divinis proprietatibus, divinis prærogativis insignitam. Voluit suam Unigenitus Ecclesiam esse Unam, ut subjecta; Sanctam, ut digna; Catholicam, ut proportionata; Apostolicam, ut propria esset. Voluit omnibus esse Perspicuam, cujus fides annuntietur in universo mundo, universis necessaria ad salutem; Indefectibilem, cujus fides contra ipsas inferorum portas prævaleat; Perpetuam, cujus fides omnium sectarum ruinas ipsa usque ad consummationem seculi immota conspiciat. Voluit prærogativis exornatam, Dogmatum, quæ sint doctrinæ unitas, veritas, sanctitas ac efficacia; Testium, quorum integritas, multitudo et auctoritas ab Apostolis, Martyribus, Virginibus et Confessoribus sit spectatissima; Sigillorum a conversione infidelium, a constantia fidelium, a miraculis, a signis et donis celestibus. Et quæ est ista Ecclesia, nisi in qua est fides Petri, super quem ædificata est Ecclesia Christi: nisi in qua est Cathedra Petri, radix et matrix, principium et centrum unionis Catholicæ, ita ut, qui juxta Sacrarum Scripturarum et Apostolicarum Traditionum oracula extra hanc domum comederit agnum, profanus sit; qui hanc Matrem et Magistram non audierit, fiat sicut ethnicus et publicanus.

Per Characteres hic intelliguntur signa et notæ sensibiles, quibus, cum sint notiores re significata, omnibus obviæ seu cognitu faciles ac simul propriæ, vera Christi Ecclesia certo discernitur a Sectis falsis, quæ Christiano nomine gloriantur. Proprietates reddunt Ecclesiam Christi præ aliis Antichristi Synagogis perspicuam, erroris nesciam atque perpetuam. Prærogativæ sunt, quæcumque veniunt nomine motivorum evidentis credibilitatis.

§ II. THEMATA.

I. Sola Religio Christiano-Catholica præsertim veræ Christi Ecclesiæ omnes Characteres.

PROBATIO. 1^{us}. CHARACTER veræ Christi Ecclesiæ est Unitas corporis sub Christo capite ejusque in terris Vicario et Divi Petri successore. Nimirum Christus suam instituit Ecclesiam ceu unum corpus sub uno Capite, ceu unum ovile sub uno Pastore, ceu unum regnum sub uno Rege, ceu unicam sponsam uni Sponso conjunctam, ceu unam domum sub uno Patrefamilias. Hisce titulis Christi Ecclesia in sacris litteris honoratur, atque exin Patres appellant Templum, Navem, Exercitum, Civitatem et Arcem; Sacerdotem igitur hoc templum, Nauculum navis, Ducem exercitus, Magistratum civitas et arx Præsidentem desiderant. Christus uti Auctor Ecclesiæ, ita Caput supremum et Pastor æternus voluit, ut PETRUS ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum: Petrum et successores Petri suos in terris Vicarios Christus constituit, quibus suas commisit oves et agnos, deditque claves Regni cælorum: Cathedram Petri, cujus esse voluit potentioris principalitatem, posuit fundamentum Ecclesiæ et centrum unitatis, ita ut, qui uniuntur huic Cathedræ tanquam centro, et subjiciuntur ejus Episcopo tanquam Primati, Vicario Christi et Capiti Ecclesiæ visibili, sint de Ecclesia Christi unice vera ac vere salvifica; foris autem sint omnes, qui vel ipsi ab hoc Capite se separant, vel ab hoc unitatis principio rescinduntur.

Hinc licet PAULUS 2. Corinth. XII. 12. certus de missione sua divina scribat: *tametsi nihil sum, signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus*; tamen prius prædicare gentibus ausus non est, quam id cum PETRO communicasset; unde S. Hier. epist. 75. n. 8. « ostendens (PAULUS) se non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri, et qui cum eo erant, fuisset sententia roboratus ».

2^{us}. CHARACTER veræ Christi Ecclesiæ est Sanctitas membrorum vel manifeste excellens vel confirmata miraculis. Utrumque exigunt et exempla et verba Christi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Item: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo demonia ejicient...* Utrumque præstiterunt Apostoli, qui, teste CHRYSOSTOMO, non minus candore morum, quam splendore miraculorum Christi Ecclesiam illustrarunt. Utrumque post Christum et Apostolos ita continuatum, ut quicumque sanctitate aut manifeste excellenti aut miraculis confirmata celebres essent, membra fuerint Ecclesiæ Christiano-Catholicæ. Nec defuisse seculis omnibus eximiam morum integritatem, quam Deus ipse luculentis prodigiis contestari dignatus sit, evincunt Canonizationes Sanctorum, quæ summo rigore iudicii evidentiam sanctitatis, et miraculorum præcellentiam, quantum humanitas haberi potest, requirunt probatissimam, et vel postremis temporibus S. Pii V., Ignatii, Xaverii, Philippi Nerii, Joannis de Deo, Francisci Regis et Borgia, Salesii, Teresie, Magdalene de Pazzis, Aloysii, Stanislai et plurium aliorum

præclare ac prodigiose factis pleni sunt libri, plenæ gentium omnium historiae, quin falsitatis vel imposturæ convinci a quoquam possint.

Præstat, heterodoxorum hanc in rem delibare testimonia; PHILIPPUS BALDEUS in Hist. Judic. C. XIII. pag. 76. ita de Xaverio testatur: « si Xaverius fuisset nostræ Religionis, etiam apud nos ut alter Paulus cum veritate esset æstimandus, et colendus velut sanctus. Quanquam autem Religionis fuerit a nostra diversæ; aio, bonos omnes ejus zelo, vigilantia cura, et morum sanctitate excitari debere, ad cavendam in Dei opere negligentiam ». Et in vita Xaverii apud Bouhours scribit ROBERTUS HAKLUIT Angliæ Reformatus: « Pius ille Confessor et solers Indorum instructor Franciscus Xaverius post multos exantlatos labores, post injurias et calamitates magno animo superatas, omnibus benedictionibus spiritualibus plenus obiit anno 1552; postquam multa hominum millia ad fidem Christi perduxerat. De hoc viro, virtutibus ejus et mirabilibus vim omnem naturæ excedentibus, omnes recentes Indorum historiae testantur ».

3^{us}. CHARACTER est Catholicitas seu universalitas quoad doctrinam, tempus et locum. Est vero inter tot Christianorum sectas sola illa Religio, quæ Romæ Episcopum pro Capite suo et Christi Vicario agnoscit, et cui tam nomen, quam res ipsa Ecclesiæ Catholicæ competit: nomen quidem ipsi Sectarii vel sponte vel ex conventionem eidem attribuunt, ut suo jure quodvis hujus Ecclesiæ membrum cum PACIANO gloriatur: « Christianus nomen meum, Catholicus cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit; hoc prodor, illo significor ». Quod vero re etiam eadem sola Catholica sit Ecclesia, VINCENTIUS LIRIN. sic declarat: « Magnopere curandum est, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque Catholicum (quod ipsa vis nominis ratioque declarat) quod omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universalitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universalitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; Antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos Majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est; Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel pene omnium Sacerdotum pariter et Magistrorum definitiones sententiasque sectemur... Ita in Commonitorio.

Doctrinæ universalitas vel ex sola fidei professione Tridentina elucet: et illa loci ex eo, quod Evangelium Christi annuntiatum sit cunctis gentibus, ac in plerisque regionibus Romanæ communionis Ecclesia vel dominetur, vel toleretur, vel patiatur. Temporis demum universalitas manifesta est inde a prædicatione Apostolica, ejus propagatione ad nostra usque tempora, ejusdemque futura duratione ad finem usque.

4^{us}. CHARACTER est Apostolicitas per foundationem et successionem Apostolicam. Quod PETRUS fuerit Romanus Episcopus, universa clamat antiquitas, Patres omnes, Græci præsertim, quorum maxime intererat; tabulæ fastorum evincunt; lapides ipsi et rudera vociferantur. Prostat etiamnum Romanorum Pontificum nunquam interrupta series, quam nec ipsi hæretici negare ausint, ne contradicant toti antiquitati; et vero quisquis negaret, Petrum fuisse Romæ, ibidemque ad mortem usque Ecclesiam rexisse, eodem jure AUGUSTUM Cæsarem Romanorum Imperatorem fuisse, negare poterit. Ac

demum historia universa attestatur, Episcopos omnes, qui pro Catholicis habebantur, cum Petro et ejus successoribus Romanis Episcopis semper communione conjunctos fuisse. Nimirum Doctrina Apostolica, præsertim Petri, et ejus successorum ceu universalium Episcoporum, ad quorum Cathedram ceu principalem Deo providente nullus errori, nullus perfidiæ accessus pateret, intrinsece constituit et distinguit veram Ecclesiam: Doctrinam hanc initio prædicatam et postea ex divino consilio sacris litteris consignatam custodit Traditio: Traditionem istam inchoat et prodit fundatio Apostolica: Fundationem hanc demonstrat producta ad Apostolos successio Episcoporum, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei; ergo Apostolica fundatio et successio Episcopalis ad Apostolos terminata, ceu Nota distinguit veram Ecclesiam.

Inde illud CYPRIANI: « Ecclesia est in Episcopo, adeo ut si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non sit ». Et illud TERTULLIANI: « quicumque ergo pro Religione Christi sectam suam haberi volunt, ante omnia edant origines suarum Ecclesiarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem ».

Atque hi sunt illi CHARACTERES, quos jamdum recensuit Oecumenica Synodus Constantinopolitana I. ab ipsis heterodoxis commendata; ad quos contra suorum temporum hæreticos provocant antiquissimi Patres Irenæus, Cyprianus, Optatus Milev., Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus; et qui alii Christianorum sectis adeo non conveniunt, ut potius destitutæ vivo et infallibili judice Controversiarum etiam tot habeant Ecclesiæ Capita, quot regionum diversos Principes; ut neque in earum auctoribus, neque in ullo membrorum eximia vitæ sanctitas, minus vero etiam confirmata miraculis authentice edoceri possit; ut saltem illæ Lutheri et Calvinii trium seculorum ætatem necdum numerent, certis limitibus regionum circumscribantur, et doctrinam profiteantur ex damnatis fragmentis veterum hæreticorum; ut demum in iis, sicut antiquitas et successio Apostolica, sic omnia prorsus signa divinæ missionis deficient. Scilicet EUTYCHES, LUTHERUS, CALVINUS et SOCIUS non fuerunt Episcopi, et ab Episcopis, in quorum communione aliquamdiu vixerant, damnati ejectiveque sunt: NESTORIUS et PROTIUS Episcopi fuerunt, sed cum nova moliri cœperunt, ille in Concilio Ephesino I., hic in Constantinopolitano IV. depositi et excommunicati vitam finierunt extra gremium Ecclesiæ tam Orientalis, quam Occidentalis, ut proin Græci horum doctrinam secuti frustra a viris Apostolicis suam sectam deriverent: JANSENIUS denique et Episcopus et in aliorum Episcoporum communione vita functus; qui tamen damnatus ab Ecclesia ejus propositiones defendunt, itidem a communione Apostolicorum Successorum exciderunt.

II. Sola Religio Christiano-Catholica præfulget veræ Christi Ecclesiæ Proprietatibus.

PROBATIO. 1^a. PROPRIETAS veræ Christi Ecclesiæ est Visibilitas. Videlicet Christus suam Ecclesiam, quam ceu montem domus Domini in vertice montium prædixerant Prophete, ipse expressit parabolis areæ, agri, sagenæ: in

ea Pastores et Doctores instituit, qui sint sal terræ et lux mundi: ipsam promisit ædificandam supra petram, ac proin visibilem ad instar ædificii supra petram: jubet adire Ecclesiam, hoc est, præsidet Ecclesiasticos, ubi fraterna correctio fratrem non emendat: neminem salvat, nisi qui adeat, et audiat hanc suam Ecclesiam; ergo spectabilis ac discernibilis illa sit, oportet. Idem docuere Apostoli, idem sensere Patres; idem semper inde ab ævo Apostolico exhibitum in Pastoribus Ecclesiæ, præsertim in Romanorum Pontificum successione nunquam intermissa, nec unquam intermittenda; in Conciliis generalibus et particularibus; in debellandis hæreticis, quorum antesignani omnes ex societate Catholicorum prodierunt; in excludendis e sinu suo rebellibus adversus monita et sancita Ecclesiæ; in Ethnicis ipsis, cum AURELIANUS Imperator Pauli Samosatani Episcopalem domum ei dari voluerit, cui cum Romano Episcopo communicaret. Atque ex his nonne splendida, permanens, totique orbi perspicua illucescit claritas Ecclesiæ Catholicæ?

2^a. PROPRIETAS est Infallibilitas. Voluit Deus Ecclesiam Christi esse Unam, Sanctam et Catholicam: sed una esse non potest sine unitate fidei; nec sancta, nisi veram fidem teneat; nec catholica sine fide universali, quæ omnia vera dogmata complectatur. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine Christi, qui potestate sibi ab eo facta pro eo legatione funguntur, et homines Deo reconciliant in ædificationem corporis Christi, Christus in medio eorum est, videlicet per spiritum suum, cujus ductu Ecclesia errare non potest in definiendis controversiis fidei, et tradendis regulis morum; in quibus si erraret, sponsa Christi sine ruga et macula non esset; portæ inferi adversus eam prævalerent; illa Dei domus nutanti fundamento fulciretur; non esset columna et firmamentum veritatis; Christus promissis non staret, quia spiritus veritatis aliquando abesset; illa Dei civitas sine magistratu mera esset Babylon, et regnum illud in se divisum; exemplum illud sine Sacerdote legem Excelsi conservante; corpus illud sine anima, et fides nostra sine regula. Quis vero talia de Deo sentiat, qui etiamsi vellet, fallere non potest? Atque inde est, quod Ecclesia Catholica seu dispersa per universum, seu congregata in Conciliis, seu docens de Cathedra Petri nunquam erraverit aut defecerit in fide.

3^a. PROPRIETAS est Perpetuitas. Hæc ex Prophetarum vaticiniis de Regno Messiæ, ex Christi promissionibus de sua Ecclesia, ex ipsa legis Christianæ natura et perfectione, plusquam certa est ac indubitata. Nempe vobiscum sum, ait æterna Veritas, usque ad consummationem seculi; et ad dilectam sibi Ecclesiam Dei Filius, sponsabo te mihi in sempiternum; misit Christus Apostolos, ut fructum afferant et fructus illorum maneat: Apostoli eandem Ecclesiæ perennitatem declarant per ministerium a Pastoribus exercendum, usque dum occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei. Et mirum profecto, quod, cum rerum humanarum inconstantia fiat, ut continuis factionibus et mutationibus tot Regna et Imperia everterentur, sola Ecclesia Catholica tot inter persecutiones, factiones, hæreses, schismata et morum corruptelas semper potens, semper victrix steterit, creverit, et perpetuitatem usque consecuta viderit coram se corruere Solia et Imperia, immutari orbis terrarum faciem, exarmari ac confundi et furorem Tyrannorum et Philosophorum arrogantiæ, tam splendide ac invictæ, ut inimici

facti sint vindicæ, quin et voluntariæ victimæ pro veritate orthodoxa. Habuit vero etiam Ecclesia Catholica inde a suis primordiis Episcopum saltem universalem certum ac indubium; vel si quando schisma Antipapæ turbavit Ecclesiam, Sedes tamen Romana in Clero populoque fidei durans et spectabilis cum reliquo orbe Catholico rite communicavit.

Atque PROPRIETATES istæ tam soli Catholicæ competunt Ecclesiæ, ut Sæctarii omnes, eo quod desperent, eas suis Synagogis accommodari posse, easdem abnegent, veræ Christi Ecclesiæ proprietates esse.

III. Sola Religio Christiano-Catholica gaudet Prærogativis veræ Christi Ecclesiæ.

PROBATIO. 1^a. PRÆROGATIVA est Dogmatum veritas nullius in hunc diem erroris convicta; sanctitas hominem dirigens per fidem, spem, charitatem, mandatorum observantiam, cultumque Deo dignum et gratum ad veram hujus vitæ sanctimoniam, et æternam alterius vitæ felicitatem; unitas in universali consensione fidei, qua hodiernæ Ecclesiæ doctrina eadem est cum illa primitivæ Ecclesiæ, quæque omnes Ecclesiæ particulares omnesque fideles damnant, quod damnat Ecclesia Romano-Catholica, ita ut sicut tribus primis seculis dogma, hoc ipso quod sit oppositum consensui Ecclesiæ, etiamnum judicetur hæresis, isque hæreticus, qui illud proterve amplectitur ac tuetur. Ubinam autem apud sectarios doctrinæ veritas, si eorum dogmata criterio theologico seu rationis seu auctoritatis subdantur? ubi sanctitas dogmatum, quæ sunt impiissima de mandatorum Dei impossibilitate, de libertatis amissione, de gratiæ sufficientis abnegatione, de operum omnium corruptione...? ubi unitas in perpetuis sectarum vicissitudinibus et contrariis sectariorum nullo iudicio terminandis?

2^a. PRÆROGATIVA est Testium, quorum auctoritas, multitudo et integritas, quippe Pauli Apostoli, tot Sanctorum Patrum, tot Ecclesiæ Doctorum atque Episcoporum, tot virorum Apostolicorum in omnem terram ad fidei præconium a Romana Ecclesia delegatorum, Martyrum innumerabilium omni tempore et loco pro fide catholica gloriose occumbentium, tot Virginum et Confessorum tam secularium, quam Religiosorum, in quibus perfectio Evangelica et eximia vitæ sanctitas eminuit, atque etiamnum eminent, et de Ecclesiæ Catholicæ præcellentia, et de cujusvis sectæ Aatholicæ falsitate copiosissime eloquuntur. Apostolos et antiquos Patres invocant testes sectæ Aatholicæ? sed quæ ab illorum ætate remotissimæ sunt, et ab illis non aliud testimonium habere possunt, quam quod de pseudo-prophetis illi quondam prædixerunt. Ad coævæ Ecclesiæ Catholicæ iudicium provocant? sed quæ stigma inussit sectis omnibus, et anathemate ferit sectarios omnes. Inde vero etiam vel nullos, vel solos pseudo-martyres sibi vindicare possunt, suæ in erroribus feroci obstinationi immortuos.

3^a. PRÆROGATIVA Sigillorum, miracula, conversionem gentilium et fidelium constantiam complectitur. De quanam Ecclesia, nisi de Catholica et Apostolica dictum fuit: *In nomine meo demonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent... et prædicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis?* Cuiam alteri sectæ competere possunt dona illa ab Apostolo recensita, *divisiones gratiarum, ministrarionum et operatio-*

num, quæ in sola Ecclesia Catholica perseverant, in qua quosdam Deus posuit primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum et interpretationes sermonum? Et de dono miraculorum in Ecclesia Catholica perpetuo ipsa factorum evidentia convincit, fideque dignissima veteris ac recentioris ævi historia. Zelus Apostolicus propagandæ fidei orthodoxæ vel ex missionibus transmarinis abunde constat: quæ enim et quanta non fecerunt ac passi sunt præcones Catholici, ut Christo lucrifacerent Indos, Sinenses, Japones et quasvis gentes barbaras; his adhuc diebus novo ordine non sine Numine excitato ad succurrendum animabus in locis desertis? Demum fides Catholicorum quam contra tyrannidem infidelium, hæreticorum furias, schismaticorum seditiones et pseudopolitices vafritiem victrix hactenus steterit ac triumphavit, soli ignorant aut lividi Sectarii, aut pyrrhonicæ Theistæ.

Cum vero nullus unquam Sectariorum, ipsomet ERASMO teste, vel equum claudum curaverit; conversionem autem Gentilium nec curam nec opus esse suæ Ecclesiæ fateantur Sectarii; omnes quoque familiæ illustres et illustrissimæ, desertis Protestantium castris, secundum omnem vel aliquam sui partem ad avita Catholicorum sacra redierint, et ab hisce sacris earum nulla inde a Lutheri turbis defecerit seu ad Lutherum seu ad Calvinum; quis ambigat, hac etiam prærogativa, uti cæteris, solam Ecclesiam Christiano-Catholicam suo jure gloriarî?

ERASMUS Tract. de lib. Arbitr. de sectis Aatholicis ita scribit: « in quibus nec est sanctitas, nec miracula, ut qui nec caudam quidem equi sanare queat ».

Obj. I. Non constat, cæteros Apostolos fuisse subjectos S. PETRO ceu Capiti Ecclesiæ: minus constat, Apostolos post mortem S. Petri superstites ejus successorî Lino aut Clementi subditos fuisse: imo constat, quod S. JOANNES suum Evangelium cum Romano Pontifice non communicaverit, habens nihilominus fidem et auctoritatem verbi divini; non ergo Romæ Episcopus centrum est unionis Catholicæ; maxime cum juri naturæ videatur adversum, quod Sacerdos extraneus (qui dicitur Romanus Pontifex) jus sibi quoddam arroget in Christianas orbis civitates.

RESP. Næ is oculis et mente captus sit, qui primatum PETRI in universam Ecclesiam, ac proin etiam in Apostolos non intelligat ex clarissimis SS. Scripturarum oraculis: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Tibi dabo claves Regni cælorum: Pasce oves meas, pasce agnos meos;* ex forma Regiminis, quod Christus in Ecclesia instituit Monarchico simile; ex Traditione omnium SS. Patrum et Conciliorum; ex indubitata fide totius antiquitatis; ex damnatis Hussi et Wickleffi articulis. Cum vero Romanus Episcopus successor sit Petri in ratione Capituli (quod Christus in sua Ecclesia visibile esse voluit ac perpetuum) primatus summi Pontificis ceu successoris S. Petri æque extendebatur in ipsos Apostolos, ac ille S. Petri: cum succedere non sit aliud, quam jura acquirere pristini possessoris. Secus continuo post mortem S. Petri Christi Ecclesia facta fuisset plurium Capitulorum Ecclesia; datum a Christo munus Petro, confirmandi fratres, cum S. Petro exspirasset; cum fratrum seu Apostolorum pars fere dimidia superstes S. Petro nequic-

quam dependeret a successore S. Petri; nec univoce eadem durasset Ecclesia, quæ erat antehac a Christo instituta.

Quoad Theopneustiam Evangelii S. JOANNIS nec opus erat, illud conferri cum Petri successore, nec ab hoc poterat illa conferri, de qua recte ait: *hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus, quia verum est testimonium ejus.* Authentiam vero publicam verbi divini nacta sunt scripta S. JOANNIS ab Ecclesia dependenter a suo Capite; uti de hac quantum ad S. MARCI Evangelium testatur Papias apud Eusebium: « D. Petrum auctoritate sua ratum fecisse, quo in Ecclesia passim perlegeretur. » Paulus etiam cum Petro suam contulit doctrinam, « ascendens videre Petrum ex officio ac de jure », ut ait TERTULL. de Præscript. Demum S. Hieronymus Procem. in Matth. testatur, S. JOANNEM « occasione hæresis Cerinthi ac Ebionis coactum fuisse ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, et multarum Ecclesiarum (quidni potissimum Romanæ) legationibus, de Divinitate altius scribere. »

Quod PUFFENDORFF ad invidiam conflandam ceu sacerdotem extraneum sugillet Romanum Pontificem, hoc satis temerarium; ac si Christus ab isto homine ediscere debuisset, quid justum esset in constituendo Capite Ecclesiæ; satis etiam improvidum, cum eodem argumento invadat plures summos Principes Europæ, qui utut extranei ratione Reipublicæ (ad cujus regimen sunt evocati) imperium sibi commissum summa cum laude gesserunt.

Obj. II. Ex hac doctrina de unitate Ecclesiæ sequeretur, perire eos omnes, qui vel in minimo fidei articulo communionem non habent cum Romano Pontifice tanquam centro unitatis; id vero prorsus intolerabile videtur tum Græcis, qui non abs re gloriantur, quod veteris Ecclesiæ fidem nulla novitate maculatam hodieum teneant, quamvis cum Romano Pontifice non communicent; tum Jansenianis, qui Ecclesiam et Sedem Apostolicam summo-pere venerantur, quamvis a Sedente in nonnullis dissideant.

RESP. Quam contra PARMENIANUM Donatistam intorsit, eadem contra Jansenizantes aliosque Occidentis Sectarios, et Græcos etiam a Roma alienos decretoria est sententia S. OPTATI MILEV. « Cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus: cui successit Linus... Liberio Damasus, Damaso Siricius (et post hoc Clementi XIII. Clemens XIV.) hodie, qui noster est socius; cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vindicare. » Et Græci quidem, quorum alios hic errores non perstringo, quam habent post suam a Romanis defectionem Græcæ Ecclesiæ radicem, quod Caput et succedaneum Petro fundamentum? an PHOTIUM, quem ipsimet in Synodo VIII. œcumenica, et sub imperio Leonis Sapientis, depositione, anathemate, exilio mulctarunt? an MICHAËLEM CERULARIUM Photiani schismatis ad usque seculum XIII. inflammatorum; post quem vero Græci in Conciliis Lateranensi IV., Lugdunensi II. et Florentino Romanam Ecclesiam ceu Matrem, Romanum Episcopum ceu Christi Vicarium et totius Ecclesiæ Caput identidem venerati sunt? an MARCUM EPHESIUM? quis vero primatum Petri in hunc Marcum, et quis Petri cathedram deportavit Ephesum? Erat quidem Ephesus scriptis et prædicatione S. Pauli, nec non incolatu S. Joannis vere nobilis; sed et Paulus Evan-

gelium, quod prædicavit, contulerat cum Petro, ne in vacuum curret, et Joannes non sibi, sed Petro oves agnosque omnes pascendos a Domino fuisse commendatos, testatur.

Illam Jansenistarum distinctionem inter Sedem et Sedentem non agnovit S. CYPRIANUS docens, « quamlibet Ecclesiam esse in suo Episcopo »; proscripsit illam S. PETRUS DAMIANI in epist. ad Rom. Pontif. « Tu ipse es sancta Sedes, Tu es Ecclesia Romana; non recurro ad Petri fabricam, sed ad eos, in quibus illius Ecclesiæ residet auctoritas »; rejecerunt eam celebres in Galliis doctores, ac ipsi præsules Gallicani his verbis reprobant, « non immorandum in distinctione ejusmodi abstracta, et ab hæreticis ad illudendam ipsorum damnationem inventa ». Qua enim ratione adhæreat Sedi, qui Sedenti in ea non obedit? num alio modo loquitur Sedes Apostolica, quam per os summi Pontificis? anne quis throno Regio se vere submittit, si Regi non sit submissus? quis Novatorum non dicet, revereri se sanctam Sedem, quamvis rejiciat constitutiones et fulmina rideat Apostolica? quin et deprædicabit Sedem Apostolicam verbis plane iisdem cum SS. Patribus et Doctoribus Ecclesiæ; utprimum autem Sedens super Cathedram Petri errores damnaverit, hanc sui damnationem inter deterrimas criminationes rejicient, eo quod non Sedes sed Papa, non Cathedra sed Curia, et quidem ex præjudiciis, ex artibus politicis, per seductionem et obsessionem ita judicaverit? nã is subditus throno Regio se submittat, qui prætexens decreta Regia malis artibus aulicorum concinnata esse, ea quamvis a Rege hortante et minitante iterato edita ac inculcata contemneret, rideret, protereret? nonne ad pervicacem suam inobedientiam is adjungeret insolentiam gravissimis pœnis coercendam?

At durum valde, nexum in minimis adeo credendis cum Romana Ecclesia necessarium esse ad salutem. Numquid reatus peccati originalis propter unum hominem; æternitas ignis in vindictam vel unius peccati mortalis; prædestinatio unius et reprobatio alterius, maxime ardua sunt humanæ rationi, et tamen verissima? Sit ergo durum, propter unum fidei articulum damnari hæreticos et schismaticos; sed tota Traditio docet, extra Ecclesiam non esse peccatorum remissionem, non esse charitatem, non esse salutem. Huic malo ut occurras, dic cum S. HIERONYMO epist. ad S. Damasum: « ego quidem Cathedræ Petri communionem consocior; super illam petram aedificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. »

Obj. III. Sanctitatem doctrinæ etiam Sectarii prætendunt; miracula autem, ævo Apostolico exacto, inter Catholicos vel nulla vel non nisi incerta aut plane fictitia deprehenduntur; sanctitas ergo doctrinæ miraculis confirmata non est nota Ecclesiæ Catholicæ, aut character veræ Christi Ecclesiæ necessarius; cum ne uno quidem miraculo suam de Christo doctrinam JOANNES BAPTISTA confirmaverit.

RESP. Sive patriarchas Sectariorum, sive doctrinam, sive initia et progressus Sectarum spectes; nulla undique translucet sanctitas, sed potius morum et dogmatum improbitas, effrenis opinandi licentia, legum impatiens libertas, legitimorum magistratum contemptus, mendacia, furor, obstinatio, seditio, apertum denique et inexcusabile schisma, prout historia

Reformationis sic dictæ, et factionis Protestanticæ genesis abunde testantur. Ubi vero quedam in Sectariis honestas ac virtus eluxit, ea minime adscribenda erat Sectarum principiis, sed vel bonitati indolis, vel humanæ politicæ, vel providentiæ divinæ in hostibus nonnunquam, uti quondam gentilibus, ita nunc heterodoxis, ad virtutis commendationem isthæ exempla ordinanti. Adde, quod nulli unquam fuerint aut esse potuerint inter Sectarios eximie sancti, quales ex perfectione suæ legis exhibet, et vix redigere in calculum potest Ecclesia Catholica.

Miraculorum potestatem per cuncta secula viginisse, ac etiamnum vigere in Ecclesia Catholica, evincit diserta Christi promissio, et demonstrant eventus quam plurimi. Promissio potestatis thaumaturgæ a Christo facta Apostolis MARCI XI. et JOANNIS XIV., non ad solos Apostolos, sed ad universam pertinet Ecclesiam; sicut mandatum prædicandi Evangelium, præsidium Spiritus sancti Ecclesiæ assistentis, et præcationis recte factæ in Ecclesia, de quibus ibidem ceu perpetuo duraturis fit mentio; proinde nexus seu contextus utrinque idem et hoc et istud æque probat. Promissionis divinæ veritatem confirmat perpetuitas miraculorum in Ecclesia, de quibus sicut pro ævo Apostolico habetur fides ex Actis Apostolorum, ita pro seculis consequentibus tam ex scriptis SS. Patrum ceu testium ex omnium sententia gravissimorum, quam ex testimonio ipsorum gentilium; posthac vero ex auctoritate præcipuorum cujusvis seculi historicorum; ac demum recentioribus seculis ex apotheosi Sanctorum. Quæ omnia tot et tanta sunt firmamenta veritatis Catholicæ, ut quilibet orthodoxus cum HUGONE VICTORINO non abs re is Deum verbis compellet: « Domine! si error est, quod credimus, a te ipso decepti sumus: ista enim in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt ». Probant ergo miracula invicte contra infideles, quia juxta Apostolum « *linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus;* » at non minus invicte contra Theistas et Hæreticos, cum neutri superiora habeant prodigia, quæ nostris opponant, uti sua miraculis Magorum Moses opposuit.

Demum S. JOANNES BAPTISTA ipse miraculum extitit plenum divinæ auctoritatis; id quod constat ex prodigiosa ejus nativitate, incredibili victus austeritate, summa vitæ innocentia, ipsoque nomine Joannis, quod ab Angelo prænuntiatum gratiam significat.

HUGO VICT. L. 1. de Trin. c. 263. APOST. 1. Corinth. XIV. 22.

Fuere ergo miracula I. seculo Christi et Apostolorum: II. Miracula militum Christianorum sub Marco Antonino Imp. apud TERTULL. Apolog. c. 3. Item sub M. Aurelio legionis Fulminantis; nec non sub Juliano illud flammaram prodigium, quæ molitionem templi Jerosolymitani impediabant: III. Miracula Gregorii Thaumaturgi apud S. BASILIUM L. de Spir. S. c. 29.; apud GREG. NYSS. in ejus vita: IV. Signum Crucis cœlestis a Constantino M. inspectum, Miracula SS. Antonii, Hilarii, Martini, Nicolai apud SS. ATHAN. HIER. et SULTITIUM: V. Miracula descripta a S. AUGUSTINO L. XXII. de Civ. c. 8. ac præcipue illud Typasi in Africa sub Hunnerico Rege Vandalorum in sex auctoribus synchronis: VI. Miracula consignata in Libris Dialog. a S. GREGORIO M. Nostro demum et superiori seculo illa SS. Xaverii, Salesii, Vincentii a Paulo; quæ vel ipso Protestantium calculo adprobata sunt.

Obj. IV. Non apparet, quo jure Catholici suæ Ecclesiæ arrogant universalitatem ceu notam characteristicam veræ Christi Ecclesiæ; siquidem apud Græcos, Armenos, Ægyptios et Abyssinos vix occurrit; neque sit in Anglia, Scotia, Provinciis fœderatis, Dania, Suecia, et majori parte Germaniæ Catholica Religio; et multo latius olim Ethnicismus, ac hodie Mahumetismus sese diffuderint.

RESP. Ad veram, quamvis moralem duntaxat Ecclesiæ diffusionem ac Catholicitatem, plus nemo requiret, quam ut 1º. in præcipuis mundi partibus cultores habeat; ubinam autem est regio licet ab unione catholica ad schisma, et a fide catholica ad hæresin infauste desciscens, quæ non pariat Catholicæ Ecclesiæ filios, et non plures foveat in ipso schismatis sinu, qui schismatis malum invincibiliter ignorant? 2º. Ut singulis aliis sectis amplior sit ac magis diffusa (non enim hic Catholicismus cum Paganismo, sed cum aliis Christianorum sectis comparatur) quæ autem proportio inter Lutheri aut Calvinii aut Socini sectam et inter Romanam Ecclesiam, quæ quantum hic deperdit per hæresin, tantum inde per conversionem infidelium lucratur? Nonne sicut Donatistæ intra fines Africae teste Vincentio apud S. Augustinum; Luciferiani intra Sardiniam apud S. Hieronymum; Pelagianii intra aliam quamdam provinciam apud eundem Augustinum, suam ipsi Ecclesiam coarctabant; ita suam quoque Janseniani ac Quesnelliani parvam appellant Ecclesiam? nonne præter occidentem alias orbis partes nonnisi leviter infecerunt Novatores; in oriente autem vix cognoscuntur Lutherani et Calviniani, ac ubi cognoscuntur, hæreticorum macula notantur?

Obj. V. Successio Apostolica in Pastoribus, quæ ceu nota veram Christi Ecclesiam discernat, nec probat ratione loci, cum Christi Ecclesia non sit alligata loco, sicut Synagoga: nec ratione personarum, cum hæc communis sit aliis etiam Ecclesiis Græcorum, Armenorum aut Æthiopum, quæ veræ Christi Ecclesiæ non sunt: nec ratione doctrinæ, cum de hac sit controversia: imo nec ratione Romanorum Pontificum, quorum series et successio diuturno non semel schismate turbata successionem Apostolicam dudum interrupit.

RESP. In Ecclesia Catholica nec deficit successio localis, quæ cum non repetatur a residentia in loco, sed a jure in sedem, ibi stat hæc successio, ubicumque stat Cathedra Petri. Hinc summi Pontifices uti Romæ, ita Avenione, et apud Græcos vel Francos sunt Petri successores: analogia est in hodierna compellatione Romani Imperatoris. Neque deficit successio personalis saltem Episcoporum universalium, prout exhibet catalogus Romanorum Pontificum, quin et aliorum Pastorum, qui habent successionem in societate Romana non interruptam. Hinc aliud est, Ecclesiam non subsistere, ubi non viget Pastorum successio, quod ipsum nos hic asserimus, indeque Acatholicos ceu intrusos aggredimur: aliud, Ecclesiam subsistere, ubi viget successio Pastorum v. g. inter Græcos, quod haud satis esse credimus, nisi Pastores dum sibi succedunt, cum primo Pastore, Romano Episcopo communicent. Nec demum successio doctrinalis deficit, siquidem doctrina sana a successionem legitima adeo nequeat separari, ut et in ipsa includatur. Ubi enim quis legitima ordinatione succedit, nec a communionem, in qua fuit ordinatus, recedit; necessario sanam profitetur doctrinam, utpote qui unitatem servet. Est ergo

hæc perpetua legitimæ successionis comes, atque ex universalitate doctrinæ consequitur, quamvis non sit nota Ecclesiæ, quia non ipsa doctrina loquitur, sed traditur a legitimis Pastoribus. De casu schismatis dictum alibi.

Huc quadrat illud S. CYPRIANI de sui temporis hæreticis Epist. 76. « Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica et Apostolica Traditione contempta nemini succedens a seipso ortus est... nemini succedens et a seipso incipiens alienus fit et profanus. »

Societas autem Protestantica nec habet doctrinæ antiquitatem; sed eam propugnat, quam vetus et apostolica Ecclesia in antiquioribus Sectariis, Simonianis, Pelagianis, Novatianis, Donatistis et Arianis pridem condemnavit, cujus (ut SS. Patres declarant adnotari in omnibus Novatoribus) et auctor et tempus et locus et dogmata consignari facile possint. Nec successionem Apostolicam in suis Pastoribus: ubinam enim secta aut Calviniana aut Lutherana extitit ante Lutherum et Calvinum? Nec denique missionem legitimam seu ordinariam, quam vel ex defectu legitimæ ordinationis non acceperunt Novatores; cum sola electio, nominatio aut præsentatio præsertim laica non constituat vocationem legitimam, sed præprimis ordinatio et jurisdictio spiritualis, quam nec populus nec magistratus concedere potest; vel amissa per hæresin aut schisma jurisdictione eandem non retinuerunt: seu extraordinariam, quæ cum ista quatuor involvat (eos immediate a Deo cum omni veterum Episcoporum jurisdictione fuisse institutos; accepisse auctoritatem, ubiis terrarum reformatam doctrinam annuntiandi; missos fuisse, ut omnium veterum Conciliorum decisiones expendere, immutarent, abolerent; omnes continuo nationes novam eorum doctrinam amplecti debuissent) omnino splendidis miraculis comprobanda erat, non secus ac illa Mosis, Christi et Apostolorum missio, queis ab intrusis legitime missi discernentur. Signa autem nulla unquam proferre poterant alia, quæ si adferrent, quin se missioni ordinariæ submitterent, adhuc ministerii contra divinum ordinem fieret usurpatio.

Obj. VI. Ecclesia Catholica, desæviante CONSTANTII persecutione, facta est invisibilis: sæpe variavit circa dogmata et erravit: ac tandem ANTICHRISTI tempore tota deficiet; itaque proprietates veræ Christi Ecclesiæ eidem non conveniunt.

Resp. 1º. Sectariis respondet SIXTIVS in Spongia notarum: « cum vel maxime sæviret illa persecutio, verissimum fuit illud Augustini, quod Ecclesia in suis firmissimis, tanquam in columnis ædificii immobilitate stantibus, eminebat: » Quippe Patres Seleucienses non subscripsere Arianismo, quia ob sententiarum dissensionem eo in Concilio nihil fuit definitum. Ariminenses subscripsere formulæ de se catholicæ, omnia duntaxat voce *ὁμοδοξίας*, idque per fraudem Arianorum. Episcopi in oriente tunc erant numero 723, in occidente florabant 1316, adeoque S. Augustino teste multa millia Episcoporum; proinde tametsi evincerent Sectarii, Seleucienses Patres 150, et Ariminenses 400 in errorem consensisse, necdum pars major Episcoporum convincitur de lapsu in errorem; et Patres quidem Ariminenses quoad suam subscriptionem conjuncti non fuerunt cum Romano Pontifice. SS. Patres, qui de hujus persecutionis tristissimo eventu acerbius conqueruntur, ii non de omnibus fidelibus, sed de quibusdam provinciis Asiaticis

loquuntur: vel intelligendi, quod pestis Ariana omnes quidem provincias pervaserit, non vero infecerit: vel per auxesin oratoriam rem exaggerant: vel per hæresin innuunt formulam de se catholicam, sed qua contra Catholicos abutebantur Ariani.

2º. Sectarii ut suorum errorum probra tegant, opprobriis onerant sponsam Christi ceu erroribus obnoxiam, idque contra divinas promissiones, contra verbum Dei scriptum et traditum, contra Patrum et Conciliorum sententiam, fidemque omnium seculorum; unde certissime constat, Christi Ecclesiam nunquam mutasse fidem aut mutare potuisse, nullum unquam articulum verum rejecisse, aut falsum asseruisse. Quæ si non esset omnis expertus erroris, frustra sedes aut cathedra Petri ab omnibus christiani orbis partibus, et per septemdecim jam secula consuleretur, veluti iudex et magistra in controversiis fidei: frustra S. CYPRIANUS in epistolis ad Cornelium et Lucium, AUGUSTINUS aliique Patres summorum Pontificum responsa postularent: frustra Galliarum Præsules et Christianissimi Reges ad Innocentium X. Alexandrum VII. et Clementem IX. et XI. circa Jansenii et Quesnelli errores confugissent. Hanc magistratam si audire voluissent sectarii, non jam ipsis sat propudiose confitendum esset, quod eorum sectis nulla competat de proprietatibus veræ Christi Ecclesiæ.

3º. Equidem ANTICHRISTUS magnæ seductionis auctor erit, quin vero pereat tota Ecclesia; imo hujus defectionem non fore generalem, ipsa probant mendacia sectariorum: docent etenim, jam venisse Antichristum, qui sit Romanus Pontifex; nec tamen omnes fideles, quales ipsi suo iudicio sunt, a fide defecerunt. Adhæc verisimilis est sententia, Judæos et Gentiles, qui hactenus Evangelio non crediderant, tum fore ad Christum convertendos.

§ III. COROLLARIA.

Potestatem in energumenos inter prærogativas veræ Christi Ecclesiæ adnumerant omnes orthodoxi, quin ipsi non raro heterodoxi hoc donum Catholicis proprium reipsa confessi sunt. Apud Judæorum gentem plures fuisse energumenos, testantur divina oracula: *Ille (CHRISTUS) transiit benefacendo et sanando omnes oppressos a diabolo*; nec sine divino consilio, ut nempe infensissimus hostis humani generis, qui divinos honores in toto fere terrarum orbe hactenus extorserat, coram legitimo universi Domini prosterneretur, et suæ infirmitatis, miseriæ ac reprobationis confessione divinitatem Messie contestaretur. Quod primis Ecclesiæ seculis APOSTOLI eorumque discipuli daemónicos nomine et virtute Christi frequentius liberaverint, asseverant testes antiquissimi pariter ac fide dignissimi, S. JUSTINUS, S. CYPRIANUS et TERTULLIANUS; eodem Numini consilio, quo Gentilibus præcipue ostenderetur palam summa Jesu Christi potentia in spiritus, tanto tempore nefandos mundi ac naturæ dominos, ut jam quilibet Christianus illos ad detegendas fraudes cogere, et vel Christi nomen ex obsessis valeret expellere. Cum vero diffusa etiam Christiana Religione veri nonnunquam energumeni fuerint oblati, nullis deinceps seculis ea Ecclesiæ potestas defuit, atque eo minus, quod ea apud Indos Gentiles hodieum magis sit necessaria, ex Missionariorum certissima relatione.

JUSTINUS in Dial. cum Tryphone ait: « nos, qui in Jesum credimus, dæ-

monia omnia malosque spiritus adjurantes, nobis subjectos obedientesque habemus; » TERTULL. in Apolog. ad Imp. et Senat. Rom. ita concludit: « quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? ipsi demones litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant. » CYPRIANUS L. ad Demetr. inquit: « si audire eos et videre velles, quantum a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur. » His adde, quod S. CAROLUS BORROMÆUS pueris adeo ordinem Exorcistatus contulerit, ut eo magis confunderet atque convinceret hæreticos de Ministrorum Catholicæ Ecclesiæ potestate in dæmones. Qui plura de his cupit adversus incredulos, adeat doctissimam Dissertationem CALMETI de Energ. verit. Nec non P. CONILLIAT Tom. I. *delle Controv. Liter.* pag. 36. ubi recenset facta hujus generis recentissima, ac speciatim liberationem energumini de anno 1739. in diocesi Aquileensi, et per illam Judæi VENTURA CORMONS celebrem conversionem.



SECTIO II.

SOLA RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA MAGISTRA OMNIS VERITATIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Cum quælibet Respublica rite administrata eos judices constituat, qui subortas lites componant et causas decident omnes; Ecclesia, ne sit deterioris conditionis, haud dubie judices habet, quos in dubiis ac controversiis fidei consulamus, ut nullo dubio titubantes, nulla vacillantes formidine (id quod proprium est divinæ fidei) firmissime assentiamur auctoritati et revelationi divinæ. Atque hinc ipsa ratio monet, et clamat Paulus, ut idem omnes sapiant et dicant, maneatque in unitate fidei, legis, spiritus et charitatis. Cum ergo tollenda sint dissidia, causæ fidei terminandæ, et extinguendæ lites inter Christianos; judice opus est, quem appellemus, et cujus verbis ac decretis standum sit. Huic necessitati ipse etiam BAVLIUS suffragatur. Quis autem id juris sibi arroget, nisi cœlitus illi datum sit? nempe quod fallere aut falli non possit, homo a se ipso non habet; a Deo igitur fallere nescio, qui aliquos divinæ veritatis radio ita collustrat, ut fallere eos non possint, quos Dei nomine affantur, divina nuntiantes oracula. Sed clamitant hæretici fere omnes, solam sacram Scripturam esse judicem, normam et regulam, ad quam cœu ad lydium lapidem omnia dogmata exigenda sunt et judicanda. Addunt alii spiritum privatum dictantem, qui sit spurius aut genuinus sensus Revelationis. Alii præter arbitrium suæ rationis vel nullum circa fidei dogmata judicem agnoscunt, vel primas saltem partes rationi et Philosophiæ deferunt. Sola Religio Catholica illos audit judices controversiarum et doctores veritatis, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,

BAYLE, art. *Maimbourg*, sic ait: « necesse enim est, ut qualibet in communionem tribunal existat, quod summo arbitrato privatorum lites dirimat, et obedientiam negantibus poenam infligat; nulli alioquin remedio locus esset in perturbationibus, et controversiæ forent æternæ. »

§ II. THEMATA.

I. *Sola Scriptura sacra non est supremus ac sufficiens omnium fidei controversiarum Index.*

PROBATIO. Sacer textus Bibliorum loco legis est, non judicis. Lex sane judex esse non potest, ubi de ipsa lege non raro litigatur, et ipsa multarum est dissensionum ac controversiarum causa seu materies. Sacer textus in multis obscurus ac per se intellectu difficilis est; sive res spectentur, quæ sunt mysteria, prophetiæ, leges credendorum et agendorum; sive modus, qui phrases continet ac idiotismos linguis originariis proprios, signa incerta, variam notionem, ambiguitatem et æquivocationem verborum; redundantiam, imperfectionem et hysterolegiam sententiarum; frequentes tropos, figuras et antilogias. Collatio textuum vel difficilis, imo sæpe impossibilis, cum desint textus clariore; vel facta non tollit obscuritatem, uti probant tot controversiæ. Canonem sacræ Scripturæ ipse sacer textus non determinat, unde ingens illud præsertim apud A catholicos dissidium circa numerum librorum divinorum; confugere autem ad Canonem Hebræorum jam est provocare ad alium judicem, et Traditionem admittere. Quin ipsam sui extantiam cœu verbi divini non asserit Scriptura, quod si assereret, idem de se dicit Alcoranus. Genuinam sui intelligentiam et sensum adeo non definit sacer textus, ut LUTHERUS etiam impudentissimæ temeritatis eum arguat, qui vel unum S. Scripturæ librum a se in omnibus partibus esse intellectum jactitet; ac propterea omnium hæreticorum librum esse ac fuisse Scripturam sacram, ipse effutiat. Judice ergo seu interprete indiget, sicut obscurum quodvis aliud testamentum. Demum nec ipsa ullibi dicit, quod sola sit audienda, sed potius pro casu dubii aut controversiæ in Lege ad Sacerdotem remittit fideles, qui dubium solvat et litem dirimat; imo in cathedra Mosis Scribas et Pharisæos sedere Christus, quantumvis huic hominum generi valde infestus, ultro fatetur, quorum quidem non factis, sed dictis standum sit.

Quam ergo perfide Sectarii cuius mulierculæ inelamant: lege, cogita, statue! De his S. HIER. in epist. ad Paulinum scribit: « quæ sunt medicorum, promittunt medici; tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. » Et in libro I. cont. Pelag. ait: « verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazones tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam feminas habere debere; cum Apostolus doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesia, et si quid ignorant, domi viros suos debere consulere. »

His adde plura fidei dogmata, quæ tametsi disertis Scripturæ verbis non exprimentur, credenda tamen sunt, nec ipsis heterodoxis diffitentibus. Pari autem ratione de Traditionibus sentiendum est, quas ut certo rescias esse

monia omnia malosque spiritus adjurantes, nobis subjectos obedientesque habemus; » TERTULL. in Apolog. ad Imp. et Senat. Rom. ita concludit: « quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? ipsi demones litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant. » CYPRIANUS L. ad Demetr. inquit: « si audire eos et videre velles, quantum a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur. » His adde, quod S. CAROLUS BORROMÆUS pueris adeo ordinem Exorcistatus contulerit, ut eo magis confunderet atque convinceret hæreticos de Ministrorum Catholicæ Ecclesiæ potestate in dæmones. Qui plura de his cupit adversus incredulos, adeat doctissimam Dissertationem CALMETI de Energ. verit. Nec non P. CONILLIAT Tom. I. *delle Controv. Liter.* pag. 36. ubi recenset facta hujus generis recentissima, ac speciatim liberationem energumini de anno 1739. in diocesi Aquileensi, et per illam Judæi VENTURA CORMONS celebrem conversionem.



SECTIO II.

SOLA RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA MAGISTRA OMNIS VERITATIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Cum quælibet Respublica rite administrata eos judices constituat, qui subortas lites componant et causas decident omnes; Ecclesia, ne sit deterioris conditionis, haud dubie judices habet, quos in dubiis ac controversiis fidei consulamus, ut nullo dubio titubantes, nulla vacillantes formidine (id quod proprium est divinæ fidei) firmissime assentiamur auctoritati et revelationi divinæ. Atque hinc ipsa ratio monet, et clamat Paulus, ut idem omnes sapiant et dicant, maneatque in unitate fidei, legis, spiritus et charitatis. Cum ergo tollenda sint dissidia, causæ fidei terminandæ, et extinguendæ lites inter Christianos; judice opus est, quem appellemus, et cujus verbis ac decretis standum sit. Huic necessitati ipse etiam BAVLIUS suffragatur. Quis autem id juris sibi arroget, nisi cœlitus illi datum sit? nempe quod fallere aut falli non possit, homo a se ipso non habet; a Deo igitur fallere nescio, qui aliquos divinæ veritatis radio ita collustrat, ut fallere eos non possint, quos Dei nomine affantur, divina nuntiantes oracula. Sed clamitant hæretici fere omnes, solam sacram Scripturam esse judicem, normam et regulam, ad quam cœu ad lydiū lapidem omnia dogmata exigenda sunt et judicanda. Addunt alii spiritum privatum dictantem, qui sit spurius aut genuinus sensus Revelationis. Alii præter arbitrium suæ rationis vel nullum circa fidei dogmata judicem agnoscunt, vel primas saltem partes rationi et Philosophiæ deferunt. Sola Religio Catholica illos audit judices controversiarum et doctores veritatis, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,

BAYLE, art. *Maimbourg*, sic ait: « necesse enim est, ut qualibet in communionem tribunal existat, quod summo arbitrato privatorum lites dirimat, et obedientiam negantibus poenam infligat; nulli alioquin remedio locus esset in perturbationibus, et controversiæ forent æternæ. »

§ II. THEMATA.

I. *Sola Scriptura sacra non est supremus ac sufficiens omnium fidei controversiarum Judex.*

PROBATIO. Sacer textus Bibliorum loco legis est, non judicis. Lex sane judex esse non potest, ubi de ipsa lege non raro litigatur, et ipsa multarum est dissensionum ac controversiarum causa seu materies. Sacer textus in multis obscurus ac per se intellectu difficilis est; sive res spectentur, quæ sunt mysteria, prophetiæ, leges credendorum et agendorum; sive modus, qui phrases continet ac idiotismos linguis originariis proprios, signa incerta, variam notionem, ambiguitatem et æquivocationem verborum; redundantiam, imperfectionem et hysterolegiam sententiarum; frequentes tropos, figuras et antilogias. Collatio textuum vel difficilis, imo sæpe impossibilis, cum desint textus clariore; vel facta non tollit obscuritatem, uti probant tot controversiæ. Canonem sacræ Scripturæ ipse sacer textus non determinat, unde ingens illud præsertim apud A catholicos dissidium circa numerum librorum divinorum; confugere autem ad Canonem Hebræorum jam est provocare ad alium judicem, et Traditionem admittere. Quin ipsam sui extantiam cœu verbi divini non asserit Scriptura, quod si assereret, idem de se dicit Alcoranus. Genuinam sui intelligentiam et sensum adeo non definit sacer textus, ut LUTHERUS etiam impudentissimæ temeritatis eum arguat, qui vel unum S. Scripturæ librum a se in omnibus partibus esse intellectum jactitet; ac propterea omnium hæreticorum librum esse ac fuisse Scripturam sacram, ipse effutiat. Judice ergo seu interprete indiget, sicut obscurum quodvis aliud testamentum. Demum nec ipsa ullibi dicit, quod sola sit audienda, sed potius pro casu dubii aut controversiæ in Lege ad Sacerdotem remittit fideles, qui dubium solvat et litem dirimat; imo in cathedra Mosis Scribas et Pharisæos sedere Christus, quantumvis huic hominum generi valde infestus, ultro fatetur, quorum quidem non factis, sed dictis standum sit.

Quam ergo perfide Sectarii cuius mulierculæ inelamant: lege, cogita, statue! De his S. HIER. in epist. ad Paulinum scribit: « quæ sunt medicorum, promittunt medici; tractant fabrilia fabri; sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. » Et in libro I. cont. Pelag. ait: « verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazones tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam feminas habere debere; cum Apostolus doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesia, et si quid ignorant, domi viros suos debere consulere. »

His adde plura fidei dogmata, quæ tametsi disertis Scripturæ verbis non exprimentur, credenda tamen sunt, nec ipsis heterodoxis diffitentibus. Pari autem ratione de Traditionibus sentiendum est, quas ut certo rescias esse

divinas; alio itidem iudice opus est, qui eodem instructus spiritu ac omnibus expers erroris eos errare non sinit, qui de earum divinitate consuluntur. Ac præterea cum Traditiones sacris Litteris concreditæ non sint, aliquem esse oportet, qui earum curam gerat, easque intactas servet ac integras, alioqui facile mutandas: cum nihil sit, quod tempus non mutet, nisi ab æterno illo spiritu vindicetur ab injuriis temporum.

II. *Spiritus ille privatus Novatorum nequit esse Judex controversiarum fidei.*

PROBATIO. Judex controversiarum fidei publicus sit, oportet, sicut lex fidei nota esse debet, et Ecclesia ex natura sua visibilis est: sed spiritus ille privatus Novatorum occultus est ac latens, qui non videtur, non auditur, prout tamen convenit iudici, qui partibus litigantibus sententiam pronuntiat. Judex seu regula fidei debet esse, sicut ipsa fides, una et constans: sed ille spiritus interior varius est, multiplex et contrarius, in diversis sectariis diversissimus. Regula fidei certa esse debet atque ab omni errore immunis: sed spiritus ille Novatorum mille illusionum, errorum ac schismatum parens est; et a solo Spiritu veritatis habentur oraacula vera, cujus autem divini Spiritus opera non singulis fidelibus promissa est, sed Ecclesiæ et pastoribus. Judex ille coactiva potestate præditus sit, necessum, ut efficax ac irrefragabile ejus sit iudicium adversus contumaces, qui non tam amore veritatis et studio pacis, quam poenarum metu reguntur: qua vero ratione cogat spiritus Lutheri illum Calvinii, aut hic illum ad consensum, cum in multis aperte dissentiant? Nam nemo est hæreticorum, qui suum spiritum non præferat aliorum spiritui; ac proin reget Calvinus Lutherum, aut hic illi, quod MICHEE Domini prophætæ (cum se loqui diceret in nomine Domini) regerebat SEDECIAS pseudopropheta: *per quam viam pertransivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?* Igitur cum ille Novatorum spiritus interior nec res certo definiat, nec legitima nitatur auctoritate, et sepe sibi contradicat; divinæ veritatis ac fidei nostræ regula esse non potest.

Vide 2. Paralip. XVIII.

Quippe si mysteria permittantur cujusvis privato spiritui, inde existet confusio plusquam babylonica juxta illud VINCENTII LIRII in Commonit. I. c. 2. « quia Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ et Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiasticæ et Catholici sensus normam dirigatur ». Idem ante dixerat EUSEBIUS CÆSAR. contra Marcellum Ancyran. c. 1.

III. *Nec Rationi humanae, nec Principi seculari competit Judicium infallibile in controversiis fidei.*

PROBATIO. Cum sit fides nostra sperandarum substantia rerum, et argumentum non apparentium; cumque objectum fidei sint revelationes, dogmata et mysteria, quæ rationem transcendunt, incomprehensibilia Dei judicia, et investigabiles viæ ejus; imo cum meritum fidei non sit, ubi humana ratio præbet experimentum; præmium autem fidei ei sit promissum, non cui caro, sanguis aut ratio, sed cui credenda revelavit pater, qui in cælis est; igitur omnis intellectus omnisque altitudo extollens se adversus scientiam Dei captivari debent in obsequium fidei. Cæcutit ratio in naturalibus, et cespitat in moralibus; qui dux esse possit in supernaturalibus? Expendat ratio diligenter motiva credibilitatis: facem præferat tum ad Revelationem, tum ad Ecclesiam, quæ custos est Revelationis, cognoscendam: at ubi eo perventum, sistat ratio, et sola nos ducat auctoritas.

Hunc errorem jamdum in Manichæis valide repressit S. AUGUSTINUS in L. de Utilitate credendi; qui etiam in Epist. 143. docet: « Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest. » Et L. IV. de Trinit. c. 6. « contra rationem nemo sobrius, extra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus senserit. » Videantur hic BOSSUET, *dernier avertissement aux Protestants*; et MURATORIUS de ingen. moder. in Religionis negotio L. I. c. 5. contra Jacob. Basnage et le Clere, qui sub larva Joannis Phereponi intemperanter hic vellicat S. Augustinum.

Porro cum Princeps secularis seu Magistratus politicus (qualis tempore Christi instituentis Ecclesiam nullus erat inter fideles) nec auctoritatem, nec infallibilitatem in rebus fidei acceperit, quæ soli Ecclesiæ et promissa et data fuit; cum Christus (cui pater dedit omnem potestatem) politicam et sacram ita ipse discreverit, ut hanc Petro concedens et Apostolis, illam relinquens Tiberio, Sacerdotium voluerit divinis ministrans, Imperium autem humanis præsidens; cum primus Imperatorum Christianorum CONSTANTINUS M. se duntaxat Episcopum diceret eorum, quæ extra Ecclesiam geruntur, THEODOSIUS, BASILIUS, HONORIUS, JUSTINIANUS ac fere omnes Christiani Principes illicitum esse fateantur et sibi et omnibus laicis (cum non sint ex ordine sanctissimorum Episcoporum) Ecclesiasticas causas tractare, et solum sibi munus Advocatiæ sumpserint. Mirum sane ac insolitum foret, si seculares darentur Principes, qui rebus sacris profanas manus admovere ausint, novos in re fidei canones condere priscis abrogatis, Conciliis præesse auctoritate et suffragio, ritus inducere ac mutare sacramenta. Quin et insolitum magis, si id sibi juris Doctores acatholici arrogarent: qua enim auctoritate id agis, heterodoxe? divina; sed ubi signa et testes? ubi patentes litteræ? spiritu Dei te agi sentis? etiam jurato non crederem. Illa igitur auctoritas definiendi controversias fidei a Deo est, atque a Deo in illos derivata, quos Deus posuit in Ecclesia Catholica unice vera Doctores et Pastores.

IV. *Judex infallibilis et Magistra omnis veritatis certissima est Ecclesia Christiano-Catholica.*

PROBATIO. Nemo in propria causa judex est, minus in re gravissimi momenti, qualis est illa Religio unice veræ et salvificæ; ergo cum hic consulere judicem oporteat nulli errori obnoxium, quem in spiritu illo interiore non invenias, nec in sacris Codicibus, nec in Traditionibus, nec in teipso, nec in mortalium quopiam, qui solum privata auctoritate polleat; hoc restat unum, ut Ecclesiam consulas, in qua divino spiritu gubernata, indeficiente ejus afflatu directa, et supernaturali potestate prædita invenias certam et ultimam fidei regulam, divinæ veritatis firmam columnam et fundamentum, omnium controversiarum fidei judicem ab omni errore immunem. Contendo adversus Aatholicum, extra Ecclesiam Catholicam eum salvari non posse; is contrarium asserit, ac suam defendit sectam; en causam et litem! quis tandem arbiter erit in causa, quæ (cum in illa salus vertitur) incorruptum postulat et fallere nescium? Officiosus monitor insto, privatus tamen; audire si renuit, testes accerso; si pervicax manet, rem ad Ecclesiam defero, de cujus judicio omnes Catholici sentiunt cum S. AUGUSTINO: « Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas. » Per Ecclesiam intelligo caput visibile Ecclesiæ sive Christi in terris Vicarium et præsides Ecclesiarum, quos Deus doctores instituit, ut doceant, pastores, ut pascant, magistros ac moderatores, ut regant, judices, qui solvant ac ligent, ita ut, quæcumque solverint vel ligaverint in terra, etiam soluta vel ligata sint in cælo; quos qui audit, Deum audit, qui spernit, Deum spernit. Igitur Ecclesiæ et quidem Catholice auctoritas suprema est, cum nullum in terris agnoscat superiorem; et cum tribunal Ecclesiæ sit ipsum tribunal Christi ceu capitis et sponsi Ecclesiæ, ab Ecclesiæ sententia non appellatur, quam qui audire renuit, ethnici et publicani loco habendus est.

Obj. I. Scrutari Scripturas sacras, multoties Judæos admonuit CHRISTUS, ipse non semel provocans ad Moysen et Prophetas. PETRUS, PAULUS et STEPHANUS, Magistrum imitati, ad faciendam dictorum fidem, ea selectis et appositis sacri textus testimoniis firmarunt sæpissime; est ergo Scriptura sacra lex et norma omnis veritatis.

RESP. Probant enimvero argumenta ejusmodi, sacrum Bibliorum textum esse legem a supremo Legislatore Deo latam, divinorum decretorum ac judiciorum Codicem, responsorum æternæ sapientiæ Digestum, Tabulas Dei digito sculptas, Novellas legis gratiæ, Authentica divinæ fidei, ac æternæ Veritatis Testimonia. Legem video, testem audio, sed ubi judex? cujus est ita sententiam ferre, ut deinde partibus innotescat, quod Scripturæ non competit; numquid in Scriptura duo sunt, littera et sensus? illa occidit, hic obscurus est. Multa in controversiam cadunt, quorum Scriptura non meminit. De ipsa S. Scriptura non raro fit disceptatio. Nunquam usus obtinuit sive in Veteri sive in Nova Lege, ut Scriptura in omnibus judex esset; atque in judiciis etiam politicis et civilibus lex scripta judex non est, sed Magistratus. Et nos sacras litteras ad exemplum et præscriptum Christi ac Apostolorum legimus, citamus, veneramur, osculamur ceu sacras leges, non vero ut

judices. Iis nos instituimus, inde ad refellendos errores argumenta ducimus, inde spem nostram alimus atque fovemus; sed illarum decreta, promissa et statuta accipimus a Magistratu vivente, a quo publicantur, promulgantur, proponuntur, exponuntur, idque ejusdem spiritus opera, qua condita sunt. Quod nisi fiat, quis tot nodos solvere, tot linguas ac versiones callere, tot ænigmata explicare, tot tropos, metaphoras et allegorias intelligere, tot controversias et lites componere, tot demum hæreses ex pravo Scripturarum intellectu subortas confodere valeat? Exemplo sunt illa verba Christi, *hoc est corpus meum*, quæ, tametsi clarissima, varii Sectarii, teste VALENTIA, ad octoginta diversas interpretationes detorserunt.

Demum quod Christus Judæos remittat ad Scripturas, in quibus expressum erat factum, quod illi negabant; id quidem merito. Verum quod (JOANN. V.) disputans cum Judæis, qui negabant, ipsum esse Filium Dei, eos revincat non solo testimonio Veteris Testamenti, sed testimonio etiam miraculorum, testimonio Joannis Baptistæ, nec non testimonio Patris cœlestis; hoc ipso innuit Christus, solam Scripturam semper et ubique neutiquam sufficere.

Obj. II. Spiritus ille interior potest esse, et fuit sæpe divinus; qui sacris etiam paginis firmatur testantibus eos, qui divinis oraculis insistunt, spiritu Dei agi, ceu oves Christi vocem ejus audire, et a solo Deo per unctionem internam edoceri.

RESP. Fuerint, sed pauci admodum, qui ex singulari Dei beneficio controversias fidei illapsu Spiritus sancti illico solverint; quo autem jure hoc speciale privilegium omnes sibi vindicant Sectarii? potuerit Deus hoc munus concedere omnibus, ut interior spiritus sine externo magisterio eos abunde edoceret; ast quo fundamento asseritur, illud omnibus concessum esse? numquid certa experientia constat de opposito, cum spiritus unius spiritui alterius adversetur, unus vero idemque sit Spiritus veritatis, sicut una veritas est? Deus liberalissime concesserit Sectariis, quod vixdum concessit S. PAULO et CORNELIO Centurioni: huic S. PETRUM et illi ANANIAM designans magistros fidei et salutis? Sed oves Christi ejus vocem audiunt: recte Christi vocem audit, qui Ecclesiam audit et Pastores a Christo constitutos: nam *qui vos audit, me audit*. Sed docemur a Domino, et sumus docibiles Dei, quia scilicet Deus non in Prophetis, sed in Filio nobis locutus est, qui sicut exterius voce nos docet, ita interius adjuvat, ut credamus et faciamus, quæ suggerit. Quod autem S. JOANNES monet, necesse non esse, ut aliquis nos doceat, sed unctionem ejus, qui docet nos, sufficere; hoc potius elidit illum spiritum privatum, id solum exigente Apostolo ab iis, quos in Christi fide instituerat, ut in ea doctrina permaneant, quam interioris opera gratiæ, quæ est illa unctio spiritus, initio ab Apostolis acceperant; cum novis doctrinis opus non sit, quas pseudo-apostoli disseminabant. Quid igitur hæc omnia ad spiritum illum internum et privatum?

Denique si spiritus ille interior unicus omnis veritatis magister est; frustra Doctores consulimus, frustra coguntur Synodi, frustra Petrus oves et agnos Christi pascere et fratres suos in fide confirmare jubetur. Edicant, quæso, Sectarii, qua ratione suum probent spiritum, cum probandus sit omnis spiritus, utrum ex Deo sit? qua ratione ex hoc suo spiritu convincant seu Theistam, quod extet aliqua Scriptura sacra; seu Turcam, quod ejus Alco-

ranus; seu Judæum, quod ejus Talmud non sint Scriptura sacra aut libri divini, cum uterque ex spiritu suo privato hosce libros suos judicet esse divinos?

Obj. III. In sententia ergo Catholicorum de Ecclesia ceu supremo Jdice, Ecclesia erit supra Scripturam divinam: Verbum Dei firmitatem accipiet ab Ecclesia, et suis Ecclesia judiciis faciet quosdam fidei articulos, qui ante ejus sententiam non erant. Hæc autem quam sint falsa et absona, nemo non intelligit. Unde non abs re BEAUSOBRIUS videtur, quod illa gnome Augustiniana de Ecclesiæ auctoritate incauto exciderit in æstu disputationis.

Discours sur les livres apocryphes.

Resp. Quanta sit Ecclesiæ erga divinum Codicem, ceu præcipuum fontem Revelationis, veneratio, demonstrant asserta hactenus plurima. Habet Ecclesia tanquam certissimum, ea esse vera, quæ in sacris paginis consignantur; quis vero genuinus illorum sensus sit, reverenter inquirat et judicat; non quidem pro nutu, sed juxta Traditionem. Non ergo Ecclesia supra Scripturam est, sed tantum supra privatorum hominum judicia. Si vero Ecclesia judicat non de veritate Scripturæ, sed de vario sensu, qui eidem affingitur; non jam Scripturæ accedit robur ab Ecclesia, cum illa non sit verior ob talem Ecclesiæ interpretationem; sed talis Scripturæ interpretatio est verior, quando ab Ecclesia confirmatur. Exemplo sit Magistratus politicus, qui legem designando, de authentia legum testificando, et genuinum legis sensum declarando, nihil sibi excellentiæ tribuit supra ipsum legum Codicem. Neque novos facit Ecclesiæ articulos fidei; sed qui sint a Deo revelati, eos definit ex verbo Dei, eosque aliquando evolute magis pro temporum necessitate, aut insurgentium hæreticorum oppugnatione aperit et explanat. Hanc, si per sexdecim secula perquiras sensum SS. Patrum et fidelium, hanc et non aliam reperias ideam Ecclesiæ, scilicet decidentis, definentis, docentis, et rebelles anathemate ferientis. Docentem si audivissent sectarii, non sensissent ferientem.

BEAUSOBRIUS magni Augustini cavillator in multis nullam hic fidem, et vix responsum meretur. Loqui ibidem S. Augustinum non de simplici testimonio Ecclesiæ pro Evangeliorum authentia, sed de auctoritate Ecclesiæ definitiva in rebus fidei, evincit contextus: « quibus ergo obtemperavi dicentibus, crede Evangelio; cur eis non obtemperem dicentibus mihi, noli credere Manichæis? » Evincit genuinus illius sententiæ sensus, qui est hujusmodi: ego Evangelio fide divina non adhærerem, nisi prius perspicuis evidentibusque rationibus cognoscerem, Ecclesiam, quæ mihi Evangelium ut verbum divinum commendat, mentiri et me decipere non posse. Loqui autem S. Doctorem vere ac prudenter, patet inde, quod nemo prudenter ut verbum Dei ea accepisset, quæ prædicabant Apostoli, nisi prius evidentia motiva credibilitatis dignitatem et auctoritatem Apostolorum populis persuasissent.

Habeat demum BEAUSOBRIUS sibi illud S. AUGUSTINI L. de Utilit. credendi: « nolle Ecclesiæ primas dare, vel summæ impietatis est, vel præcipitis arrogantia. »

Obj. IV. Catholici manifeste oberrant in circulo vitioso, dum Ecclesiam per Scripturam, et hanc per Ecclesiam confirmant. Ecclesiam aiunt falli non

posse in rebus fidei, quia sacra Scriptura id enuntiat. Scripturam aiunt esse verbum Dei, quod fallere non possit, cum Ecclesia id definiat. En! quam vitiose discurrant Catholici.

Resp. Verius dixerim, vitiosum esse circulum, in quo Aatholici obambulant, dum Scripturam probant per interiorum spiritum, et hunc per Scripturam. Res est Catholico cum Aatholico, qui Scripturam admittit? Facilis et plana est via circulum evitandi: Scriptura, quam vos admittitis, docet Ecclesiam Christi veram esse infallibilem, ergo est infallibilis; qui modus probandi nec infrequens in SS. Paginis, ipsomet Christo contra Judæos arguente: *si crederetis Mosi, forsitan crederetis et mihi*; nec apud SS. Patres, eundem in sensum arguente S. AUGUSTINO contra Manichæos, qui Christum et Evangelium agnoscebant, Mosén et Prophetas abnegabant. Res est Catholico cum infideli, qui nec Scripturam sacram, nec Ecclesiam Christi agnoscit? alia quidem est via, sed æque plana absque vitio circuli, invictè probandi et divinitatem Scripturæ ex argumentis ab infallibilitate Ecclesiæ non dependentibus; et infallibilitatem Ecclesiæ aperte evincendi momentis a Scriptura non dependentibus. Illam demonstrant tot prophetiæ eventu completæ, summa et plurima miracula, populorum consensio, doctrinæ sanctitas, sublimitas et concordantia, nec non Martyres innumeri; quarum vis rationum gravissimarum insuperabilis ab infallibilitate Ecclesiæ non petitur. Hanc sine oraculis Scripturæ evidentia morali summa æque comprobant argumenta omnia (videlicet characteres, proprietates et prærogativæ) queis hactenus demonstratum, Ecclesiam Christiano-Catholicam esse unice veram Christi Ecclesiam, summaque et infallibili præditam auctoritate.

Hac vero auctoritate sic demonstrata Ecclesiæ infallibilitas evidenter credibilis Scripturam proponit et declarat esse divinam, cujus revelationes credendæ sint omnes non ob testimonium Ecclesiæ, quæ solam habet rationem causæ applicantis; sed propter auctoritatem Dei Revelantis, quæ est formalis causa seu motivum credendi; fere sicut minister Regis deferens litteras regias inducit quidem ad fidem et ad obedientiam decreto Regis præstandam, sed propter auctoritatem Regis. Cum vero Scriptura sacra sic admissa ceu divina adstruat infallibilitatem Ecclesiæ; hanc firmitus, quin firmissime jam credimus propter Dei Revelantis infinitam sapientiam ac veracitatem. Non est ergo vitium circuli, ubi via duplici planissima et verissima, ratione scilicet et fide, demonstrantur divinitas Scripturæ et infallibilitas Ecclesiæ; quo ex utroque capite de summis totius Christianæ Religionis regulis certissimi sunt Catholici.

SECTIO III.

SOLA RELIGIO CATHOLICA DUX AD SALUTEM CERTISSIMA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Unus est CHRISTUS salutis nostræ auctor; et nemo novit Patrem, nemo venit ad Patrem, nisi per Filium Interecessorem ac Mediatorem. Una est Lex Christiana, quæ docet veritatem; ac proin una tantum salutis via, quæ ducit ad vitam, et arcta quidem via, prout docet Christus, qui uti veritas est, cui fidem habere, sic et via, quam sequi, et vita est, quam consequi debemus. Igitur ea unice vera est fides seu Religio, quæ Christum sui auctorem habet et Caput Ecclesiæ, cujus membra Capiti adhærent, atque in et cum Christo manent; in qua sunt oves Christi, et vocem Christi audiunt; in qua est spiritus Christi, spiritus veritatis et charitatis; in qua sunt claves regni cælorum a Christo; in qua est Christi in terris Vicarius; in qua demum fideles præcepta et consilia Christi perfectius exequuntur. Ut autem Christus coarctaverit viam salutis, non tamen imperviam fecit ulli veritatis studioso et salutis vere sollicito; nam inter tam multas Christiani nominis sectas (quæ in Oriente et in Occidente vigentes se invicem mordent ac lacerant) invenire veram omnes possunt, quam Deus semper ceu veram ita præ cæteris inclarescere voluit, ut hæc ab altera quadam nunquam separata (sed a qua omnes reliquæ secessionem fecerint) inde ab ævo Christi veritatis et possessione et evidentissimis signis præfulgeret.

§ II. THEMATA.

I. Religionem Christiano-Catholicam ceu unice salvificam omnes debent profiteri.

PROBATIO. Quisquis ab Ecclesia, cujus Caput est Christus, descivit, conjunctus cum Christo esse non potest: membrum enim a corpore rescissum nequit esse cum capite conjunctum. Cum vero Ecclesia Romana (in qua est Religio Christiano-Catholica, et in qua Christus ceu Caput Ecclesiæ sui in terris Vicarium constituit) vera duntaxat Christi Ecclesia sit: quisquis ab ea descivit cum sectariis, in ea non est, nec manet in mystico Christi corpore; cum Christo igitur non est; contra Christum igitur est. Sed quisquis cum Christo non est, salvari non potest, quia cum Christo sancti omnes regnabunt, et ubi Christus est, illic et minister ejus erit. Nimirum ædificata est fides salvifica, vera Religio et Catholica Ecclesia super fundamentum Apo-

stolorum: fundata autem est a Principibus Apostolorum Petro et Paulo Romana Ecclesia tanquam centrum ac vinculum unionis Catholicæ, et ceu radix et matrix Ecclesiæ Catholicæ, a qua exoritur unitas Sacerdotalis, ad quam necesse est, Ecclesiam omnem convenire, in qua est fides et cathedra Petri, ad quam perfidia non habet accessum, et in cujus communione est integra et vera Christianæ Religionis soliditas. Atque inde omnium SS. Patrum hæc fuit sententia, quod communicare cum Romano Episcopo sit communicare cum Catholica Ecclesia; quod communio cum Romana Ecclesia sit necessaria, ut quis Catholicus audire posset; quod communione consociari cum Ecclesia, quæ est ædificata supra petram, sit consociari Petri successori seu Cathedræ Petri; quod quicumque non colligit cum Romano Pontifice, spargat dispergendus ipse a tritico fidelium, et a cœlesti horreo salvandorum.

En præcipua antiquissimæ Traditionis elogia: IRENÆUS L. III. adv. Hæres. c. 3. «maxima, inquit, et antiquissima, et omnibus cognita, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundata et constituta Ecclesia... ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.» TERTULLIANUS L. de Præscript. c. 36. «Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adequatur.» CYPRIANUS epist. 52. «factus est Cornelius Episcopus, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri et gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.» Ibidem: «scripsisti etiam, ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium transmitterem, ut sciret, te secum, hoc est, cum Ecclesia Catholica communicare.» Idem Epist. 43. ad Cornel. ait, «Romanam Ecclesiam radicem esse ac matricem Ecclesiæ Catholicæ.» S. AMBROSIIUS L. de excessu fratris, n. 47. «advocavit ad se Episcopum... percontatusque ex eo est, utrumnam cum Catholicis Episcopis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret?» S. HIERONYMUS Epist. 14. ad Damasum P. scribit: «ego beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.» In eundem sensum conspirant tum AUGUSTINI, tum aliorum intra et extra Concilia Patrum effata clarissima.

II. Religionem Christiano-Catholicam præ omnibus aliis Sectis evidenter credibilem omnes possunt profiteri.

PROBATIO. Ecclesia Catholica sicut ex eo ceu unice vera et ad salutem necessaria evincitur, quod ejus doctrina cum Evangelio Christi magis consentiat, ipsa vero Christi præcepta et consilia exactius sequatur, et jamdum ab ævo Christi in veritatis possessione fuerit, semperque auctoritatem falli nesciam sibi tribuerit ac exercuerit, atque a prærogativis et proprietatibus veræ Christi Ecclesiæ in hunc diem usque sola resplendeat; ita ex eo conspicua ac discernibilis quovis loco et tempore fuit, quod semper Una, Sancta, Catholica et Apostolica manifestissimæ veritatis et antiquitatis notas præferret, ita ut etiamnum hodie soli Ecclesiæ Catholicæ ea competant signa, ex quibus olim S. AUGUSTINUS contra Manichæos veram Christi Religionem

demonstravit. Sunt autem « sincerissima sapientia Sanctorum, consensus populorum, auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, non interrupta tot seculis Sacerdotum in sede Petri successio ». In his vero cum deficiant Sectarii omnes, hanc chordam de evidentiore credibilitate raro vel invite tangunt, maxime cum suam aut LUTHERI aut CALVINI aut SOCINI sectam contra hodiernos Theistas ostendere nequam possint, ceu fide dignam et placitam præ tot aliis in Oriente et Occidente sectis Christianorum, nedum præ Catholica Ecclesia.

Obj. I. Religio est centrum omnium, quæ sunt in mundo, et quæ sunt in homine, et quæ fiunt ab homine, cujus sensus conformis sit oportet iis, quæ docet Religio; hæc ergo ut vera sit ac necessaria, evidens debet esse, ita ut impossibile sit, eam a quoquam ignorari. Verum talis non est Religio Catholica, in dogmatibus obscura, in mysteriis profunda, et quoad præcepta nullis incognita.

Resp. Ipsamet vera Religio hæc tradit principia: 1^{um}. quod fides divina non sit sine velamine, et velut in ænigmate videat; quod Deus lucem habet inaccessibilem; quod Christus sit Deus vere absconditus, non se revelans superbis ac sapientibus hujus mundi, sed parvulis; futurus lapis offensionis, positus in ruinam multorum, nempe impiorum atque incredulorum. Attamen Deus ex ratione, ex creaturis, ex fide; fides et Ecclesia ex eventibus signis certissime innotescunt, Deum, fidem et Ecclesiam inquirentibus: 2^{um}. quod hæc omnia non inlarescant, nisi Deum, fidem et Ecclesiam ex toto corde inquirentibus; primum ergo nempe obscuritatem fidei, quam ipsamet adstruit Ecclesia in rebus fidei, perperam Ecclesie exprobrant increduli, merito exprobandam, si summam in omnibus claritatem ac evidentiam ipsa prædicaret; alteram magis perperam negligunt increduli, adeo ex toto corde non inquirentes veritatem fidei, ut ubi unam alteramve horum legendis sacris Scripturis impenderint, vel questiones aliquot super res fidei viro Ecclesiastico proposuerint, posthac incurii veritatis indagandæ, quam frustra et in libris et inter homines se quævisse jaclitant, demum Religionem et Ecclesiam spernunt hominum stultissimi, cum sapientissimi cupiant videri.

Obj. II. Obsequium fidei debet esse rationale; ergo et rudibus, qui motiva credibilitatis aut ignorant aut non penetrant; et doctis, sed qui nullum unquam viderunt miraculum ceu præcipuum divinæ Religionis sigillum; igitur utrisque sine sufficienti ratione imponitur Religio Christiano-Catholica velut ad salutem unice necessaria.

Resp. Fides divina et lumen et donum Dei est, quo in lumine nemo rite ambulat, nisi cujus cor Deus inclinatur juxta illud PROPHETE: *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* Credunt rudes absque ratiocinio, ac æque bene de Deo judicant, quam docti; hi quidem intellectu, sed illi corde, quod cum Deus inclinatur ad credendum, de veritate Religionis efficacissima iis persuasum est. Ex interna cordis dispositione, cui conforme est, quod de Religione nostra audiunt, sese sentiunt a Deo, ad Deum, et propter Deum esse; renuunt amare, nisi Deum; nesciunt odisse, nisi seipsos et peccatum; vere humiles, qui indignos se agnoscant divina amicitia et incapaces divinitatis partici-

pandæ, nisi Deus traxerit eos; vere rationabiles in obsequio fidei, quod Deo præstant, et cui propter Deum firmissime adhærent. Quamvis autem ejusmodi rudis fidelis infidelem, qui de sua secta æque se convictum dicat, confutare non valeat; tamen ex hujusce rudis fide confutabit infidelem doctus quivis alius fidelis. Discant ergo increduli humilitatem coram Deo ex agnitione sui nihili, diffidentiam sui ex eo, quod nihil possint sine Deo, et a Deo nihil meriti sint præter iram; discant orationis necessitatem, qua veniam impiæ incredulitatis, et piæ credulitatis gratiam impetrent a Deo; et quamvis nulla viderint miracula, quorum tamen certa fides facile acquirenda est, rationale obsequium præstabit Deo ad sua testimonia cor eorum inclinanti; secus ad summa etiam prodigia obdurandi cum Ægyptiis, et ad splendidissima miracula excæcandi cum Judæis.

Obj. III. Inter tot sectas et sectarum inter se dissidia difficillimum est, eas omnes examinare, ac tandem unice veram dignoscere. Quid enim si nulli hactenus Religioni addictus adventet in Europam, et magno cum clamore invitent Zwingliani, Anabaptistæ, Puritani, Hussitæ, Sociniani, Lutherani, Calvinistæ et Catholici: quo se vertat miser? quam præ aliis, et cur hanc, non illam, eligat Religionem?

Resp. Eam eligere Religionem, quæ characteribus, proprietatibus et prærogativis veræ et salvificæ Ecclesie eminet una, omnibus possibile est ac necessarium. Exoritur seditio in Republica; figat desertor aliquis vexilla regia in loco eminentiore, ut iis conspectis subditos Regis suas in partes trahat. Num liceat subditis ad hæc vexilla desertorum convolare? sicut ergo hæc in casu eo recurrendum est, ubi Duces Regis et Magistratus legitimi; ita inter tot sectariorum ceu desertorum vexilla confugiendum est ad eam Ecclesiam, in qua sunt veri et apostolici Pastores, hoc est, ubi apparet antiquitas, universalitas, successio, unitas. Hinc S. AUGUSTINUS: « Nullus, inquit, prædicans nomen Christi, et gestans ac ministrans Sacramentum Christi, sequendus est contra unitatem Christi. » Sectarii non minus ab Ecclesia Romana, quam Samaritani a Synagoga segregati sunt; qui cum a Synagoga se scinderent, amiserunt continuam Pontificum in Sacerdotio successionem, quæ, teste JOSEPHO, non erat in Samaria, sed in Judæa; exciderunt vero Dei Templo, cum, eodem teste JOSEPHO, templum in monte Garizim circa ALEXANDRI M. tempora recentiora fuerit ædificatum; atque ita, etsi totam Judæorum doctrinam servassent, communicatio tamen cum Judæis concessa non fuit. Samaritanos ex duplici hoc capite, et quod summum Pontificem repudiaverint, et quod templum Hierosolymitanum deseruerint; errasse, fuisse hæreticos, et salvari non potuisse in suo schismate, oraculum fidei est ex ore æternæ veritatis: *Salus enim a Judæis est.*

Sectarii potiore jure a via salutis excluduntur, quo luculentiora suppetunt testimonia pro PETRO et ejus Successoribus, quam pro AARONE, ceu summo Pontifice suprema et infallibili auctoritate prædico: Petro enim claves regni cælorum traditæ sunt a Christo, ligandi atque solvendi collata potestas, fides illius verbo Domini confirmata, fundamentum Ecclesie in eo collocatum, pascere oves et agnos trina indictione jussus est, ab aliis Apostolis consultus, primi Concilii præses, primus illud pronuntians oraculum: *visum est Spiritui Sancto et nobis.* A Petro tam est traductum jus Pontificum in ejus

Successores, quam ab Aarone in summos Judæorum Sacerdotes; et par utrinque ratio est, imo potior pro Petro, qui illius Ecclesiæ caput fuit, contra quam portæ inferi nunquam prævalerent; quod certe de Synagoga, cujus Aaron caput fuit, et quæ ante consummationem sæculi destructa fuit, dici haud potest. Adhæc erroris et schismatis utrinque fere par ratio est, nisi quod longe plura esse videantur, in quibus errant sectarii, quam olim essent errores Samaritanorum. Præterquam quod in tanta Doctorum et Patrum copia, in tot Conciliorum oraculis plus lucis rebus fidei modo affulgeat, quam olim affulsit. Si ergo salus a Judæis tunc erat, nunc est a Romanis, ita ut, qui cum Ecclesia Romana seu Matre et Magistra, et cum ejus Episcopo seu Capite Ecclesiæ Catholicæ non communicat, foris sit, et a via salutis absit longissime.

Obj. IV. Religio Catholica enervat verum animi robur, obstat commodis Reipublicæ, inhibet florem studiorum, aggravat onus et jugum Christi leve tot festis, tot jejuniis, tot legibus, tot officiis, ut æque aut magis sit importabile, ac illud Judæorum; vera igitur Religio non est, quam Christus instituit seu legem gratiæ, charitatis et libertatis.

Resp. Non est, quod sectariis invideant orthodoxi cives, quorum Religio Catholica cum tranquillitate status externa vel maxime internam quærit, suisque procurat. Testis est experientia, quod Imperium et Regna, quamdiu unius fidei erant sub uno Ecclesiæ Capite, longissimo tempore optata pace fruerentur, scientiis, artibus et virtutibus efflorescerent; et quæ fuerit Regnorum ac Imperii tranquillitas et felicitas tum, cum vetus et catholica Religio a sectariis repudiaretur, testantur annales, bella, patriæ clades et funesta in hunc diem rerum facies. Nonne Græcia, cum alias mirabiliter floreret litteratura et sanctimonia, armis et rerum gestarum gloria; nunc obscura jacet, ignorantia errorumque tenebris involuta, sine litteris, sine virtute, sine ulla nominis fama? ingeniosos homines nobile illud solum vix alit amplius, nec strenuos, nec sapientes. Obmutuit illa eloquentia: amplissimæ civitates dirutæ ac desertæ, et frequentissimæ olim regiones nunc maxima incolarum penuria laborant. Majorem credendi vivendique licentiam promovere pacem et bonum Reipublicæ, falsissimum est: nam quod non est honestum, imo quod legibus divinis et humanis adversatur, utile esse nequit. Credendum ergo id omne, quod Deus revelavit et Ecclesia proposuit, sive plura sive pauciora sint; et agendum id omne, quod Christus vel Ecclesia auctoritate Christi præcipit agendum, sive plura sive pauciora sint; quod quidem onus et jugum mire allevat superabundans Christi gratia, et compensat merces magna nimis.

Ritus quod attinet, qui laicis competunt, simpliciores esse vix possunt. Si quid Ecclesiastici ex singulari ritu adhibeant in victu, vestitu, cantu, ac totius vitæ instituto; quid ista ad laicos? an horum oculus nequam est, quia illi boni sunt? Si saccum, cilicia, flagella, jejunia horreant laici; hæc tamen alii sanete usurpant. Vix non locum hic illa popularis parœmia habet, canem scilicet olitoris nec edere caules, nec pati, ut alii edant. Sacramentorum usus, Pœnitentiæ præsertim et Eucharistiæ, num facilius esse possit? flagellationes ac pœnitentiæ publicæ in usu amplius non sunt: præcepta Ecclesiastica, quæ universos stringant, pauca sunt et facilia: annua synaxis laxior

nonnullis visa est: festorum indictio quædam tertiæ præcepti declaratio est, et simul festorum celebratio magna saltem ex parte animo remittendo inservit: pauca illa jejunia per annum præscripta adeo facilia sunt, ut vix jejunii nomen mereantur, a quibus etiam tantula causa fideles eximit. Mirum, de his minutiis conqueri heterodoxos ad conflandam Catholicis invidiam, cum vix ulla sit secta, quæ suis longe gravius jugum non imponat; et Regnum cœlorum ex effato divinæ veritatis vim patiat; et indubie parendum esset Ecclesiæ, si alia longe difficiliora imperaret; quid enim pro æterna salute fieri non debet?

Obj. V. Si tot tantisque signis refulget Ecclesia Catholica; ergo facili eam negotio omnes dignoscere et adirent. Sed rudes, sive sint, sive non sint de Ecclesia Catholica, vix quidquam sciunt de hisce notis et signis. Si unice vera est; ergo incredibilis est paucitas fidelium præ illis, qui erant de Synagoga, prout Philo testatur; ac fere Donatistarum sectæ similis erit illa Catholicorum. Si unice necessaria est ad salutem; ergo ab omnibus iis, qui Christiani quidem, at non Catholici audiunt, mutanda est Religio, quod valde propudiosum summeque damnosum foret. Hæc vero sequelæ omnino abhorrent ab infinita bonitate Redemptoris.

Resp. Christianus es, et inter omnes Christianorum sectas investigas veritatem, quæ non nisi una est? regulam accipe a Tertulliano: illa sola vera est Religio et Ecclesia Christi, quæ ab Apostolis fundata, ac inde ad nos non interrupta serie successionis Apostolicæ propagata est; a qua omnes sectarii vel suapte discesserunt, vel propter contumaciam rescissi sunt. Quotiescumque enim hæresis enata est in gremio Ecclesiæ, Ecclesiæ tribunali subjecta est, ita ut, qui judicio Ecclesiæ non acquiesceret, ab unitate illius Ecclesiæ præscinderetur. Cum igitur eujusvis hæresis exorta ac condemnata locus et tempus designari, Ecclesiæ vero Romanæ initia non nisi ab Apostolis repeti possint; et huic soli Ecclesiæ prærogativam successionis Apostolicæ convenire, facile demonstrari potest, uti hactenus demonstratum; nequaquam tanta est, quantam prætexis, difficultas detegendæ veræ et salvificæ Religionis, quæ duntaxat Catholica est.

Quod Philo suorum Judæorum immensum prope numerum extollat; inde est, quod (uti a Patribus jam olim adnotatum) in suo censu ipsos etiam Christianos complecteretur; et cum de suis Essenis scribit, manifestum est, eos fuisse Christianos. Quantum absimus a Donato; tam ipse testari potest, utpote ab Ecclesia Romana condemnatus; quam Donatistæ, qui suam ipsimet fatentur concludi Ecclesiam intra fines Africa; cum fides Romanæ Ecclesiæ prædicata sit in universo mundo, et tot ubivis terrarum sibi unitos fideles, hoc est, Catholicos habeat, quot nulla alia Christianorum secta aut habuit unquam, aut habet. Adde demum hic alios characteres et proprietates, quæ soli conveniunt Catholicæ Ecclesiæ. Hanc ergo ingredi omnes et possunt et debent.

Nec est, quod inconstantia et levitatis probrum timeatis, heterodoxi! nempe in melius mutare, sapientis est. Parentes vestri, qui ab Ecclesia discesserunt, justam hanc causam afferre poterant, ne a recta et sibi a majoribus relicta fide ac lege deficerent. At vos, qui ut prudentes et cordati viri vestrorum Patriarcharum infaustum nomen, ortum, progressum et exitum

probe scitis; qui fidei vestrae ac dogmatum varietatem, inconstantiam ac indignitatem clare perspicitis; qui minime ignoratis, quod nulla fere sit familia perillustris in Germania, quae non ex toto, vel saltem ex parte redierit ad Ecclesiam; qui salutem aeternam in Ecclesia Romana Catholicis non denegatis; vos, inquam, deterrere nihil potest, nihil debet a mutatione: non divitiae, quas retinetis, quae tamen si pro aeterna salute essent amittendae, melius collocari non possent: non honores, cum nihil honorificentius sit, quam illud vitae institutum amplecti, in quo est verus Dei cultus et vera cum Deo amicitia, unde veri honoris gloria derivatur juxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*; non jactura famae, cum nemo prudens vobis vitio vertet, sed summæ potius laudi, quod eam deserentes sectam, in qua nihil sperare et omnia perdere, ad eam redeatis Ecclesiam, in qua nihil perdere et omnia sperare possitis.

SECTIO IV.

RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA TAM PERFECTA, UT EI PERFECTIOR
NUNQUAM SIT SURROGANDA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Quæ sit Legis Christianæ perfectio et Christianorum felicitas præ illa Legis Mosaicæ et Judæorum, nitide adumbravit BECANUS hisce verbis: « Judæi erant servi, nos liberi; illi filii Agar, nos Saræ; illi habebant solam figuram, nos rem figuratam; illi umbram imaginis, nos ipsam imaginem; illis promissus erat Christus, nobis donatus; illi timore ducebantur, nos amore; illis occulta erant mysteria Incarnationis et Redemptionis, nobis patefacta; illi offerebant sanguinem hircorum, nos sanguinem Christi Redemptoris; illi habebant litteram, nos spiritum; illi semen, nos arborem; illi spicam, nos triticum; illi Testamentum inchoatum, nos perfectum; illi mortem, nos vitam ». Hæc si rite applices ad varias Christianorum sectas (verius Antichristi Synagogas) et ad veram Christi Ecclesiam, quæ est sola Catholica; hujus præ illis perfectio et felicitas tanta eminebit, ut sive legum, sive rituum, sive mediorum, sive finis in Ecclesia Catholica sanctitatem, majestatem et divinitatem spectes, perfectiorem nunquam fore surrogandam, manifestissimum sit, atque ex eo magis, quod divina oracula ad usque consummationem seculi ætatem ejusdem proferant; tum vero edicant, militantem in triumphantem commutatam iri æternis splendoribus effulsuram.

BECANUS S. J. in Analogia V. et N. Testamenti. Procemii pag. 2.

§ II. THEMATA.

I. Religio Christiano-Catholica quoad Leges suas perfectissima est.

PROBATIO. Officia hominis erga Deum, seipsum et proximum exactissime docet, efficacissimeque inculcat omnia, ut nil usquam reperias ad vitæ civilis æque ac Christianæ perfectionem magis conducens. Cultum Deo exhibendum in fide, spe et charitate interna cumprimis constituit; alios homines diligere jubet, sicut seipsum, nec amicos tantum (quod etiam ethnici faciunt) sed et inimicos; privatam injuriæ ultionem et prohibet, et percutienti in maxillam dexteram vult præberi etiam sinistram; non permittit ulli aut pluritatem uxorum aut repudium, cœlibem vero vitam et virgineam castitatem propositis ingentibus præmiis commendat; præpositis etiam discolis parendum esse decernit, Deo tamen magis quam hominibus obediendum esse docet; exposcit a nobis sinceritatem in negotiis, æquitatem in administratione justitiæ, fidelitatem in custodia ærarii publici, junctam clementiæ constantiam in exercitio supremæ potestatis, liberalitatem sine prodigalitate in usu divitiarum, amorem patriæ, et quæcumque boni civis ac optimi Principis officia; incitat ad assidue orandum, non tam ad obtinenda bona temporalia, quam pro delictorum venia et uberius gratiæ auxiliis; quin et ad contemptum atque terrenorum omnium abdicationem propter Deum invitatur; denique non membrum corporis, sed animum a vitiis omnibus circumcidi, carnem vero susceptis ultro afflictationibus subditi spiritui, et spiritum Deo ita vult subjici, ut pro causa Dei vitam quoque profundere non abnuamus. Inde factum, ut quamprimum Religio Christi Catholica per mundum invalesceret, orbis fere universi alia fuerit facies, cumprimis hominum moribus in melius immutata.

« Nam qui olim (præclare disserit S. JUSTINUS M. Apolog. I.) stupris lætābamur, nunc castitatem complectimur, quin permulti sexus utriusque incorrupti et cœlibes perdurant; qui magicis artibus utebamur, bono et æterno nos consecramus Deo; qui possessionum et pecuniarum fructus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, et cum indigentibus communicamus; qui odiis et cœdibus inter nos grassabamur, nunc etiam pro inimicis oramus. » Idem Dial. cum Tryph. « Non esse, qui exterreat nos, per omnem terram manifestum est. Quod namque dum gladio percutimur et in crucem agimur, et bestiis objicimur, et vinculis, igne, tormentisque aliis exeruciamur, a professione nostra non discedimus, satis constat. Imo quanto magis ejusmodi tormenta in nos expediuntur, tanto plures Jesu cultores fiunt. »

II. Religio Christiano-Catholica quoad Ritus et Cereemonias sanctissima est.

PROBATIO. Quantum umbra præstat veritas, corpore animus, cœlum terra et Deus creatura; tantum præcellunt ritus, sacramenta et sacrificium augustissimum Catholice Ecclesiæ illis Gentilium ritibus et ceremoniis Judæorum. Non hic lasciva illa Gentilium tripudia, sed sanctarum Scripturarum lectio et castissima comprecatio: non infinite ablutiones Judaicæ, corporis

probe scitis; qui fidei vestrae ac dogmatum varietatem, inconstantiam ac indignitatem clare perspicitis; qui minime ignoratis, quod nulla fere sit familia perillustris in Germania, quae non ex toto, vel saltem ex parte redierit ad Ecclesiam; qui salutem aeternam in Ecclesia Romana Catholicis non denegatis; vos, inquam, deterrere nihil potest, nihil debet a mutatione: non divitiae, quas retinetis, quae tamen si pro aeterna salute essent amittendae, melius collocari non possent: non honores, cum nihil honorificentius sit, quam illud vitae institutum amplecti, in quo est verus Dei cultus et vera cum Deo amicitia, unde veri honoris gloria derivatur juxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*; non jactura famae, cum nemo prudens vobis vitio vertet, sed summæ potius laudi, quod eam deserentes sectam, in qua nihil sperare et omnia perdere, ad eam redeatis Ecclesiam, in qua nihil perdere et omnia sperare possitis.

SECTIO IV.

RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA TAM PERFECTA, UT EI PERFECTIOR
NUNQUAM SIT SURROGANDA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Quæ sit Legis Christianæ perfectio et Christianorum felicitas præ illa Legis Mosaicæ et Judæorum, nitide adumbravit BECANUS hisce verbis: « Judæi erant servi, nos liberi; illi filii Agar, nos Saræ; illi habebant solam figuram, nos rem figuratam; illi umbram imaginis, nos ipsam imaginem; illis promissus erat Christus, nobis donatus; illi timore ducebantur, nos amore; illis occulta erant mysteria Incarnationis et Redemptionis, nobis patefacta; illi offerebant sanguinem hircorum, nos sanguinem Christi Redemptoris; illi habebant litteram, nos spiritum; illi semen, nos arborem; illi spicam, nos triticum; illi Testamentum inchoatum, nos perfectum; illi mortem, nos vitam ». Hæc si rite applices ad varias Christianorum sectas (verius Antichristi Synagogas) et ad veram Christi Ecclesiam, quæ est sola Catholica; hujus præ illis perfectio et felicitas tanta eminebit, ut sive legum, sive rituum, sive mediorum, sive finis in Ecclesia Catholica sanctitatem, majestatem et divinitatem spectes, perfectiorem nunquam fore surrogandam, manifestissimum sit, atque ex eo magis, quod divina oracula ad usque consummationem seculi ætatem ejusdem proferant; tum vero edicant, militantem in triumphantem commutatam iri æternis splendoribus effulsuram.

BECANUS S. J. in Analogia V. et N. Testamenti. Procemii pag. 2.

§ II. THEMATA.

I. Religio Christiano-Catholica quoad Leges suas perfectissima est.

PROBATIO. Officia hominis erga Deum, seipsum et proximum exactissime docet, efficacissimeque inculcat omnia, ut nil usquam reperias ad vitæ civilis æque ac Christianæ perfectionem magis conducens. Cultum Deo exhibendum in fide, spe et charitate interna cumprimis constituit; alios homines diligere jubet, sicut seipsum, nec amicos tantum (quod etiam ethnici faciunt) sed et inimicos; privatam injuriæ ultionem et prohibet, et percutienti in maxillam dexteram vult præberi etiam sinistram; non permittit ulli aut pluritatem uxorum aut repudium, cœlibem vero vitam et virgineam castitatem propositis ingentibus præmiis commendat; præpositis etiam discolis parendum esse decernit, Deo tamen magis quam hominibus obediendum esse docet; exposcit a nobis sinceritatem in negotiis, æquitatem in administratione justitiæ, fidelitatem in custodia ærarii publici, junctam clementiæ constantiam in exercitio supremæ potestatis, liberalitatem sine prodigalitate in usu divitiarum, amorem patriæ, et quæcumque boni civis ac optimi Principis officia; incitat ad assidue orandum, non tam ad obtinenda bona temporalia, quam pro delictorum venia et uberius gratiæ auxiliis; quin et ad contemptum atque terrenorum omnium abdicationem propter Deum invitatur; denique non membrum corporis, sed animum a vitiis omnibus circumcidi, carnem vero susceptis ultro afflictationibus subditi spiritui, et spiritum Deo ita vult subjici, ut pro causa Dei vitam quoque profundere non abnuamus. Inde factum, ut quamprimum Religio Christi Catholica per mundum invalesceret, orbis fere universi alia fuerit facies, cumprimis hominum moribus in melius immutata.

« Nam qui olim (præclare disserit S. JUSTINUS M. Apolog. I.) stupris lætābamur, nunc castitatem complectimur, quin permulti sexus utriusque incorrupti et cœlibes perdurant; qui magicis artibus utebamur, bono et æterno nos consecramus Deo; qui possessionum et pecuniarum fructus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, et cum indigentibus communicamus; qui odiis et cœdibus inter nos grassabamur, nunc etiam pro inimicis oramus. » Idem Dial. cum Tryph. « Non esse, qui exterreat nos, per omnem terram manifestum est. Quod namque dum gladio percutimur et in crucem agimur, et bestiis objicimur, et vinculis, igne, tormentisque aliis exeruciamur, a professione nostra non discedimus, satis constat. Imo quanto magis ejusmodi tormenta in nos expediuntur, tanto plures Jesu cultores fiunt. »

II. Religio Christiano-Catholica quoad Ritus et Cereemonias sanctissima est.

PROBATIO. Quantum umbra præstat veritas, corpore animus, cœlum terra et Deus creatura; tantum præcellunt ritus, sacramenta et sacrificium augustissimum Catholice Ecclesiæ illis Gentilium ritibus et ceremoniis Judæorum. Non hic lasciva illa Gentilium tripudia, sed sanctarum Scripturarum lectio et castissima comprecatio: non infinite ablutiones Judaicæ, corporis

duntaxat sordibus eluendis idoneæ; sed lavaerum regenerationis spiritualis ex aqua et Spiritu sancto in verbo vitæ per baptismum, « quo illuminamur ut digni idoneique simus, qui veritate agnita per opera etiam datorum nobis mandatorum custodes inveniamur: » non hic taurorum aut hircorum hecatombæ; sed hostia divinissima, quæ sit Unigenitus Dei Filius, qui se Patri obtulit semel in cruce hostiam acceptabilem ad exhaurienda multorum peccata: non hic azymi duntaxat panes, non mensæ gentilium profanæ, spurcæ ac barbaræ; sed panis vitæ Eucharisticus, quem cum nullo alio communicare licet, « quam veram esse doctrinam nostram credente, et lavacro propter remissionem peccatorum abluto, et ita, ut Christus tradidit, vivente. » Nihil ergo de hoc pignore humanæ Redemptionis, de hoc alimento vitæ spiritualis, de hoc vadimonio vitæ æternæ participant Ethnicus, Judæus, Hæreticus, sed uni Catholicus.

« Nos enim soli (verba sunt S. Justini M. Apol. 1.) non ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces ab eo profectas gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocui sumus. »

Quis tandem sit splendor cultus divini exterioris in Ecclesia Catholica; quæ puritas, pietas, fervor et magnificentia in administratione Mysteriorum fidei nostræ, ac præprimis in divinissimi Sacrificii oblatione; audiunt gentes et obstupescunt; resciant Judæi et ringuntur; vident Heterodoxi, et ne seipsos damnent, livido oculo contuentur, dente et calamo cynico arrodunt, sed in majus sui probrum, cum de Regibus terræ potentissimis unus, quamvis Catholicum nomen non gerat, haud ita pridem judicaverit; Catholicos Deum colere ceu magnum Principem, Lutheranos ceu virum honestum, Calvinianos ne ut hominem quidem.

De singulis magnifice eloquitur S. Justinus M. cit. Apolog. I.

III. Religio Christiano-Catholica incitamentis ad virtutem, et mediis ad salutem instructissima est.

PROBATIO. Ecclesia Catholica suis filiis veram se matrem in cunctis exhibet. Non contenta, quod per baptismum in Christo nos regeneraverit, noctu diuque nobis invigilat, nutrit, mundat, et confortat nos. Aperit continuo thesauros divinitus sibi concreditos, et facit in nostram salutem, quidquid fecisse Apostolos et horum successores vidit et audivit. Jam festinat nostram ungere frontem, ut communicet Spiritum sanctum; jam nobis dimittit peccata humili confessione subjecta clavibus Ecclesiæ, et media subministrat tam contra relapsum, quam pro fructibus dignis poenitentiae; in dies æterno Patri offert corpus et sanguinem Jesu Christi innumeris in locis, divinoque hoc epulo nos reficit. Insigni providentia et solemni ritu suos consecrat Ministros, suumque conservat et prorogat Sacerdotium; solemnem impertitur benedictionem iis, qui matrimonio junguntur in Christo et in Ecclesia. Numquam non pro animæ nostræ salute sollicita, semper intenta in nostrum

profectum, ubique et semper nobis præsto est. Aliis locum refugii parat in claustris et cœnobiis; aliis providet de mediis ad salutem etiam inter seculi curas obtinendam; jam mentem nostram doctrina imbuunt saluberrima, et sicut intellectum illuminat, sic voluntatem excitat, et corda succendit illo præprimis splendore et majestate cultus divini.


Si mors imminet filiis, suas pia mater geminat curas, et media colligit omnia, ut ad iter æternitatis rite accingat suos; manibus morientium inserit arma adversus principem tenebrarum; abscondit nos in vulneribus Christi, et in sanguinem agni nos immittit; obarmat nos juxta illam Cypriani sententiam præsidio sanguinis et corporis Jesu Christi; emundat animas per sacramentum extremæ unctionis; ultimos obtutus nostros infigit cruci Redemptoris, ut hujus mysterii memores virtute crucis roboraret ac salvaret nos. Adjurat omnes cœlites, ut opem ferant in agone suorum ultimo, quin et cœlum et terram pro nobis intercedere facit. Ubi demum a vinculis corporis soluta est anima, hujus ad pedes usque supremi judicis comes Dei gratiam implorat. Equidem exuvias corporis terræ mandat; sed non sine testificatione honoris, qui deceat templum Dei. Quamvis mortuus sit Ecclesiæ filius, matris tamen vivit charitas, quæ nunquam cessat, fidelibus defunctis adpreari et exorare pacem et quietem sempiternam.

Hæc audis, heterodoxe, et tardas redire in gremium tam piæ matris, quo majores tui infelici schismate exciderunt? et tardas, de tot tantisque gratiarum et donorum cœlestium thesauris nobiscum participare? et hæres, quam infauste! in ea secta, quæ, te non nisi frigidis verborum solatiis lactat, atque inter hæc sine armis, sine præsidio ullo objicit salutis tuæ hostibus; quæ plusquam Synagoga sterilis te nutrit frustulo panis, quod vilis est manna Judæorum; quæ animæ peccatis sauciatae medelam ferre non potest; quæ ab Apostolica Ecclesia rescissa veros Pastores non habet; quæ sicut in vita, ita in morte suos destituit omni vero solamine ac subsidio, contra dolores corporis et angores animi; quæ morti, æternitati et supremo Judici tradit suos sine vera poenitentia, sine vera absolutione seu remissione peccatorum, sine veris sacramentis, sine vero viatico; quæ demum, ubi ceciderint in manus Dei viventis animæ sectariorum, has plane desertas relinquit terrificæ æterni vindicis justitiæ, suum adeo officium sed crudelissimum esse reputans, non exorare pro defunctis?

IV. Religio Christiano-Catholica quoad finem et præmia excellentissima est.

PROBATIO. Spiritualia et perpetua animæ bona, clara Dei ipsius visio et fructio; hic finis est, et hæc præmia sunt, quæ Jesus promisit suæ doctrinæ et Ecclesiæ sectatoribus atque cultoribus; præmia sane infinito præmiatore dignissima, mortalibus optatissima, et ad beandum omni ex parte hominem præstantissima. Hæc enim quam sint multo excellentiora iis, quæ Religiones aliæ suis asseclis pollicentur, ipsimet Gentiles et Mahumetani testantur, qui fere nihil mercedis expectant ultra brutas corporis voluptates: testes Philosophi et Poetæ veteres, qui tametsi de bonis animi sæpe disserant, ea tamen aut cum hac vita finienda esse statuebant, aut de futuræ vitæ beatitudine obscure et ambigue sentiebant, aut certe nihil post hanc vitam humanis

meritis adpromittebant, quod captum hominis naturalem transcenderet : testis adeo Moses, qui parce admodum de æterna felicitate, copiosius de mercede temporaria elocutus, ad legum observantiam promissis hujus vitæ bonis Judæos præcipue animavit : testes, quamvis inviti, omnes etiam sectarii, qui cum veram Christi doctrinam non habeant, nec vera Christi sacramenta, nec verum Christi sacrificium, nec verum sacerdotium (quæ omnia sola habet Ecclesia Catholica) Catholicis haud denegant æternam salutem; quam vero Catholici non audent concedere ulli, nisi qui fuerit in vera Christi Ecclesia, in qua sola est verus Dei cultus, dignum et acceptum Deo sacrificium, vera Christi fides, doctrina et successio Apostolica, virtus et vita vere Christiana, vera demum salutis æternæ media et adjuncta a Christo pro omnibus instituta, qui cum Christo æternum in cælis regnare exoptant, hæredes Dei et cohæredes Christi.



DISSERTATIO IX.

DE DESERTORIBUS RELIGIONIS CATHOLICÆ.


SECTIO I.

DE VARIIS SECTIS CHRISTIANORUM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Vidit animarum hostis et indoluit, suæ idololatriæ regnum per Christi novum regnum seu Ecclesiam subverti. Acheronta movens, ut contra Christi Ecclesiam portæ inferi prævalerent, schismata et hæreses disseminavit. At non prævaluit, cornuentibus passim omnibus tenebrionum sectis, quarum interitum in hunc diem et ad mundi finem immota conspiciet vera Christi Ecclesia. Nihilominus lolia sementi Evangelicæ identidem insperguntur; et nostris quidem temporibus sectarii ac novatores, ut avita sacra facilius exterminent, de Romanorum ab antiqua fide defectione, de morum inter Catholicos corruptela, uti et de rituum in Ecclesia superstitione, non nisi tragica occidunt. Sed quæ vetus hæreticorum cantilena est: nam et Manichæi Catholicis olim exprobrabant hypocrisin, superstitionem, sepulchrorum adorationem, et luxuriam: Luciferiani affirmabant, universum mundum factum esse Ecclesiam diaboli et Antichristi: Donatistæ cathedram Ecclesiæ Catholicæ vocabant cathedram pestilentiae, in qua sancti sedere non possint. Itaque in retanti momenti, qualis est mutare Religionem, eo quod mutata sit Ecclesia, multa in examen vocanda sunt, præcipue autem: quis ille sit, qui nova fidei dogmata suggerit, quibus moribus instructus, quo ductus instinctu, quo animo, quo fine? quid eum ad mutationem impulerit, quæ causæ defectio- nis, quæ modestia in scriptis, moderatio in dictis, integritas in factis; ac- curatissime ponderanda sunt.

meritis adpromittebant, quod captum hominis naturalem transcenderet : testis adeo Moses, qui parce admodum de æterna felicitate, copiosius de mercede temporaria elocutus, ad legum observantiam promissis hujus vitæ bonis Judæos præcipue animavit : testes, quamvis inviti, omnes etiam sectarii, qui cum veram Christi doctrinam non habeant, nec vera Christi sacramenta, nec verum Christi sacrificium, nec verum sacerdotium (quæ omnia sola habet Ecclesia Catholica) Catholicis haud denegant æternam salutem; quam vero Catholici non audent concedere ulli, nisi qui fuerit in vera Christi Ecclesia, in qua sola est verus Dei cultus, dignum et acceptum Deo sacrificium, vera Christi fides, doctrina et successio Apostolica, virtus et vita vere Christiana, vera demum salutis æternæ media et adjuncta a Christo pro omnibus instituta, qui cum Christo æternum in cælis regnare exoptant, hæredes Dei et cohæredes Christi.



DISSERTATIO IX.

DE DESERTORIBUS RELIGIONIS CATHOLICÆ.

SECTIO I.

DE VARIIS SECTIS CHRISTIANORUM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Vidit animarum hostis et indoluit, suæ idololatricæ regnum per Christi novum regnum seu Ecclesiam subverti. Acheronta movens, ut contra Christi Ecclesiam portæ inferi prævalerent, schismata et hæreses disseminavit. At non prævaluit, cornuentibus passim omnibus tenebrionum sectis, quarum interitum in hunc diem et ad mundi finem immota conspiciet vera Christi Ecclesia. Nihilominus lolia sementi Evangelicæ identidem insperguntur; et nostris quidem temporibus sectarii ac novatores, ut avita sacra facilius exterminent, de Romanorum ab antiqua fide defectione, de morum inter Catholicos corruptela, uti et de rituum in Ecclesia superstitione, nonnisi tragica occidunt. Sed quæ vetus hæreticorum cantilena est: nam et Manichæi Catholicis olim exprobrabant hypocrisin, superstitionem, sepulchrorum adorationem, et luxuriam: Luciferiani affirmabant, universum mundum factum esse Ecclesiam diaboli et Antichristi: Donatistæ cathedram Ecclesiæ Catholicæ vocabant cathedram pestilentiae, in qua sancti sedere non possint. Itaque in retanti momenti, qualis est mutare Religionem, eo quod mutata sit Ecclesia, multa in examen vocanda sunt, præcipue autem: quis ille sit, qui nova fidei dogmata suggerit, quibus moribus instructus, quo ductus instinctu, quo animo, quo fine? quid eum ad mutationem impulerit, quæ causæ defectio- nis, quæ modestia in scriptis, moderatio in dictis, integritas in factis; ac- curatissime ponderanda sunt.

§ II. THEMATA.

I. *Sectariis justa Religionem Catholicam deserendi causa non fuit prætensa necessitas Reformationis in moribus et ritibus Catholicorum.*

PROBATIO. Cum ad salutem hominum duo cumprimis necessaria sint, videlicet sincera fides et recta operatio; utrumque sua regula indiget, ne per errorem falsa credamus, aut per ignorantiam male operemur. Sicut autem in controversiis fidei institutus est a Christo iudex certus, qui absque nota erroris verum discernat a falso; ita et in controversiis morum, qui bonum distinguat a malo et honestum a turpi. Sed duplici errore involveretur Ecclesia et morum et fidei, si fidelibus injungeret, quod honestum non est; qui sane error multo perniciosior foret, utpote qui non modo intellectum depravaret, verum etiam voluntatem ipsam vitaret. Est ergo Ecclesia, fuit ac erit semper magistra morum falli et fallere nescia. Si quando inter fideles ac ipsos etiam Ecclesiasticos morum depravatio grassetur, hominum id vitium est, non doctrinæ aut Ecclesiæ: docet namque adhuc Ecclesia, quæ Christus docuit, angustam esse portam, quæ ducit ad vitam, Regnum cælorum vim pati, qui sese abnegant, crucem suam tollunt, et carnem una cum concupiscentiis suis crucifigunt, cum Christo regnatos esse, multos quidem vocatos, sed paucos esse electos; docet Ecclesia, cum Dei gratia (quæ omnibus præsto sit, et qua major ac uberius semper exorari possit) omnes leges et præcepta esse onus leve, et jugum suave; proponit eximiam ac æternam mercedem obedientiæ, simul et minas et pœnas gravissimas inobedientiæ... Huic doctrinæ qui mores conformat suos, legis factor egregius erit ac vere sanctus, cujusmodi ad merum doctrinam orthodoxam efformatos quovis seculo plures vidit et coluit orbis catholicus.

Quoad ritus sacros esto, nonnulla per simplicitatem admisceri, quæ indigeant emendatione; sed aliquid simplicium pietati indulgendum. Esto, nonnullas superstitiones a nonnullis imprudenter fuisse introductas, captata ab aliquo ritu sacro occasione; at sacris ritibus retribuendum non est, quod ab imprudentia et simplicitate nonnullorum profectum est. Esto, aliquos ritus ab ipsa Ecclesia fuisse mutatos pro diversa temporum ratione, sed salva et integra divinarum, quas nobis Christus reliquit, institutionum substantia. Hoc vero certissimum, nullam esse ritum ab Ecclesia Romana (cui sicut legum, ita et rituum suprema potestas competit) universis præscriptum esse, qui cum recta ratione non consentiat, et qui recte administratus Religionem Dei que cultum non promoveat. Non igitur abusus sunt inter Catholicos, qui veræ ac legitimæ Ecclesiæ rationem et statum e medio tollant, ac proinde Sectariis justam dederint causam discedendi.

Hinc præclare AUGUSTINUS Epist. 95. c. 9. « nos autem certi sumus, neminem se a communione omnium gentium juste separare potuisse. Neque enim (pergit c. 12.) propter paleam relinquimus aream Domini neque propter malos pisces rumpimus retia Domini; neque propter hædos in fine segregandos deserimus gregem Domini; neque propter vasa facta in contumeliam migramus de domo Domini. »

II. *Minus etiam Sectariorum a Catholica Religione defectio fieri debuit propter prætensos Ecclesiæ Romanæ lapsus et errores in fide.*

PROBATIO. Si Ecclesia Romana pristinum nomen et statum retinuit, non erat, cur discederent ab ea salutis via novatores: nempe (uti vel ipse CALVINUS testatur L. IV. Instit. variis in locis) « extra Ecclesiam salus non est; et ii sunt filii Dei, quorum Ecclesia mater est; et nisi hanc matrem habeamus, illum Patrem minime habituri sumus. » Sed jure possessionis gaudet Ecclesia Romana, quod pristinam fidem teneat, ac quidem hisce temporibus magis expressam et explanatam; quod aliud non credat, quam olim sit creditum, etiam circa Christum præsentem in mysterio Eucharistiæ, circa cultum imaginum, purgatorium, indulgentias et Sanctorum intercessionem; quod fidei divinæ articulis minime vitiatis aut depravatis inhæreat, ita ut in hanc horam nemo unus de omnibus sectariis etiam versutissimis eam erroris in fide convincere potuerit. Si vero ea duntaxat se respuere dicant novatores, quæ vel superstitione vel errore vel alia quapiam labe corrupta fuerint in Ecclesia; ergo in aliquo erravit Ecclesia, nec veram fidem retinuit, quæ una est. Itaque cum plerique sectarii Ecclesiam admittant in societatem fidei; vel ipsi quoque veram fidem non tenent; vel Ecclesia in nulla re penitus erravit; ac proin illos errare necessum est, qui articulos fidei rejiciunt, quos adstruit Ecclesia, et illos tenent ac tumentur articulos, quos damnat Ecclesia.

Mirum, quod cum, teste S. AUGUSTINO, nequidem idololatria sit causa se dividendi ab Ecclesia, eo quod (prout observat in Psalmos contra partem Donati) multi ex Judæis tempore Isaïæ, Jeremiæ et Ezechielis in crimen idololatriæ fuerint prolapsi, quin propterea ab iis se separaverint Prophætæ: mirum, quod Calvinistæ in suam communionem admittant Lutheranos, quos, quia in Polonia Eucharistiam flexis genibus accipiunt, et in ea Christum præsentem adorant, habere debent pro idololatriis: mirum, quod plerique Reformatores pacem ambient cum iis Ecclesiis, in quibus sunt errores, quos aiunt, non fundamentales: imo et cum eis, quæ articulos fundamentales solum per consequentiam, non vero directe evertunt; quod, inquam, se separaverint ab Ecclesia Catholicorum, in qua est prima sive ea unitas, qua non datur alia prior; et schisma fecerint ab Ecclesia, in qua est fides integra et universalis omnium credendorum.

III. *Defectionis a Religione Catholica Auctores tales nunquam fuerunt, ut iis fides habenda sit.*

PROBATIO. Longum foret, de omnibus ac singulis sectarum architectis effari. Satis est LUTHERI præprimis et CALVINI auctoritatem excutere. Si horum doctrinam spectes, recoquit ea veterum hæreticorum errores dudum ab universa Ecclesia proscriptos: docent enim cum Simonianis, bona opera ad salutem inutilia esse; cum Pelagianis, infantes fidelium sine baptismo vitam æternam consequi; cum Novatianis, non esse in Ecclesia potestatem clavium ad remittenda peccata; cum Donatistis, Ecclesiam con-

stare ex solis sanctis; cum Arianis, suffragia fidelium nihil prodesse defunctis, esse sub lege eos, qui jejunia servant, et presbyteros omnino æquales esse Episcopis; demum cum asseclis Vigilantii, Sanctorum reliquiis nihil honoris deferendum esse... Si personas et ipsa quidem sectariorum capita perlustres, LUTHERUM singularis protervia, palmaris superbia, innatum temperantiæ, castitatis et pœnitentiæ odium, frequens perjurium, insolitus furor, spumantes iræ, nota desperatio et celebris apostasia, aliaque id genus elogia commendant. CALVINUS corpore et sensu Luthero temperatior, animo tamen intemperatior fuit, acerrimi vir ingenii, sed atræ bilis vitio supra modum laborans; atque hinc mania, furor, odium, desperatio, mordacitas, venenum cum linguæ, tum calami, tumultuum et factionum amor, intolerabilis arrogantia. Zwinglius, Carolostadius, Melancthon, Oecolampadius, Bucerus, Beza aliique sectariorum principes non dissimilis farinæ homines extiterunt, majori ex parte apostatæ et transfugæ.

De his vide P. HONORATI FABRI S. J. librum: *Una fides unius Ecclesiæ Romanæ*; et P. ALOYSII MERZ S. J. Conciones Sacras Augustæ Vindel. habitas de Luthero et ejus Secta. Item BOSSUET, *Histoire des Variations*.

Et hujusmodi hominibus, quorum doctrina nova et suspecta, mores corrupti, ingenia turbida, delicta publica fuere; qui a suis claustris et ab Ecclesia Romana discesserunt, ut eas vitarent pœnas, quas eorum facinora gravissimas deposcebant; et quibus nemo rem suam domesticam, et ne equum quidem generosum aut canem venaticum committeret, suam quis animam æternamque salutem prudenter concedat? quis eorum auctoritate ducatur, ut spernat Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, tot sanctorum Patrum testimoniis confirmatam, tot Conciliorum œcumenicorum suffragiis exornatam, tot sanctorum Martyrum sanguine stabilitam, tam multiplici virtutum et sanctimonie splendore illustratam? Quis Petro aliisque Apostolis et viris Apostolicis (qui exemplo Christi pro tua salute sponte ac ultro vitam profundere parati sunt, nullo alio incitamento, quam zelo animarum et divinæ gloriæ) præhabeat ducēs ejusmodi, qui desciverunt a vera Christi Ecclesia, non studio virtutis aut veritatis, sed vel formidine pœnæ, vel liberioris vitæ desiderio, vel alio quopiam, quod minus honestum erat, incitamento?

Possem hic facile probra omnia LUTHERI, CALVINI et aliorum in plenam lucem deducere, atque alios plane fines, quam sit propriæ salutis studium, in iisdem patefacere, qui a Catholica Ecclesia ad heterodæorum castra unquam convolarunt; sed præstat, charitate potius, quam exprobratione invitare fratres nostros, ut redeant ad sinum Ecclesiæ unde recesserunt.

Obj. I. In Ecclesia Romana ad quingentesimum Christi annum fides integra et pura perstitit, ad quam cœtu veterem Ecclesiam spectant Scripturarum oracula et Patrum elogia; non vero ad hodiernam Ecclesiam, quæ cum sit abusibus, erroribus ac vitiis defœdata, justam præbet causam discedendi a fide Romanorum.

Resp. Si Ecclesia Romana per quingentes annos fidem puram servavit; ergo ex privilegio Christi S. Petro polliciti, nunquam fore, ut ejus fides deficiat, quod utique ad consummationem seculi usque extenditur. Fors ais, quingentis annis illis non errasse quidem, fuisse tamen errori obnoxiam?

Igitur quidquid ab Ecclesia toto illo tempore definitum est, sub fidem non cadit: qui enim sciatur, falsum non esse, cum error subesse potuerit? hinc quatuor Concilia concidere necessum est; hinc vana Christi promissio; hinc spiritus veritatis toties promissus, nunquam missus; hinc portæ inferi contra Ecclesiam prævalentes. Ad mores quod attinet, privata Romanorum delicta, si quæ sunt, non excuso; vitia erant humanæ conversationis, non prædicationis Apostolicæ: inerrantiam Christus promisit Successoribus S. Petri, non impeccantiam; quin et si a recta fide quis deviasset (quod verò ne de uno quidem hactenus evictum) hoc fuit vitium credentis, ut persona privata est; non error docentis, ut est Doctor et Pastor universalis; quotiescumque enim loquuntur e Cathedra Petri, ut Christi Vicarii, et de plena hujus officii auctoritate, in eo munere nec falli possunt, nec fallere. Nempe promissus a Christo Spiritus veritatis non sinit unquam, vel falsum dogma, vel prævios mores proponi toti Ecclesiæ.

Quoad morum integritatem si de summis Pontificibus oggannunt heterodoxi; certum est, plerosque omnes (rexere autem Ecclesiam inde a S. PETRO plures ducentis et quinquaginta) aut Sanctis annumeratos, aut bonæ saltem et laudabilis vitæ fuisse, paucissimis exceptis; ut ex omnium attestazione nulla alia particularis Ecclesia tot Præsules habuerit sanctimonia illustres, quam Romana.

Obj. II. Intolerabilem fuisse Romanorum Pontificum ambitionem, Cardinalium luxum, Episcoporum incuriam, Sacerdotum socordiam, ac perditos totius Cleri mores (unde LUTHERUS et CALVINUS deficiendi ab Ecclesia Romana causam acceperint) non soli A catholici, sed et Catholici scriptores ingentem atque abunde testantur. Obesse ergo ad salutem non potest iis, qui LUTHERUM aut CALVINUM secuti, ob tam manifesta Ecclesiæ vitia, sanctioris disciplinæ studio inducti discesserunt.

Resp. Insolens plane ratiocinium: non omnes Romani Pontifices sunt sancti, et Curia Romana non caret nævis, neque in Ecclesiasticis ea semper est morum integritas, quam hujus ordinis dignitas postulat; ergo ab Ecclesia Romana discedendum est, ergo res nostræ sunt desperandæ, ergo æternæ salutis renuntiandum est. Fidem non accusatis, sed mores, eosque privatorum hominum: nunquam enim Ecclesia in tradendis morum regulis erravit, sed nec errare potest; cur ergo illius doctrinam rejicitis, quæ sana est? cur mores ab ea præscriptos reprobatis, qui sancti sunt? quid vestra interest, si Pastores suo erga Deum munere non defungantur; modo sanæ doctrinæ verbo vos pascant, et sanctis legibus instituunt? Exempla optatis: optandum revera esset, ut omnes ii suo vobis exemplo præluerent; si vero secus accidit; verbis, non exemplis, dictis, non factis standum, ac CHRISTI oraculo parendum est: *super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere.* Nec est, quod Pontificum et Cleri depravatos mores tam acriter sugilletis: ut enim non negaverim, in tanta Ecclesiasticorum multitudine aliquos esse et fuisse, qui tanti nominis et muneris mensuram haud implerent; ita quisquis amans veritatis est, inficias non ibit, quin plerique ejusdem ordinis eam vitæ formam tenuerint et teneant, quæ homines sacris ministeriis addictos plurimum decet. Inter summos Pontifices non desunt novissimis

quoque temporibus Marcelli, Pii, Adriani, Gregorii, Alexandri, Benedicti et Clementes iis virtutum ornamentis instructi, quæ huic summæ dignitati non mediocrem splendorem asferrent.

At supponamus, vobis morem gestum ac vitia omnia esse perpurgata; palam omnino promittitis fore, ut vestri omnes ad nos redeant? si secus aliquis faciat, illum sane non excusabitis. Eadem porro militat ratio, licet ea vitia non purgentur: fidem sequere, vitia fuge; ne si fugias fidem propter vitia, in longe majus ac perniciosius vitium incurras, quod est schismatis seu scissionis ab optima parente; crimen juxta SS. CYPRIANUM, OPTATUM MILEY. et AUGUSTINUM contra Donatistas, nec ob corruptelam morum, nec ob fidei difficultatem, ipsamque idololatriam committendum. Innocentes vocatis Lutheri et Calvinii asseclas, sed transfugas et apostatas insontes quis dixerit? Nec est, quod bonam pretextatis fidem, cui furor et libido nullum sane locum reliquerunt. Demus autem illam bonam fidem; sic ergo discessio quidem illa culpæ ipsis non vertitur, eos tamen in eo rerum statu collocat, in quo remediis carent, quæ ad salutem necessaria judicantur.

Obj. III. Longe alia fuit ratio discessionis Protestanticæ, quam quæ olim: tunc enim Ecclesiam fuisse optime constitutam doctrina, sanctimonia vitæ, ac morum probitate excelluisse; posthac vero Ecclesiam in plurimis deformatam fuisse, ipsi Catholici agnoverunt et doluerunt. Quippe (quod ingenue fassus ADRIANUS VI.) Ecclesiam indigere reformatione in capite et in membris, antiqua vox est, audita jamdum in Concilio Constantiensi.

RESP. Falsum est, quod veterum ac recentiorum schismaticorum impar sit ratio, cum in utrisque fidem Ecclesia desideraverit. Tam hi, quam illi Catholica dogmata impugnabant; imo ausim dicere, plura esse, quæ a Calvinianis vel Lutheranis impugnantur, quam ab Arianis, Acephalis, Monothelitis et Pelagianis. Quoad deformationem in moribus homines sumus, atque adeo omni tempore Ecclesia habuit membra corrupta, inde sanctorum et antiquorum Patrum querere. Quid si in primitiva etiam Ecclesia non desint exempla? nonne unus ex duodecim Apostolis Christum ipsum Judæis vendidit, et unus ex primis septem diaconis hæresiarcha fuit? nonne septem illi Episcopi, quos S. JOANNES objurgat, a primo fervore defecerunt? nonne multi etiam Episcopi Arii, Donati, Macedonii, Pelagii aliorumque hæreticorum partes amplexi sunt, quin propterea fuerit ab Ecclesia Catholica recedendum? Cur igitur discessionis vestræ causam in corruptos Cleri mores rejicitis? cur potius humanissimam optimi parentis, ADRIANI VI. monitionem, qua Majores vestros ad reditum hortatus fuit, contempsistis? nonne eo fine tot Nuntii delegati, tot Legati destinati et missi, et quidem Ecclesiæ Romanæ insignia decora, Alexander, Cheregatus, Commendonus, Delphinus, Cajetanus, Campegius, Contarenus, Cervinus, Moronus, Hosius? eecur pretiosam tantorum hominum operam maximis expeditionibus supparem reddidistis inutilem?

Scio equidem, a plerisque transfugis obtendi speciem procurandæ salutis: sed mera fictio est, quam ubi ad nos redeunt, liberrime fatentur. Quotquot vero ab iis ad nos accedunt, alium finem sibi non proponunt, quam salutem propriam; hinc tot lacrymæ et usus vitæ melioris.

Obj. IV. Evangelici ac Reformati saltem non abs re gloriantur, Ecclesiam suorum Ducum opera ab Episcoporum Romanorum tyrannide liberatam, collapsam PETRI Cathedram fuisse reformatam, suoque nitore restitutam doctrinam veræ Christi Ecclesiæ.

RESP. Idipsum est, quod omnes hæretici ab Ecclesia condemnati declamant; verum edicant Novatores, quandonam Ecclesiæ Romanæ fides corrupta fuerit, et quis primus de Romanis Pontificibus factus sit Antichristus? quo tempore defecerit, quæ deficere nunquam potest, fides aut illius Ecclesiæ, quæ est radix unitatis Christianæ, mater et magistra omnium Ecclesiarum; aut illius Pontificis, qui est fundamentum ædificii Christi, et pro quo rogavit Christus, ut fides ejus nunquam deficiat? Funesta catastrophe! sic enim nusquam instituta a Christo extabit amplius Religio, et apud Novatores omnium quidem minime; cum stare non possit sine radice arbor, sine matrice foetus, sine fundamento domus, tot præsertim inter turbines et procellas. Fors LEO X. primus in Antichristum degeneravit? at priusquam hic LUTHERI articulos damnasset, Lutherus ipse ad eundem scripsit: «Beatissime Pater! prostratum me pedibus Tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum et habeo: vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit: vocem tuam vocem Christi in Te præsentis et loquentis agnoscam.» Et tametsi postea contra execrabilem Bullam Antichristi longe aliter cantare cœperit, totus tamen Christianus orbis (si pauculos Germaniæ angulos excipias) deinceps etiam eundem LEONEM seu Caput Ecclesiæ, Christi Vicarium et S. Petri Successorem habuit ac coluit.

Si vero collapsa fuit Cathedra PETRI; quænam erat matrix Ecclesiæ per LUTHERUM et CALVINUM, si superis placet, reformatæ? quod centrum unitatis? quod ædificii hujus fundamentum? Non sane hi ipsi Reformatores et præcones novi Evangelii, qui nullo unquam oraculo aut miraculo suam missionem suamve in Petri Sedem, deficientibus Petri successoribus, substitutionem probaverint: non sacra Scriptura, ad quam fidenter provocant, sed ex qua omnis illorum doctrina seu spuria dignoscitur, ex illa scilicet Scriptura sacra, quam acceperunt ab Ecclesia Apostolica, cui præsidet summus Pontifex.

Quippe ait TERTULLIANUS L. de Præscript. c. 21. «Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, prædicatores alii recipiendi non sunt, quam quos Christus instituit, quia nec alius Patrem novit, nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius, quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum.» Et c. 37. subdit: «constat, non esse admittendos hæreticos ad provocationem de Scripturis: si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectali hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani, nullum jus capiunt Christianarum litterarum; ad quos merito dicendum

est : qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique jure, Marcion (Luther) sylvam meam cædis? qua licentia, Valentine (Calvine) fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles (Socine) limites meos commoves?... Mea est possessio : olim possideo : habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt..., ita teneo. Vos exhæredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. »

Obj. V. Demum si inter omnes Christianorum sectas una Christiano-Catholica est vera et salvifica Religio; CHRISTUS, qui est Salvator omnium, omnes sectas deberet reducere ad illam unam; nec, qui venit ad illuminandum omnem hominem, tot homines, errorum tenebris immersos, deserere. Non ergo Christianis, tametsi non audiant Catholici, abjudicanda salus est.

RESP. Providit Salvator hominum universis hominibus de gratiæ auxiliis, de evidentia credibilitatis, de magisterio interno et externo, de mediis vere sufficientibus ad fidem et salutem; sed liberos esse voluit. Sunt vero superbi, qui nolunt se demittere ad credendum et obediendum Ecclesiæ, quam scire et possunt et debent magistræ unicæ omnis veritatis. Sunt voluptuarii, qui nolunt carnem subjicere spiritui, spiritum Evangelio, et suum Evangelium Catholico et Apostolico sensui ac rigori veri Evangelii. Sunt quæstuosi, qui tametsi veritatem esse unam probe intelligant, in ea tamen secta præsefert. Sunt corde depravati, qui Catholici veritatis lucem obstinate respuunt, et corrigi a veritate nolunt, ne errasse videantur. Sunt demum protervi erga immortalem seculorum Regem, quem de sua Religionis œconomia ausint interrogare; sed opprimendi a majestate, et æternis tenebris involvendi, eo quod oculos haberent, et non viderent splendorem illius Ecclesiæ, quæ uti sola est vere Una, Sancta, Catholica et Apostolica, sic et sola est vere salvifica.

Eminet hic P. Buffier S. J. in P. III. n. 272.

SECTIO II.

DE LIBERTINIS, INDIFFERENTIBUS, TOLERANTIBUS.

§ I. PRÆCOGNITA.

De Libertinis quasi paganis (qui Turcas, Judæos, quin Gentiles etiam in Religionis societatem admittunt, modo vita cum recta ratione consentiat) dictum Sectione V. Dissert. VII. Libertini ac Indifferentes, ut aiunt, Christiani iis duntaxat unitatem fidei concedunt, qui credunt Jesum esse Christum et Dei Filium, ac præterea Symbolum Apostolicum pro regula creden-

dorum habent in eo sensu, quem prima quatuor Concilia œcumenica docuerunt; quo fit, ut Romani, Lutherani, Calviniani, ipsique adeo Græci Ecclesiam Catholicam constituent. Alii vero, cum JURÆI incognita toti antiquitati opinione, intra salvificam Christi Ecclesiam quasvis hæreticorum sectas tuentur, modo non errent in fundamentis fidei; in quibus autem determinandis nec auctoritas ipsi suffragatur, nec asseclorum consensus est; quidam enim cum JURÆO Trinitatem Personarum, Divinitatem Verbi, et Satisfactionem Christi ceu præcipua Christianæ fidei dogmata designant; sed quæ explodunt Arius, Sabellius, Photinus, Socinus, Episcopus et alii hæretici. Quidam eorum illa fidei dogmata necessario credenda statuunt, in quibus omnes omnino Christiani consentiunt; ea vero, in quibus dissentiunt, ceu adiaphora venditant, ita ut pro errore fundamentali id solum habeant, quod Dei gloriam et finem hominis ultimum evertit, quodve unanimi, perpetuo ac universali Christianorum consensui opponitur; sed hæc quivis facile sectarius sibi vindicabit, tametsi in fundamentis fidei aberrans. Alii ex indifferentistarum grege Latitudinarij seu Moraliste solam morum honestatem sine dogmatum fide necessariam exigunt ad salutem; sed qui vel illo Apostoli effato eliduntur: *Sine fide impossibile est placere Deo*: utpote qui ceu Ens supremum deposcit legitimum sui cultum, et ceu supremus Legislator exactam obedientiam; ita ceu prima et summa veritas hominum fidem et affectum erga suas revelationes firmissimum. Alii demum cum COLLINO et TOLANDO sectas omnes tolerandas esse volunt, quæ doctrinam a Deo revelatam sectari se putant, tametsi secum ipsis omnino repugnent; qui vero Indifferentes aut potius Tolerantes cum Libertinis paganis coincidunt.

§ II. THEMATA.

I. Libertas credendi quidlibet, imprudens, impudens, ac detestabilis libertas est.

PROBATIO. Qui Christo nomen dedit, et Christianum se vocat; Christum sequatur duccem, audiat Magistrum, et ceu fidei Christianæ objectum, auctorem ac consummatorem agnoscat et adoret Christum, necesse est. Si ita; ergo cujusvis Christiani libertas Evangelio et Ecclesiæ Christi adstringitur. Si ita; ergo liberum non est Christiano credere quod libet; sed necessum est credere, quæ Christus revelavit, quæ prædicarunt Apostoli, quæ exhibet Evangelium Christi, et quæ proponit Christi Ecclesia: secus, si vel in uno dogmate ab his dissentiat, fidei Christianæ naufragium passus, alienus est, profanus est, hostis est, ceu homo hæreticus vitandus, et habendus sicut ethnicus et publicanus. Nam sicut unus est Dominus, una fides, unum baptisma; sic vera fides est in Ecclesia, quæ unum est regnum, una domus et unum ovile. Igitur vesania et protervia execrabilis est Libertinorum, in Evangelio, quod volunt, credere, quod non volunt, non credere, atque sic potius sibimetipsis, quam Evangelio credere; prout Fausto exprobrat AUGUSTINUS. Detestanda Libertinorum impudentia est, Christi membra se profiteri, et a Christi corpore, quod est Ecclesia, se proscindere; Christum appellare Patrem, et Christi Ecclesiam non habere Matrem; Christi discipulos se vocitare, et non

est : qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique jure, Marcion (Luther) sylvam meam cædis? qua licentia, Valentine (Calvine) fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles (Socine) limites meos commoves?... Mea est possessio : olim possideo : habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt..., ita teneo. Vos exhæredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. »

Obj. V. Demum si inter omnes Christianorum sectas una Christiano-Catholica est vera et salvifica Religio; CHRISTUS, qui est Salvator omnium, omnes sectas deberet reducere ad illam unam; nec, qui venit ad illuminandum omnem hominem, tot homines, errorum tenebris immersos, deserere. Non ergo Christianis, tametsi non audiant Catholici, abjudicanda salus est.

RESP. Providit Salvator hominum universis hominibus de gratiæ auxiliis, de evidentia credibilitatis, de magisterio interno et externo, de mediis vere sufficientibus ad fidem et salutem; sed liberos esse voluit. Sunt vero superbi, qui nolunt se demittere ad credendum et obediendum Ecclesiæ, quam scire et possunt et debent magistræ unicæ omnis veritatis. Sunt voluptuarii, qui nolunt carnem subjicere spiritui, spiritum Evangelio, et suum Evangelium Catholico et Apostolico sensui ac rigori veri Evangelii. Sunt quæstuosi, qui tametsi veritatem esse unam probe intelligant, in ea tamen secta præsefert. Sunt corde depravati, qui Catholici veritatis lucem obstinate respuunt, et corrigi a veritate nolunt, ne errasse videantur. Sunt demum protervi erga immortalem seculorum Regem, quem de sua Religionis œconomia ausint interrogare; sed opprimendi a majestate, et æternis tenebris involvendi, eo quod oculos haberent, et non viderent splendorem illius Ecclesiæ, quæ uti sola est vere Una, Sancta, Catholica et Apostolica, sic et sola est vere salvifica.

Eminet hic P. Buffier S. J. in P. III. n. 272.

SECTIO II.

DE LIBERTINIS, INDIFFERENTIBUS, TOLERANTIBUS.

§ I. PRÆCOGNITA.

De Libertinis quasi paganis (qui Turcas, Judæos, quin Gentiles etiam in Religionis societatem admittunt, modo vita cum recta ratione consentiat) dictum Sectione V. Dissert. VII. Libertini ac Indifferentes, ut aiunt, Christiani iis duntaxat unitatem fidei concedunt, qui credunt Jesum esse Christum et Dei Filium, ac præterea Symbolum Apostolicum pro regula creden-

dorum habent in eo sensu, quem prima quatuor Concilia œcumenica docuerunt; quo fit, ut Romani, Lutherani, Calviniani, ipsique adeo Græci Ecclesiam Catholicam constituent. Alii vero, cum JURÆI incognita toti antiquitati opinione, intra salvificam Christi Ecclesiam quasvis hæreticorum sectas tuentur, modo non errent in fundamentis fidei; in quibus autem determinandis nec auctoritas ipsi suffragatur, nec asseclorum consensus est; quidam enim cum JURÆO Trinitatem Personarum, Divinitatem Verbi, et Satisfactionem Christi ceu præcipua Christianæ fidei dogmata designant; sed quæ explodunt Arius, Sabellius, Photinus, Socinus, Episcopus et alii hæretici. Quidam eorum illa fidei dogmata necessario credenda statuunt, in quibus omnes omnino Christiani consentiunt; ea vero, in quibus dissentiunt, ceu adiaphora venditant, ita ut pro errore fundamentali id solum habeant, quod Dei gloriam et finem hominis ultimum evertit, quodve unanimi, perpetuo ac universali Christianorum consensui opponitur; sed hæc quivis facile sectarius sibi vindicabit, tametsi in fundamentis fidei aberrans. Alii ex indifferentistarum grege Latitudinarij seu Moraliste solam morum honestatem sine dogmatum fide necessariam exigunt ad salutem; sed qui vel illo Apostoli effato eliduntur: *Sine fide impossibile est placere Deo*: utpote qui ceu Ens supremum deposcit legitimum sui cultum, et ceu supremus Legislator exactam obedientiam; ita ceu prima et summa veritas hominum fidem et affectum erga suas revelationes firmissimum. Alii demum cum COLLINO et TOLANDO sectas omnes tolerandas esse volunt, quæ doctrinam a Deo revelatam sectari se putant, tametsi secum ipsis omnino repugnent; qui vero Indifferentes aut potius Tolerantes cum Libertinis paganis coincidunt.

§ II. THEMATA.

I. Libertas credendi quidlibet, imprudens, impudens, ac detestabilis libertas est.

PROBATIO. Qui Christo nomen dedit, et Christianum se vocat; Christum sequatur ducem, audiat Magistrum, et ceu fidei Christianæ objectum, auctorem ac consummatorem agnoscat et adoret Christum, necesse est. Si ita; ergo cujusvis Christiani libertas Evangelio et Ecclesiæ Christi adstringitur. Si ita; ergo liberum non est Christiano credere quod libet; sed necessum est credere, quæ Christus revelavit, quæ prædicarunt Apostoli, quæ exhibet Evangelium Christi, et quæ proponit Christi Ecclesia: secus, si vel in uno dogmate ab his dissentiat, fidei Christianæ naufragium passus, alienus est, profanus est, hostis est, ceu homo hæreticus vitandus, et habendus sicut ethnicus et publicanus. Nam sicut unus est Dominus, una fides, unum baptisma; sic vera fides est in Ecclesia, quæ unum est regnum, una domus et unum ovile. Igitur vesania et protervia execrabilis est Libertinorum, in Evangelio, quod volunt, credere, quod non volunt, non credere, atque sic potius sibimetipsis, quam Evangelio credere; prout Fausto exprobrat AUGUSTINUS. Detestanda Libertinorum impudentia est, Christi membra se profiteri, et a Christi corpore, quod est Ecclesia, se proscindere; Christum appellare Patrem, et Christi Ecclesiam non habere Matrem; Christi discipulos se vocitare, et non

audire Ecclesiam Christi, quam suæ fidei custodem, interpretem ac magistrum in terris constituit Christus; et quam qui spernit, Christum spernit auctorem fidei.

Vide P. FRANC. NEUMEYER S. J. *Frag: ob in Glaubens-Sachen die Freyheit zu denken zu dulden seye?*

II. *Tolerantismus aperte contradicit divinæ circa Religionem œconomia.*

PROBATIO. CHRISTUS unam instituit Ecclesiam, et in hac Religionem unam unice veram et vere salvificam, quam quidem prædicarunt Apostoli, successores Apostolorum propagarunt, pastores et doctores Ecclesiæ illustrarunt, Concilia Ecclesiastica symbolis et professionibus fidei confirmarunt, orbis item Catholicus in hunc usque diem intactam servat et incolumem. In hac Religione unicam fidei communionem constituit Christus, a qua quilibet falsi prophetae, pseudo-apostoli et hæretici omnes excluderentur, utpote qui non sint de Ecclesia Dei, sed de Synagoga Antichristi. Hanc communionem unicam voluit esse universalem, quippe in sua Ecclesia tanquam Catholica, ita ut, extra ipsam nemini sit speranda salus. Cum ergo indubitata hæc esse omnia, abunde hæc demonstratum sit; institutioni ac œconomia divinæ apertissime refragatur, quicumque ausit adoptare in communionem veræ fidei et salutis quosvis sectarios, quamvis ab Ecclesia Catholica et Apostolica abdicati et anathematizati, nec colant Deum, nec credant, nec vivant eo modo, quo Deus divinum sui cultum, fidem et vitam Christianam a suæ Ecclesiæ membris, a sponsæ suæ filiis, a veris fidelibus exposcit.

Prostat insignis Oratio P. SERARI S. J. quam super ea questione: an quis in sua secta, Lutherana, Calviniana, Zwingliana... salvari possit, applaudente toto Senatu Academico habuit Wirceburgi, Doctor et Professor Theologiæ ibidem, anno 1584, die 26 januarii.

III. *Indifferentismus ac Tolerantismus ad paganismum, quin atheismum, viam pandit.*

PROBATIO. Cui omnes probantur sectæ, quamvis dogmata sectentur e diametro opposita, et tametsi mutuis in sese calumniis grassentur, fulminibusque detonent; huic verius nulla probatur Religio, quæ si veri nominis est, non spiritum odii et contradictionis, sed Deum unitatis et pacis auctorem habet. Et sane Libertini, cum ea quæ Christus revelat ac mandat, relinquunt cuiuslibet libera, uno alterove articulo, ut vocant, fundamentali excepto, in quo tamen inter ipsosmet Errones non est consensus: Indifferentes, cum eodem jure divinitatem Christo denegent cum Socinianis, quo cum aliis eandem asserant; Deum æque cum Calvinianis peccati auctorem, et peccati non evitandi æternum judicem constituent, ac cum aliis sentire de Domino in bonitate videantur: Tolerantes, cum quasvis Antichristi Synagogas cum salvifica Christi Ecclesia æquiparent, inscripta epigraphe: *porta patens esto, nulli claudatur honesto*; nec impietatis, nec infidelitatis etiam sub specioso Christi nomine labem detergant. Nonne enim cum insigni perfidia et grandi Redemptoris injuria Christianum nomen usurpant, qui cum Libertinorum

antesignans JURLEO, COLLINO et cumprimis TOLANDO verbis ac sensis utitur impiissimis: « Colo Deum talem, qualem Princeps vel Respublica me jubet colere; si Turca, Alcoranum; si Judæus, Vetus Testamentum; si Christianus, Novum Testamentum veneror pro Lege; Papa si imperat, credo Deum consubstantiatum; si Lutherus, Deus mihi particulis, in, cum, et sub, circumvallatur; si Calvinus, Deum pro signo sumo ».

Ast toleremus tantisper Tolerantes, sectasque toleratas Christiano nomine insigniri! Num idcirco legitima consecutio est, in sua quemvis secta posse salvari? Qui hodie Christianorum nomine gloriantur, sunt fere Græci Nestorio, Eutycheti, Photio addicti; Reformati deinde a Luthero, Calvino et Socino; Jansenii Iprensis discipuli et Romano-Catholici: penes quos igitur ex his unice vera et vere salvifica est Religio; cum certum sit, quod gravissimorum errorum sese insimulent; veritas autem veritati, et revelatio revelationi minime contradicat?

Memoratu hic dignum illud ISAACI PAPINI testimonium, qui cum Ecclesiæ Anglicanæ olim Minister, postea reversus ad Catholicos scribit: « mihi persuasum fuit, Protestantibus si vel latum unguem a Tolerantismo recederent, a Catholicis vinci; vinci vero ab hæreticis et infidelibus, si non recederent, quibus arma ad se defendendum suppeditant; neque enim facere possunt, quin omnibus salutem concedant, plenamque credendi et docendi, quidvis libuerit, tribuant facultatem. Eadem argumenta, quibus Tolerantes eos ferendos esse probant, qui sacras litteras, quacumque demum ratione explicentur, pro fidei regula habent, non minus efficaciter probant, ferendos esse infideles, et generaliter, quotquot bona fide se esse profitentur, etiamsi Athei essent. Et quibus momentis a tolerantia Christianismi hostes excludunt, etiam tolerantia eos omnes indignos esse pronuntiant, quos tolerandos esse profitentur. » Libro: *les deux voies opposées*... P. II. Sect. I.

Obj. I. In lege naturæ sufficiens ad salutem fuit cognitio et cultus Dei naturalis: hæc per falsorum numinum adoptionem obliteratis, Deus primum ABRAHAMO, tum MOSI onus tradidit variarum legum: hoc Christus sustulit, et lege ac Religione naturali ad primævum splendorem reducta, solam addidit fidem in Christum ceu necessariam ad salutem. Sicut ergo Deus humanæ imbecillitati multum indulserat circa Religionem et symbola cultus divini in lege naturæ, si modo Deum verum et unum crederent ac colerent homines; ita et CHRISTUS pro sua immensa erga genus humanum charitate in lege gratiæ plus non exigit ad salutem, quam honestatem vite naturalem et fidem in Christum.

RESP. Tametsi de illa lege naturali pauca admodum legamus in Genesi, nec certo constet, quæ Religionis forma tum fuerit, qui ritus, quod remedium peccati originalis, et quæ Majorum traditiones; tamen certissimum, quod a Majoribus aliqua fuerint tradita, quæ isti a Deo acceperant, cujusmodi sunt recta fides in Deum, cultus patriæ, aliquod sacrificii genus, et quorum in MELCHISEDECH et JOB luculenta suppetunt exempla. Si autem naturalis Dei cognitio sufficeret, cur fides adeo necessaria esset? cur sine illa homo Deo placere non posset? cur accedens ad Deum necessario credere deberet? cur fides totius meriti principium esset? Num sine divina gratia a noxis lethalibus abstinere omnino poterant, et cum peccaverunt, quod sup-

petebat aliud remedium ad expungendum peccatum, præter contritionem ac dilectionem Dei supernaturalem? Illa sensibilis ratio, sub qua Deus coli potuit (modo symbola illa ad Deum ut prototypum referantur) per se mala non est; quanquam symbola illa adhibita fuisse, eadem facilitate negatur, qua asseritur. Quod aliqui Patriarchæ ante ABRAHAM a recta fide deflexerint, verisimile est, et fors ipse ABRAHAM initio; sed quid inde? nec juvat LABANUM excusare, quasi vero JACOB inter infideles integram fidem servare non potuerit, et ad eam uxores suas convertere. Quis autem christianus animus non abhorreat dicere, impiam illam idololatriæ labem a Deo infirmitati humanæ condonatam fuisse ac permissam?

Ratio illa, ob quam dicitur Lex Mosi a Deo data fuisse, merum somnium est: Deus enim temporum momenta ponderat, ac destinatis ab æterno temporibus se et sua mortalibus aperit. Cum Adam, Enoch, Noe, Abraham, Job Deus sat familiariter egerat, præter alios, quorum divinæ litteræ non meminerunt; Mosi deinde peculiare leges tradidit præter divinam distinctius ac ante expressam; ad hanc omnes omnino, non item ad Mosaicam, adstringebantur. Ubi autem Messias venit, non primam illam duntaxat naturæ legem restituit, sed longe nobiliorem instituit, Christianam scilicet ac Evangelicam, quam gratiæ legem vocant ob gratiæ ubertatem. Ecclesiam suam ædificavit, novisque sacramentis, novo sacrificio, novo ministrorum genere sub Petro supremo Vicario, novis præceptis Evangelicis, novis consiliis, novo Testamento instructam esse voluit, eamque universalem et Catholicam ex Judæis et Gentibus. Qui autem felicem hunc legis Evangelicæ statum cum illo, qui ante legem fuit, eundem et a Christo revocatum esse dicit, næ is tenebras cum plena luce, et inania quædam ac rudia sacra confundat cum augustissimis nostris sacramentis, ac totius rei sacræ mysteriis copiosissimis ac splendidissimis? Quod tandem nulla lex alia quam fidei a Christo condita sit, putidum est mendacium, ex quo turpissimos deducunt errores Libertini; nullam esse legem Evangelicam, nullum Christianorum cœtum, nullam Ecclesiam, ac proinde nullam Religionem; quo audaciæ ac impietatis nullus unquam hæreticus pervenit. Leges principales ad salutem necessarias a Christo accepimus, nec ullum nævum, qui sit contra fidem aut mores, tolerat Christus; et nulla unitas, nulla pax, sine fidei, legis et Ecclesiæ unitate.

Obj. II. Deo perinde est, quacumque Religione colatur; modo Deum et Jesum Christum credamus, quæ substantialia sunt fidei Christianæ; reliqua sunt leviora quædam discrimina, in quibus dissensio nec unitati fidei obest, nec salutem; præsertim cum in extremo judicio non ita disquirendum sit, quam bene credideris, sed quam bene vixeris.

RESP. Nonne et pseudo-politicis et Theistis et Atheis latissima sic porta aperitur, qua introducant sua teterrima axiomata: sola fides naturalis sufficit, sufficit honestas vitæ sine fide, nulla fides requiritur, nulla datur Religio, et perinde est Deo, sive colatur, sive non colatur? Nonne præcipua sunt Christianæ fidei capita, in quibus Novatores, Libertini et Indifferentes ab orthodoxis discrepant? quid enim augustius nostra Eucharistia, in qua præsentem Deum adoramus, illi pedibus calcant? quid sacramento reconciliationis frequentius? quid sacris ordinationibus ac ministeriis illustrius? quid primatu Petri et sanctæ Sedis fallere insciæ auctoritate gravius? Hæc

sane sunt præcipua veræ Religionis ac fidei nostræ mysteria et dogmata. Illa nimirum capita omnia sunt substantialia, quæ ad fidem divinam pertinent, cum fides sit sperandarum substantia rerum et Religionis fundamentum. Quæ vero ad fidem divinam pertinent, necessaria sunt ad salutem, ita ut rigidissimo subdantur judicio omnes, qui intellectum non captivarunt in obsequium hujus fidei, qui primæ et summæ veritati revelanti non assensu in omnibus fuerint, qui cum veram Christi fidem non habeant, nec virtutem Christianam habere possunt; itaque ex gemino defectu et fidei et vitæ Christianæ apud divinum Judicem redduntur inexcusabiles.

Obj. III. Quæ Christus a prima institutione suæ Ecclesiæ libera esse voluit, non debent proponi ceu creditu et factu necessaria; pars vero maxima controversiarum, quæ hodie Ecclesiam tam acriter dividunt, circa hujusmodi versatur. Item Apostoli duntaxat Symbolum fidei ceu regulam credendorum fidelibus proposuerunt rati, quod per illam brevissimæ fidei consonantiam inter omnes optata persistat concordia, quamvis cæterarum rerum et opinionum maxima esset dissonantia, et nullus ad Romanum Pontificem fieret recursus.

RESP. Esto, Christum voluisse cuncta libera, hoc uno excepto, quod sit parendum Ecclesiæ, quam qui non audierit, fiat sicut ethnicus et publicanus. Si illa dein præcipiat aliqua aut proponat credenda; an fors detrectanda imperia, et fides neganda? Quatuor primis Conciliis stare se dicunt, in quibus autem complura fidelibus tum faciendæ tum credendæ præscribuntur. Si Petrus et ejus Successores caput sunt Ecclesiæ; ergo ratio sunt quæ dirigit, voluntas quæ statuit, os et lingua quæ voluntatis imperia promulgant. Cui bono Christus Ecclesiæ potestatem fecisset, non tantum pascendi ac regendi dominicum gregem, verum etiam imperandi, vetandi, judicandi et plectendi; nisi ut ea haberet supremam quoque jurisdictionem, cui ab omnibus parendum sit? In quibusnam vero sunt præsentium temporum controversiæ? in iis, quæ omnia in primitiva Ecclesia certa fide tenebantur, scilicet realis præsentia Christi in Eucharistia, Sacramentum reconciliationis, sacræ Ordinationes, Extrema-UNCTIO, Primatus Petri et horum similia; hæc vero credere vel non credere, nobis nequaquam liberum Christus reliquit, qui eâ conceptis verbis enuntiavit, et per Ecclesiam identidem declaravit ac imperavit, cujus hæc potestas, quod sit a Christo, Scriptura sacra, Traditio et perpetuus Ecclesiæ usus manifestant.

Ad Symbolum provocant Apostolicum; sed hoc nobis ac ipsis non est idem, cum idem non sit sensus Symboli; et nonne jamdum tempore Apostolorum hæreses fuere, Symbolo non obstante? Fuerit inde ab ævo Apostolico quædam opinionum et rituum diversitas tum in usu sacramentorum, tum in liturgiis, itemque in jejuniis et nonnullis festis (nam in diem Dominicum omnes consenserunt) attamen omnibus et semper eadem fuere sacramenta, idem sacrificium incruentum, eadem synaxis, eadem exomologesis, eadem Ecclesia, eadem fidei regula, eadem fides. Non ergo illa rerum et opinionum dissonantia aut fuit aut esse potuit circa res fidei, cum singuli Apostoli eadem infallibilitatis prærogativa gauderent, ac propterea nec ad sanctam Sedem recurrere ipsis necessarium esset; cum in iis, de quibus metu erroris consulissent, errare ipsi non possent.

Obj. IV. Pontifices Romani contra Christi institutum et morem Apostolorum sibi arrogarunt regimen monarchicum et potestatem de omnibus, quæ symbolo non continentur, judicandi, eaque condemnandi, proscribendi et anathematizandi, quamvis sine iis divinæ legis ac fidei substantia utrinque salva consistat. Ab hac vero tyrannide quis non liberrime resiliat?

Resp. Quod regimen Ecclesiæ monarchico simile blasphemant Libertini ac Tolerantes, id manifeste prodit animum anarchiæ addictum. Verum corpus expers capitis inanis truncus est; hinc Ecclesiæ Caput est Christus, et Christi in terris Vicarius. Militum seu castrorum acies duce carere non debuit, neque navis Ecclesiæ navarcho: oves Christi sine pastore esse non possunt, et Petrus cujus fidei concreditæ fuerunt, summi Pastoris vices gerit. Nempe sicut oves Christo fideles regi, devæ reduci, et lupi arceri; membra noxia et putrida a corpore rescindi; fluctus, qui naufragium naviculæ Petri intentant, depelli, hostesque veritatis et unitatis Christianæ debellari debent. Præsides igitur, Pastores et Duces esse oportuit, qui Petro et Apostolis hoc in munere succederent, ac præprimis Caput Ecclesiæ, cum quo veluti centro unitatis membra omnia conspirarent. Sint etenim, qui sunt et fuerunt, quorum alii Filium Dei Deo minorem asserant, alii merum esse hominem affirmant, alii unam tantum Christi voluntatem et operationem adstruant, alii Christum verum fuisse hominem negent; alii inficiuntur, Spiritum S. ex Filio procedere; alii duo rerum principia et fatum inducant; alii, rejecta Christi gratia, omnia naturæ tribuant; alii humanam libertatem exterminant; alii in usu, numero, et veritate Sacramentorum aberrant. Qui poterit hos inter errores Ecclesia seu sponsa Christi manere sine macula, et sine ruga, nisi Spiritus sancti ductu sua fundat oracula, effata pronuntiet, decreta ferat et canones condant; cumprimis autem per Christi Vicarium, qui os et caput Ecclesiæ est?

Non ergo tyrannis est, sed Christi singularis erga suum ovile providentia, quod, exorto quovis errore, supremi Pastoris voce oves et pastores confirmet, rebelles spiritus coerceat, lupos insectetur ac profliget.

Obj. V. Ipsimet æquiores ac prudentiores Catholicæ magnam partem Sectariorum salvam fore statuunt, quamvis communionem non habeant cum Romano Pontifice. Et sane nunquam auditum in toto oriente, cum utraque orientis et occidentis Ecclesia una adhuc esset, totius Ecclesiæ unitatem, prout hæc in Symbolo creditur, dependere a communionem cum Episcopo Romano. Integræ etiam nationes in Asia et in Africa inventæ sunt Christianæ, quin de hac communionem, pro terris remotissimis vix possibili, quiequam rescirent. Imo videtur alienum a divina providentia, exigere unitatem ejusmodi seu necessariam ad salutem, cujus usu et notitia gentes nulla sua culpa excidere queant.

Resp. Magnam partem Sectariorum salvam fore, nullum ex nostris novi, qui hoc ausit asseverare. Vix magnam partem nostrorum salvam fore putamus, licet hi veram fidem habeant, et necessariis ad salutem presidiis Sacramentorum instructi sint, quia multi vocati ad fidem et gloriam, pauci vero electi. Dicam, quod res est; vix unum ex multis (ignorantia duntaxat invincibili excusante) salvari arbitror extra Ecclesiam: vel enim error, quo tenetur, inculpatus non est, proin errantem non excusat; aut si forte incul-

patus est (quod raro accidit) alia peccata non desunt, quæ a salute penitus excludunt, præsertim ubi desunt Sacramenta. Nunquam auditum esse dicitur, cum utraque Ecclesia esset una, unitatem Ecclesiæ ita accipiendam esse? imo nusquam aliud auditum est; et statim atque Græci ab Ecclesia Romana desciverunt (idem de aliis) pro schismaticis et hæreticis habiti fuere. Quasi Patres orientis, Ignatius, Athanasius, Chrysostomus aliique ad Romanam Ecclesiam non confugerint, et Conciliis generalibus in oriente habitis Legati Apostolici non præsiderint, aut saltem illorum approbatio a Romanis Pontificibus petita non sit? Quod vero idipsum barbaris gentibus prædicemus, Dei et Ecclesiæ causa jubet, ne Ecclesiam a suo fundamento separemus, iisque taceatur supremus Judex in rebus fidei. Idipsum senserunt, qui fidem Christianam per totum orbem prædicando diffuderunt.

At nulla hujus traditionis vestigia in meridie et oriente a Lusitanis deprehensa: quid mirum, cum a Græcis et Alexandrinis suas leges ac mystas suos acciperent, qui dudum Ecclesiæ Romanæ infensi, illius nomen et auctoritatem extinxerant? Abyssini Patriarchæ Alexandrino subjecti, cujus schisma manifestum ac errores perspicui; et quod alterius Alexandrini jurisdictio ad Indos excurrat, nota res est. De Armenorum Patriarcha constat, ac passim de toto oriente, quod erroribus Eutyhetis, Nestorii, Dioscori, Jacobi Syri, aliorumque pridem fuerit implicitus.

Neque impossibilis est gentibus dicta communio cum Romano Pontifice: demus enim, prædicatum apud Sinas Evangelium ad hæc usque tempora viguisse; non tamen potuisse Sinas hactenus propter maxima locorum intervalla Romam mittere ad Petri successorem; habuisse vero Episcopos juxta ritum Apostolicum consecratos, fidemque intactam servasse; hæc revera sufficienti ad veram Ecclesiæ unitatem. Sed aut nunquam fides illuc pervenit, aut statim extincta est, et idololatria postliminio restituta; ac proinde fors levia supersunt monumenta, illa tamen obscura sunt et incerta; nec ii, qui modo vivunt, scire possunt, quid Majores ante 1700 annos crediderint. Demum inane profecto est, arguere providentiam Dei ex illa ad salutem necessaria Ecclesiæ unitate, qua gentes integræ nulla sua culpa careant vel excidant: nam quis consiliarius ejus fuit? Atque hoc satis, maximæque gratiæ loco habendum, quod nemo nisi sua culpa damnetur, et quod non sine omni culpa gentes illa notitia exciderint; utpote cum gravibus peccatis fidei lumen extinguere, divinamque irritarent justitiam, in pœnam scelerum Deus graviora permisit.

Vide P. FRANCISCI NEUMEYER S. J. per celebres orationes sacras, Augustæ Vindelicorum editas, de Indifferentismo et Adiaphorismo, ac cumprimis *Religionem Prudentem*. Cl. BARTHELI editam Wirceburgi dissertationem Dogmatico-Canonicam de eo, quod circa libertatem in negotio Religionis justum est. C. I. § VII. VIII. IX.

SECTIO III.

DE MACHIAVELLISTIS ET PSEUDOPOLITICIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

MACHIAVELLUS fere dux pseudopoliticorum vel parum vel nihil detulit Religioni, nisi quantum ad subditos, quibus eam ceu commentum mere humanum voluit esse propriam, et ceu frenum aliquod populorum statui non inutilem. Pseudopoliticis autem plerisque perinde est, sive omnes sive nullam profiteri Religionem, prout utilitas propria permittat, suadeat aut jubeat. HOBBIUS, VELTHUSIUS et TRIGLANDUS eodem fere modo exerrant, et Magistratui omnem Religionem ita subjiciunt, ut si falsam adeo is introducat, adoptari a subditis debeat. Horum monstrosis opinionibus non absimilis est ille MONTESQUII *Spiritus Legum*, plus tequo tribuens climati præsertim intuitu Religionis: ait enim (id quod fere etiam sentit auctor *Spiritus Nationum*) non quamvis Religionem cuius aut climati aut regioni aut regimini opportunam esse; Catholicam magis quadrare pro Monarchiis, et pro Rebuspublicis Protestanticam; Christianæ Religionis suos æque præfixos esse limites ac Mahumetanæ; Religionem invito climate alicubi se insinuantem semper expulsam fuisse, indeque factum, quod Christiana voluptuosæ Asiæ parum amica ex oriente in occidentem migrare debuerit. ROUSSEAU cuius nationi fundatorem suæ Religionis vult æque honorandum esse. BAYLE errores in Religione perinde habet. EUGEN. PHILAETHES ne atheum quidem ex errore suo damnationi subjicit, si malitia abest; quasi vero abesse posset malitia. Quæ sane deliramenta eo intolerabilia sunt, quod sint eorum, qui Christiano nomine gloriantur, aut verius abutuntur.

Omnium furiosissime debacchatur LA METRIUS in suo opere: *Essai sur la liberté de produire ses sentiments au Pays libre pour le bien public, 1749, avec privilège de tous les véritables philosophes*: in quo contendit, tam amplam esse Principum potestatem in res fidei et morum, ut pro suo lubitu imperare possint ea, quæ Religionem risui ac contemptui exponunt; ut exterminare suo jure valeant omnes Catechismos; ut atheis possint, si velint, publicas cathedras erigere.

§ II. THEMATA.

I. *Religio neque a Magistratu humano primitus introducta fuit ad subditos duntaxat coercendos; neque eidem ita subjecta, ut parendum sit falsam invehere volenti.*

PROBATIO. Cum ipsa naturæ vox cunctis mortalibus et Deum inclamat, et cultum Dei; quid evidens magis, quam ante omnes civitates et Respublicas ab hominibus constitutas jam viguisse Religionem, adeo non recens inventam a primis Legislatores, ut eam duntaxat adoptarint ceu adjumentum Rerumpublicarum, quas moliebantur? Equidem Religio nullo non tempore præcipuum erat medium, quo suis illi legibus populos subjugarent; sed nixi persuasionem populorum, qua illi Religionem a Deo revelatam, et omni imperio humano antiquiorem ac potiore credebant; ut proin nullus Legislator utut callidus sperare potuerit suarum legum efficaciam ac stabilitatem, nisi Religionis auctoritas in humanas voluntates antehac patuisset. Poterant versuti homines rudi populo imponere, quod suas leges a Diis acceperint: poterant eidem persuadere novas Deitates, novos ritus aut superstitiones in colendis Diis: poterant (id quod solemne omnibus fuit) in metu et cultu Deorum vim et robur suarum legum ponere; sed ita, ut ex his ipsis certissimum sit, apud nullum populum fidem et Religionem Numinis primum introductam Legislatores institulis, et nullum Legislatorem fuisse, qui prima Religionis fundamenta aut posuerit, aut ponere potuerit; sed e contrario Legislatores omnes, quorum aliqua est memoria, populorum opinionibus et Religionibus morem gessisse, in iisque præsidium suis legibus quesivisse.

Inde vero etiam illius delirii monstrosa absurditas patet, quo insitus a natura sensus Religionis liberrimo ac deterrimo subdatur arbitrio hominum imperantium: vel enim quæ imperatur falsa Religio (et cujus falsitas detestandaque simulatio agnoscitur) in Dei cedit injuriam, et parendum nihilominus est? ergo jus naturæ a fundamentis convellitur, et summa Dei majestas conculcatur: vel nec falsa Religio illa Deo displicet? ergo nec Deus est, qui si esset, dignum se et sibi gratum exigeret cultum; nec ulla Religio est, quæ si est, cultus Dei legitimus esse debet; nec ullum aliud flagitium erit, cum non sit ratio, cur illud præ Religione falsa Deo displiceat. Num possit stygius veterator ipse ad evertenda divina humanaque omnia quidquam ex orco submittere pestilentius, probrosius, sceleratius in Deum, in jus naturæ, atque in ipsam naturam rationalem?

Eminent hic THOMAS BOZIUS Eugubinus in Libris contra Machiavellum Romæ editis an. 1593-1596. PETRUS RIBADENEIRA S. J. in suo *Principe Christiano* contra Nicolaum Machiavellum. NICOLAI CAUSSINI S. J. in *Physio-Theolog.* Exercit. IV. art. 3. *de Religione Deo a creatura rationali debita.* Conferri etiam merentur cum principis pseudopoliticorum, *Lettres Critiques, ou Analyse et Réfutation de divers Ecrits contre la Religion.*

II. *Religio climati adeo non est attemperanda, ut potius quaecumque clima Religioni cedere debeat.*

PROBATIO. Religio vera et salvifica duntaxat unica est eaque Christiana, hanc Christus instituit pro universis, ita ut huic decreto Numinis nullum clima obsistere queat : hanc Dei jussu prædicaverunt Apostoli sine ullo climatis discrimine aut exceptione, omni creaturæ et in universo ita mundo: hanc licet magis congruam Europæis omnes populi susceperunt, cum primis Asiatici, inter quos nata, adulta et roborata per complura secula pulcherrime effloruit : hanc posthac Asia exegerunt, non clima, sed vis et arma Mahumetis; nec ita tamen, ut non potissima pars Asiæ, quamvis hæresi aut schismate depravata, hodie dum credat in Christum : hanc in Europa etiam contra Mauros et Saracenos tuita sunt et tuentur, non clima, sed arma catholica, quæ si limites non posuissent Barbarorum incursionibus, clima Europæum (utut Christianismo magis attemperatum dicatur) nequiequam obstitisset, quin MAHUMES in media Germania aut Gallia coleretur; et Mauri in Hispania, et in Italia Saraceni invalescerent. Necdumne ex his agnoscit MONTESQUIEU, suam in rebus gestis omnium seculorum imperitiam? necdumne fatetur suam, quæ est mundi hujus, sapientiam esse stultitiam apud Deum? necdumne erubescit mortalium superbissimus, quod præsumat pervidisse melius, quam infinita Dei sapientia, quid universo generi humano magis sit proficuum? necdumne intelligit, quod et juri naturæ Europam inter et Asiam ipse terminos ponat, cum Asiaticorum immodicas voluptates (quæ sibi inimicam Christi Religionem Asia fecerint excedere) non sola Religio Christiana, sed ipsum damnat jus naturale?

III. *Religionem accommodare motivis humanis, ac terrenis duntaxat commodis, summa vesania est atque impietas.*

PROBATIO. Omnis vera Religio sicut objectum, ita auctorem habet Deum; inde quovis tempore et cunctis gentibus intime persuasum fuit, suam Religionem esse divinam et a Deo revelatam; proin a sola Dei voluntate ac beneplacito vera pendet Religio. Nihil hic morosa conjux, nihil opima prædia, nihil parentum observantia, nihil indignatio Principis, nihil metus sinistrae famæ, nihil humanae leges et locorum consuetudines Religionis divinitati præjudicare possunt. Proterva igitur et sacrilega vox pseudopoliticorum : diversissimæ sunt Religiones, quas inter nulla est, quæ sibi non vindicet divinitatis ac veritatis prærogativam; quid faciat sapiens? eligat loco, tempori, officio, accommodatam, ut publicam sustentet famam et quietem, mens vero et sensus interior supra plebem assurgens sequatur lumen naturale. Nam præterquam quod Religio Christiano-Catholica omnibus veritatis ac divinitatis characteribus sola præfulgeat; resuscitatur hæc ratione illa CICERONIS, EPICRETI et aliorum veterum Sapientum solemnibus circa Religionem simulatio, qua in externo Religionis ritu servandæ sint leges et consuetudines locorum, clam vero totus ille cultus Religionis rideatur et explodatur, atque intus in animo vel nulla vel quælibet locum habeat Reli-

gio; quod quidem non solum a divina revelatione, sed ab ipsa etiam ratione naturali abhorret maxime. Quin et via sternitur ad revocanda in orbem Christianum illa bacchantium deliria, mysteria Orphica et Eleusina, ludos florales, honores Fauno et Capro dicatos; quæ omnia inter sagacissimos quondam gentiles et cultissimas gentes obtinebant vel ex eo, quod revelata ac proin unice vera Religione destituerentur.

Obj. I. Nihil obstat, quominus cum Numa Moses, et Christus cum Mahumete ceu legum conditores comparentur; Numa vero et Mahumes suas leges concinnarunt ad subditos duntaxat coercendos; sic ergo et Moses et Christus.

RESP. Blasphemia est impostorum maxima, quod sapientissimos æque ac sanctissimos Legislatores æquiparent cum hominibus facinorosissimis. Proterve asserunt, quod nullo modo probant; improbe tuentur, quod demonstratur falsissimum esse. Numquid enim pro MOSE et CHRISTO decertant summa sinceritas, mansuetudo, sapientia et integritas Legislatorum, missionis divinæ certissima splendidissimaque argumenta, legum et doctrinæ puritas, sublimitas et sanctitas admiranda? NUMAM vero et MAHUMETEM, præter malesanam imperandi cupidinem, libido, arrogantia, tyrannis, idololatria, et vitia quævis pessima omnium oculis exhibent ceu maximos impostorum. Satis, quod et Numa et Mahumes, cujuscumque Religionis auctores, eam velut de cælo lapsam atque a Numine sibi communicatam populis imponerent, ut super hanc Religionis eminentiam divinitatem suas imperii leges stabilirent. Non ergo, quod unice pendet a Dei beneplacito, liberum est homini, aut quamlibet deligere pro suis commodis, aut novam sibi fabricare Religionem.

Obj. II. Omnis Religio præcipue tenenda est ad uniformitatem membrorum Reipublicæ; huic autem muneri fiet omnino satis, si exterius quidem ea obeantur sacra, quæ colit Respublica v. g. Christiana; intus vero Theista aut Naturalista lateat, qui dudum abjecit Christianismum.

RESP. Habemus ergo confitentes reos pseudopoliticos, quod ex mendaciis et imposturis compacti sint toti. Quippe statis diebus adeunt templa, sed quæ suam malesanæ credulitati ac ignorantia ex ipsorum sensu originem debeant : intersunt Christianorum cœtibus, in quibus tamen error et superstitio (uti blasphemant) sua fundant oracula : curvant genu ante idolum Christianorum, cui fraus altaria consecraverit : eos ritus obeunt, quos artes politica ad legum dignitatem exegerint : ac demum quod habent præstantissimum, suam tyrannico Evangelii et Ecclesiæ jugo subdunt libertatem. Hæc namque officia, utpote cum tranquillitate status Christiani arte conjuncta, is etiam, qui vel videri cupit Christianus, in Republica Christiana haud præterire potest, ut non raro a fortissimis spiritibus incredulorum Religio Christiana extorqueat ejusmodi honores, quos tamen ceu veros vera Religio non reputat, sed ceu imposturas detestatur. Itaque in hoc est tota fortitudo incredulorum, quod ausint illudere et Deo et hominibus; in eo tota illorum honestas, quod turpissimam hypoërisin mendaciis ac imposturis valeant sustentare; in eo felicitas infelicissima, quod cum ne in rebus politicis quidem Republica toleret fraudes et versutias, in rebus sacris et summi

momenti tantisper tolerentur impostores pessimi; sed ab auctore Religionis Christianæ, qui venturus est, et non tardabit iudex et vindex acerrimus, ejiciendi foras ad tenebras et pœnas suæ nequitiae sempiternas.

§ III. COROLLARIA.

Ex his vero omnibus hac in Dissertatione discussis necessaria consecutione deducitur, quod omnes Religionis Christiano-Catholicæ desertores vix digni sunt Christiano nomine: siquidem nec Christi fidem habeant communem cum veris Christi fidelibus; nec præceptis Christi obsequantur, præsertim de necessitate Sacramentorum, de humilitate et sui abnegatione; nec Christum imitentur, prout Christus et Apostoli suis discipulis commendarunt.


1°. Quidam Sectarii diversam a nostra fidem profitentur, desciverunt ab Ecclesia, Religionem et legem cum fide mutarunt, et alium a legitimo ac nobis præscripto Dei cultum adhibent; ergo fidem nobis communem non habent, et a vera Christi Religione defecerunt, quam nos ex divinis oraculis accepimus. Tametsi enim sacris Codicibus credere videantur; cum tamen sine certa regula id fiat, certa fides non est, qua revera deficiente, totius Religionis, legis, divini cultus et æternæ salutis corrui fundamentum.

2°. Præter baptismum, alia quoque Sacramenta fidei et salutis nostræ auctor instituit, cu totidem divinæ gratiæ ductus; vel ad reconciliationem cum Deo, vel ad confirmandum cor nostrum contra salutis hostes, vel ad fovendam ac sustentandam supernaturalem vitam animæ, vel ad sacram potestatem Apostolis traditam et in successores propagandam, vel ad delendas peccatorum reliquias; his vero præsidiiis plerisque carent Sectarii, ac præprimis Sacramento reconciliationis. Si vero ad peccatum originis expiandum singulare baptismi Sacramentum institutum est; an forte actuales noxæ singulari remedio carere debent? si perfectam contritionem et pœnitentiam (quam Ninivite non nisi post lacrymas, afflictiones et macerationes corporis, Sectariis prorsus incognitas, obtinuerunt) prædicare jussi sunt a Christo Apostoli; quid novi subsidii, quid gratiæ, quid prærogativæ Christi nomine mortalibus denuntiabant? quid tandem novi gaudii evangelizabant, dum idem imponerent onus, sub quo humana infirmitas dudum gemebat? Sectariorum vero quæ humilitas juxta mandatum Christi: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde?* an forte legitimum Ecclesiæ jugum excutere; judicis partes assumere, dum reus es; prophetam agere, dum erras; oracula fundere, dum somnias; sacros libros interpretari, dum ipse deliras, modestiæ ac demissioni Christianæ quis tribuet? Ubi observantia præcepti de correctione fraterna juxta illud: *dic Ecclesiæ?* ubi adimpletio præcepti de vitando scandalo? fortassis ubi omnes machinas admovent, ut alios in errorem inducant, a vera Christi fide avertant, omnia sacra e medio tollant, et Catholicam Ecclesiam penitus subvertant; aut ubi leges ecclesiasticas inter sales et jocos abjiciunt, quamvis dictum sit: *Obedite præpositis vestris. Qui vos audit, me audit. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

3°. Quisquis perfectioni Christianæ studet, Christum sequi debet, oportet

ut se abneget, deliciis renuntiet, crucem portet, atque omnia ultro relinquat exemplo Apostolorum, quorum singuli veris Christi fidelibus inclamant: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*: At nihil viget minus inter Sectarios, quam Christi et Apostolorum imitatio, atque observatio consiliorum Evangelicorum: vix noverunt castitatis nomen, rem ipsam fugiunt, et cælibatum vitio ducunt: paupertatem et corporis afflictationem penitus perhorrescunt: Christianam animi demissionem, contemptum mundi et terrenorum, ignominiam et contumeliam omnem palmari odio prosequuntur: nullum illis cum cruce commercium, cujus vel minimo signo muniri dèdignantur.

Cum igitur sicut Christus unus est, ita uni Ecclesiæ unico Testamento omnia sua tradiderit, legem scilicet, dogmata, præcepta et consilia; illa Ecclesia, penes quam sunt consilia, habet etiam præcepta; et vicissim quæ gaudet præceptis, gaudet consiliis Christi, ne Christus divisus sit, et lex Christi aut Religio Christiana multiplex. Sectarii non habent consilia Christi, non servant præcepta Christi et Ecclesiæ; proin perperam a Christo nomen gerunt.



DIRECCIÓN GENERAL D

DISSERTATIO X.

DE DEPRÆDATORIBUS NOMINIS CATHOLICI.

SECTIO I.

THEISTÆ SEU NATURALISTÆ NON SUNT SPÏRITUS FORTES, NEC SAPIENTES PHILOSOPHI.

§ I. PRÆCOGNITA.

Theistæ seu Naturalistæ aut Deum, aut Deum saltem providum negant. Qui vero Deum Deique providentiam ore profitentur quidem, tamen sola Religione naturali contenti, divinam Revelationem abnegant omnes. Non omnes iisdem utuntur armis: alii enim verbis sæpe prædicant Scripturam sacram et Religionem Christianam, ut eo certius, quo tectius, utramque suffodiant: alii, sub prætextu Religionis Christianæ magis rectæ rationi conformandæ, Religionem mere Naturalem (quæ jam non est, nec unquam fuit, aut erit) introducere contendunt: alii argumenta contra veritatem Christianam tam acriter ac vehementer intorquent, ut demum omnia Christianismi principia absurditatis ac stoliditatis arguant: alii textus sacros pyrrhonicè ventilant, ut demum omnes ceu totidem tropos et allegorias accipi velint; inde certi vel de exterminio, vel de ludibrio veritatis revelatæ: alii sicubi divinum Codicem ceu antiquitatis monumentum tolerant, cumdem passim alibi ceu farraginem fabularum, contradictionum, errorumque ac sphalmatum exhibent. Demum uno omnes ore clamant: sufficit Deum unum colere; sufficit esse virum honestum; in omni Religione est Deus et salus. Nihilominus tantæ cum sint proterviæ, impudentiæ ac nequitia portenta, SpÏritus fortes et sapientes Philosophi audire ambiunt.

Hujus impietatis auctores, CAROLUS BLOUNT in Oraculis Rationis, ANTON. COLLINS in variis Discursibus de Religione Christiana, SCHAFTESBURY in suis Characteristicis, MANDEVILLIUS, WOOLSTON, TINDAL, CHUBB, MORGAN, ALBERT. RADICATI, TYSSOT DE PATOT, ROUSSEAU in suo Emilio, MARQUIS D'ARGENS in Defensione Paganisimi, TOLANDUS, EDELMANNUS in suo Mose, Christo et Belial, VOLTAIRE.

§ II. THEMATA.

I. *Theistæ nonnisi frivole et ad sui opprobrium Spiritus fortes sese vocitant.*

PROBATIO. Spiritus vere fortis et nomen et omēn habet, qui a præjudiciis non abripitur; qui in re gravissima, cujusmodi est Religio, rationum et auctoritatis momenta rite ponderat; qui pro veritate agnita strenue decertat; qui tandem immotus ad omnes casus stat pro veritate Religionis. Sed Theistarum libertas sentiendi contra communem sententiam, spernendi auctoritatem quamvis supernam, ipsamque vocem naturæ repudiandi; nonne a malesanis orta præjudiciis, præjudicium generat gravissimum contra veram spiritus fortitudinem; et summam potius animi imbecillitatem, aut certe putidam animi elationem in Theistis manifestat? Et quæ infirmitas spiritus, contra lucem divinam solum naturale lumen sectari, idque in divinis et supernaturalibus, cum ne humana quidem et terrena assequatur ratio duntaxat naturalis; quin et ipsa (si sana et a præjudiciis libera est) dictet ratio, circa Dei consilia, gratiæ mysteria, et fidei dogmata in obsequium primæ et summæ veritatis captivandum esse intellectum, ne quod tristi compertum experientia, in deterrimos errores prolabatur? Quid vero huic naturæ voci, totius antiquitatis testimonio, Christiani orbis credulitati, omnibus omnium temporum sapientissimis et sanctissimis Christi fidelibus, Christo, Apostolis, Martyribus, Evangelio et Ecclesiæ opponunt Theistæ, ut contra tam invictum rationis et auctoritatis Achillem suum tueantur Naturalismum? fortissima scilicet munimenta, miserimas argutias, arrogans supercilium, risus et ludibria, sannas et opprobria.

Et quousque persistet hæc fortitudo, num ad mortem usque? Sane quoad vivunt, sola ratio fuit ipsis et Deus et lex et virtus et omnia; cælum et infernus fabula, iudex et æternitas inane terriculamentum, fides et Religio delirantis phantasiæ soboles. Ast ubi vel somnium terret, vel nescio quod præsagium percellit, vel repentinus casus obruit; videas illos præ fortitudine spiritus toto corpore contremiscere, itaque turbati animo, ut vix a desperatione cohiberi possint. Multo autem magis in periculo mortis, ubi vel maxime illa fortitudo exerenda sit; ita quidem, ut vel sacerdotem anxie accersant, quem nuper ceu ministrum superstitionis explodebant, et sacramentis morientium expiari ac confortari demisse efflagitent, quæ inter fanatismi quisquilias abjecerant; vel his deficientibus imbelli ancillæ se concredant, ceu magistræ ac duci ad piam mortem et æternam salutem.

Qua demum fronte excelsos sese fortesque spiritus ausint vocitare, qui improbissimis dominis, turpitudini ac dedecori parere ipsimet passim consueverint? quibus avaritia imperet, insultet iracundia, libido dominetur, et cæteræ labes animi turpissimum servitutis jugum imponant? Credunt illi forsitan, in vestitu molli, superbo incessu, aliorum despectu, madente coma, lascivientibus oculis, in conviviiis, in choreis, in stupris fortes quisquam spiritus agnoscat? Et vero hæc esse egregia illius fortitudinis argumenta, ex quotidiana partim experientia testes oculati, partim ex ipsorum ore et ingenua confessione non raro habemus. Quoties enim juvante gratia ad melio-

rem frugem reversi sunt, licentioris vitæ illecebras unam sibi fuisse ab avita fide discedendi causam, palam omnes aperuerunt.

II. *Theistæ nomen sapientis philosophi nonnisi cum ignominia veræ sapientiæ sibimet arrogant.*

PROBATIO. Negant Theistæ, Epicuri deliriis et Spinozæ tenebris toti immersi, Deum peculiari quadam Religione a Deo libere revelata esse honorandum: quam insipiens est hæc philosophia, aut contra persuasionem naturalem; aut certe contra communem cunctis gentibus traditionem de Religione, quod hæc debeat esse a Deo, sicut est erga Deum? Quippe præjudicia enata ex sensibus, affectusque inordinati per homines utique diffundi in universum poterant; at iudicium universale ex prædictis fontibus non emanans vel naturam habet magistræ, vel traditionem generis humani, quam adeo gentilium fabulæ de amica Dei cum hominibus communicatione attestantur. Theistæ ratione, cui in omnibus etiam mysteriis ceu iudici deferunt, abutuntur; cum non distinguant inter motiva credibilitatis, quæ discutit ratio, ac inter mysteria, quæ ratio haud penetrat; atque de his Philosophastris merito dictum est illud POETÆ: « faciunt intelligendo, ut nihil intelligant. » Nonne sapientis Philosophi est (ne inter se collidat rationem et fidem) ea quæ sunt naturæ, rationi; et quæ sunt fidei, altiori indagini deferre? Indignus est philosophi nomine, tum qui contra omnem sanam philosophiam et veram metaphysicam sensuum et affectuum iudicio definit ea, quæ non cadunt sub sensus, et sunt puræ rationis; tum qui ad trutinam solius rationis ea ponderat, quæ sunt supra rationem, divinæque Revelationis.

Quæ major insipientia esse possit, quam adorare leviolem ratiunculam scriptoris increduli, et ad innumera fortissimaque veritatis Christianæ argumenta obdurescere? quam in gremio Ecclesiæ natum esse, in medio credentium vivere, indeque a teneris scire et sentire, quæ sunt Christianismi, et verbis tamen factisque se profiteri contemptorem ac derisorem ejusdem fidei? quam adoptare Religionem, in qua nihil sit arduum, nihil sublime, sed quæ tota limitibus naturæ, et limitatæ rationis circumscribitur sit terminis? quam denique humanum intellectum eousque extollere, ut contra naturam et auctorem naturæ prætentatur, ne quid aut natura reconditum habeat, quod ratio naturalis non intime perspiciat; aut doceat Religio, quod rationem transcendat? Sic ergo Naturalistæ et naturam ipsi præcipitant, et auctorem naturæ, quamvis infinitæ sit potentiæ ac sapientiæ, ad certos limites restringunt. Sunt ergo Theistæ philosophi, sed quibus panegyri in 2^a sua epistola pridem dixit Princeps Apostolorum, quosque caligine tenebrarum oppressos, fontes sine aqua, et nebulas turbiniibus exagitatas; quos maledictionis filios, excecate mentis ac infruniti cordis foeda mancipia verissime affirmat.

Obj. I. Religio Christiana ad ima deprimit humanam rationem: nam interdicit scrutari Mysteria fidei, utpote quæ cum ratione maxime pugnent, ut sunt spiritualis regeneratio ex aqua, panis Deus, Verbum caro, Virgo mater, tres personæ in una natura, duæ naturæ in una persona, ac demum

resurrectio mortuorum in eadem carne : præcipit cæcam in omnibus obedientiam, quin et fidei meritum omne attribuit spontaneæ cæcitati intellectus humani. Sapiens igitur philosophus est, simul et spiritus fortis, qui tam probrosam rationis humanæ servitutem vindicat, et jugum excutit omne Revelationis.

Resp. In causa Religionis nocet perinde ignorantia crassa et scientia perquisita. Qui ignorat omnia, refellit nihil; pronus est ad superstitionem. Qui omnia vult rimari, et difficulter credit; is patet dubiis impiorum. Ubivis ratiocinari in rebus fidei, obstinatio est periculosa: nam vix unquam ratiocinium operatur fidem magis docilem; dum contra fides vera missa faciat scrutamina more credens cæco. Neque cæca hæc intellectus obedientia, quæ a probro et periculo erroris præstat immunem, intellectum aut dedecet aut deprimit; quid namque deroget rationi nostræ, si curioso illius examini subducantur mysteria, quorum claram habere cognitionem non sit necessarium; quorum obscuritatem revereri perquam utile sit; quorum comprehensio impossibilis, et quorum perscrutatio discrimini pateat? Quod Deus homo factus formam servi induerit, suo sanguine hominum animas redemerit, animabus fidelibus et victima et pabulum sit, suosque servos æternæ felicitatis ac gloriæ suæ facturum participes; res sunt momenti summi altissimæque indaginis. Si vero ex evidentia miraculorum et vaticiniorum omne possibile dubium super his excludatur; quid demum refert scire, quæ ratione ea omnia fieri potuerint? Hæc quidem scire perfectio foret hominis, sed ad felicitatem hujus vitæ haud necessaria, nec ullius meriti, et sine qua omnium virtutum, cujus sit capax homo, perfectionem contingat. Est ergo perfectio ejusmodi, quam Deus citra omnem injuriam alteri vitæ reservavit, et cujus prælibationem etiam in hac vita concedere potest in præmium vivæ fidei, et cæcæ obedientiæ erga sui verbi auctoritatem.

Quæ velut incredibilia fidei mysteria sigillatim perstringuntur, ea cum fide dignissima exhibent ac vindicant hujates Institutiones Theologicæ de Deo Uno, Trino, et Incarnato, de Sacramentis N. L. et de statu hominis post hanc vitam.

Obj. II. Ad quid ergo lumen rationis, si hæc cæcutiat ad lumen fidei, et cæco modo assentiri debeat, et assensu quidem firmissimo? Sapientis est credere, quæ intelligit; et spiritus fortis est, quæ non videt, non capit, fortiter rejicere.

Resp. Sacrificium, quo nostra ratio per assensum firmissimum se perfectissime subdit æternæ veritati, eo est Deo acceptum et honorificum magis, quod veritates rationi naturali prorsus impervias, ab ea tamen propter Deum firmiter credantur, quam omnes veritates naturales, quas ratio assequitur ac intime percipit; homini autem eo proficuum magis, tum quod majoris sit meriti plenissimum obsequium intellectus veritati inevidenti præstitum, tum quod certior reddatur intellectus de veritate mysteriorum credendo auctoritati divinæ, quam si lumine naturali omnino clare ea pervidisset, nunquam vero sola ratione naturali pervidenda. Plurimum ergo perficit ac nobilitat intellectum hæc ejus subjectio, quæ illum ad usque sanctuarium Divinitatis, altissimaque mysteria et profundissima Dei consilia cognoscenda elevat; per quam discit a Deo Dei naturam et perfectiones,

quas ratio nunquam assecuta fuisset; vi cujus Deum magistrum habet illius scientiæ, cujus objectum ipse Deus est; per quam noster intellectus et finem a Deo præfixum, et Religionem a Deo præscriptam, et beneficia a Deo collata, et media ad salutem a Deo ordinata, uti sine omni labore et studio, ita summa cum certitudine intelligit omnia. Multa non capis mysteria naturæ, quod fateris, Theista! et naturæ tamen defers omnia. Deus loquitur, et mysteria Religionis revelat, quæ captum humanum exsuperant; et renuis credere, Theista! hoc est, Deum audes privare honore obsequii grati et debiti, tuum intellectum tanta luce et perfectione, tuam voluntatem insigni merito, quæ major stoliditas esse possit?

Quæ sit mentis humanæ brevitatis ac imbecillitas, præter Hoochium, Genuensem et Forsterum, præclare dilucidant DALHAM derivatione recte cogitandi, loquendi et intelligendi L. I. P. I. c. 3. SCHERFFERUS noster, Exercit. IV. art. 4. in Physio-Theologia. MONTEIRO S. J. P. V. logices de fontibus errorum.

Obj. III. Quæ sapientia hominis Christiani, cujus approbet, improbet ratio, et qui velit, nolit, assentiri tamen omnibus debet, quamvis sæpius non sint certa, nec revelata. Et quidem circa miracula, quæ jactat Religio revelata, quot et quanta non intervenire hactenus figmenta et deliria?

Resp. Equidem non inficior, posse credulitatem rudium hinc inde esse nimiam, itaque contra veritatem impingere, ut cuiusvis facile prodigio ceu vero assentiat; id autem certum, quod is error nequiquam oriatur aut ex vivaci fidelium idea de potentia, justitia et bonitate Dei, aut ex sincero affectu erga prærogativas Religionis revelatæ, aut ex pia animi preparatione ad fidem omnium, quæ summa veritas edoceat: siquidem hæc animi dotes semper justæ ac prudentes spiritum etiam fortem omnino deceant. Sed vel defectus maturi judicii, vel excessus zeli, qui non sit secundum scientiam, illius qualiscumque erroris origo est. Nimirum haud satis est ad Christianam miraculorum fidem, duntaxat nosse, sive quod ea pendeant vel ex solo nutu voluntatis divinæ, sive quod brachium Domini non sit abbreviatum; sed insuper requiritur, ut opera illa, quæ pro miraculis venditantur, ineluctabili testimonio confirmantur, simul et characteres divinæ ac supernaturalis operationis præferant. Cum igitur simplicium ratio tam profunde non rimetur vim et veritatem miraculorum; eorum pietati hinc inde aliquid superstitionis admisceri potest, utpote qui sibi facile persuadeant, quod in quibusvis miraculis eluceat divinitas; qui sine previo examine omnia venerantur, quæ illorum pietatem nutriant; qui demum minime suspectam habent fidem historiarum ac historicorum, qui summam Dei potentiam et Sanctorum virtutes tantopere extollunt. In quo a sanæ rationis ductu aberrari, nemo dubitat.

Verum spiritus fortis Christianorum media incedit via inter nimiam credulitatem atque incredulitatem; nec omnia facile credit levis corde, sed motiva, characteres et circumstantias omnes accurate disquirat, quibus pensatis omnibus si perstat ambiguitas, expectat sensum Ecclesiæ, cujus est judicare de rebus fidei; nec facile rejicit omnia, quæ prodigii instar proferuntur, cum sciat naturæ ordinem auctori naturæ perfecte subditum, et miraculum nequiquam incredibile esse; iis vero, quæ sunt testatissimæ fidei, assentitur plenissime cum veneratione suæ Religionis, et cum gratiarum

actione erga Deum tam sanctæ ac tam augustæ auctorem Religionis. Secus faciunt Theistæ : nam in iis omnibus, quæ non capit infirma ratio, obstringunt sapientiam Dei infinitam ad respondendum suis dubiis : ad evidentiam credibilitatis claudunt oculos, ne videant : ad vocem Magistræ, quam Deus in terris constituit falli et fallere nesciam, occludunt aures, ne audiant : et non tam cupiunt Religionem revelatam, hujus mysteria et dogmata sibi manifestari, quam ignorari ab omnibus. Quæ imbecillitas, protervia, impietas ?

Obj. IV. Christiani nec de altitudine, nec de profunditate mysteryum solliciti sine ullo examine prævio credunt, quia credunt : quæ vero sapientia, etiam maxime abhorrentia a recta ratione facillime credere ? quæ spiritus fortitudo, maximas difficultates minime curare ?

Resp. Si Deus mysteryum clavem in terris posuisset : si mortalibus concessum esset, in ipsa Dei essentia (in qua veritatum omnium pulcherrimus ordo et nexus splendidissime relucet) mysteria et dogmata intueri ; omnis omnino difficultas et obscuritas dudum evanisset. Verum quia et Deus in mysteryis maxime absconditus esse voluit, et mens humana præsertim in supernaturalibus plurimum caligat ; non nisi in ænigmatibus nunc videmus, et quoad vivimus, nunquam ab omni difficultate ac obscuritate libera erit fides nostra. Theista quam putide, tam insipide suam fidem patitur expugnari a difficultate, quam ex sola ratione dissolvere non valet ; et suam mentem ab illa obscuritate, quæ nihil obest fidei, et quæ meritum fidei auget, penitus excæcari. Sic vero sua sponte excæcatum nihil plane movent motiva credibilitatis evidentissima pro veritate Christiana ; nihil necessaria fides quarundam veritatum etiam naturalium, quamvis inter se pugnare videantur ; nihil arma quæcumque tam rationis, quam Revelationis, ad quævis dubia valide profliganda. Quæ imbecillitas mentis, illi non absimilis, qua victus homo ab indomitis affectibus et tentationibus proruit in abyssum vitiorum : nec absimilis hæreticorum imbecillitati, qui cum rationi suæ nimium confidunt, quin tamen cum ea totam mysteryum sublimitatem rite possint conciliare ; revelationi superaddunt spiritum privatum suis sensibus et affectibus accommodatum, et ex hoc magistro errorum omnes errores.

Mavult igitur Theista dubitare, ubi orthodoxus firmissime credit, dissipatis ab infallibili auctoritate omnibus dubiis ac controversiis fidei ; mavult cæcutire Theista, ubi Christianus ambulat in admirabili lumine fidei ; mavult æternum perire Theista, quam difficiliori pugna victoriam, fidem veram, æternamque salutem sibi comparare.

§ III. COROLLARIA.

Hominem orthodoxum fidei divinæ difficultas, quæ Theistas dejicit, ne movet quidem. Nam ex idea Dei ceu Entis infinite perfecti probe intelligit, quod nihil transcendat omnipotentiam : abyssum divinorum judiciorum quo minus valet perscrutari, eo demissius reveretur : mirabilia divinæ charitatis symbola erga homines quo magis rationem excedunt, eo ferventius

spem illius animant : ex consideratione immensæ Majestatis divinæ despiciunt omnes humanæ mentis argutias : fortissimæ antitheses eum vel minime tangunt aut angunt, non quod earum vim non sentiat, sed quod in Petra fundata sit ejus fides adversus omnes procellas ac tempestates invicta : illud Theistarum ἀδύνατον hoc uno refellit ; tametsi incomprehensibilia, non tamen incredibilia sunt, quæ fecit infinita virtus, et revelavit æterna veritas : quamvis infirma et limitata ejus sit ratio, tamen fides ejus (qua toto corde suscipit omnia, et quæ sunt in ipso Deo, et quæ sunt extra Deum facta a Deo, et quæ facere potest Deus) fere ad sensum S. HILARII immenso et omnipotenti Deo commensuratur. En spiritus vere fortes et liberos ! uni Deo servire ex toto corde, et solum Dei beneplacitum habere pro norma credendi et videndi ; hæc aurea servitus, vera libertas, et fortitudo spiritus nobilissima est. En Religionem prudentum ! credibilitatis evidentiam expendere, Deo revelanti captivum subdere intellectum, primæ et summæ veritati firmissimum præstare assensum, et Dominum gloriæ, quo modo cognitus est, ad præscriptum tam rationis, quam Revelationis glorificare.

Igitur orthodoxus ad criteria rationis, ad Theistarum deliria, inter mundi pericula, et hominum scandala tam constans et immotus in fide præfendit meliori jure compellari spiritus fortis ; sed omnis ejus fortitudo in Deo est, sicut fiducia ejus omnis in confessione suæ imbecillitatis ; ejus anxietas et metus in consideratione ruinæ tot a natura et a scientiis instructissimorum virorum ; ejus sapientia in humilitate, in abnegatione sui, in submissione ad Ecclesiam, quæ divino spiritu agitur ; cum noverit oppositam hisce arrogantiam Theisticæ imbecillitatis, insipientiæ ac perditionis causam esse.

SECTIO II.

THEISTÆ VERIUS SUNT ATHEI AC IMPII SECTARIIS AC PAGANIS
FACILE DETERIORES.

§ I. PRÆCOGNITA.

Mirum videri jure possit, quid sit, quod Judæum, Mahumetanum, aut Paganum facilius ducas, quam hodiernum incredulum reduces ad Christum. Nonne enim illis suam superstitionem infantie præjudicia, inveterata consuetudo, exempla majorum, præcepta magistrorum, et propensio ad sensibilia duntaxat et corporea efficacissime ita persuadent, ut ab omni novitate (præsertim quæ humanam rationem exsuperet, et secum ipsa in multis pugnare videatur) maxime abhorreant ? His vero (eo quod una cum primo rationis usu acceperint revelationem, statimque mysteria nostræ fidei amplexi sint ac venerati, Deum Unum in tribus personis, Verbum Incarnatum in sinu Virginis, Deum Hominem pro salute hominum crucifixum, resurre-

actione erga Deum tam sanctæ ac tam augustæ auctorem Religionis. Secus faciunt Theistæ : nam in iis omnibus, quæ non capit infirma ratio, obstringunt sapientiam Dei infinitam ad respondendum suis dubiis : ad evidentiam credibilitatis claudunt oculos, ne videant : ad vocem Magistræ, quam Deus in terris constituit falli et fallere nesciam, occludunt aures, ne audiant : et non tam cupiunt Religionem revelatam, hujus mysteria et dogmata sibi manifestari, quam ignorari ab omnibus. Quæ imbecillitas, protervia, impietas ?

Obj. IV. Christiani nec de altitudine, nec de profunditate mysteryum solliciti sine ullo examine prævio credunt, quia credunt : quæ vero sapientia, etiam maxime abhorrentia a recta ratione facillime credere ? quæ spiritus fortitudo, maximas difficultates minime curare ?

Resp. Si Deus mysteryum clavem in terris posuisset : si mortalibus concessum esset, in ipsa Dei essentia (in qua veritatum omnium pulcherrimus ordo et nexus splendidissime relucet) mysteria et dogmata intueri ; omnis omnino difficultas et obscuritas dudum evanisset. Verum quia et Deus in mysteryis maxime absconditus esse voluit, et mens humana præsertim in supernaturalibus plurimum caligat ; non nisi in ænigmatibus nunc videmus, et quoad vivimus, nunquam ab omni difficultate ac obscuritate libera erit fides nostra. Theista quam putide, tam insipide suam fidem patitur expugnari a difficultate, quam ex sola ratione dissolvere non valet ; et suam mentem ab illa obscuritate, quæ nihil obest fidei, et quæ meritum fidei auget, penitus excæcari. Sic vero sua sponte excæcatum nihil plane movent motiva credibilitatis evidentissima pro veritate Christiana ; nihil necessaria fides quarundam veritatum etiam naturalium, quamvis inter se pugnare videantur ; nihil arma quæcumque tam rationis, quam Revelationis, ad quævis dubia valide profliganda. Quæ imbecillitas mentis, illi non absimilis, qua victus homo ab indomitis affectibus et tentationibus proruit in abyssum vitiorum : nec absimilis hæreticorum imbecillitati, qui cum rationi suæ nimium confidunt, quin tamen cum ea totam mysteryum sublimitatem rite possint conciliare ; revelationi superaddunt spiritum privatum suis sensibus et affectibus accommodatum, et ex hoc magistro errorum omnes errores.

Mavult igitur Theista dubitare, ubi orthodoxus firmissime credit, dissipatis ab infallibili auctoritate omnibus dubiis ac controversiis fidei ; mavult excutire Theista, ubi Christianus ambulat in admirabili lumine fidei ; mavult æternum perire Theista, quam difficiliore pugna victoriam, fidem veram, æternamque salutem sibi comparare.

§ III. COROLLARIA.

Hominem orthodoxum fidei divinæ difficultas, quæ Theistas dejicit, ne movet quidem. Nam ex idea Dei ceu Entis infinite perfecti probe intelligit, quod nihil transcendat omnipotentiam : abyssum divinorum judiciorum quo minus valet perscrutari, eo demissius reveretur : mirabilia divinæ charitatis symbola erga homines quo magis rationem excedunt, eo ferventius

spem illius animant : ex consideratione immensæ Majestatis divinæ despiciunt omnes humanæ mentis argutias : fortissimæ antitheses eum vel minime tangunt aut angunt, non quod earum vim non sentiat, sed quod in Petra fundata sit ejus fides adversus omnes procellas ac tempestates invicta : illud Theistarum ἀδύνατον hoc uno refellit ; tametsi incomprehensibilia, non tamen incredibilia sunt, quæ fecit infinita virtus, et revelavit æterna veritas : quamvis infirma et limitata ejus sit ratio, tamen fides ejus (qua toto corde suscipit omnia, et quæ sunt in ipso Deo, et quæ sunt extra Deum facta a Deo, et quæ facere potest Deus) fere ad sensum S. HILARII immenso et omnipotenti Deo commensuratur. En spiritus vere fortes et liberos ! uni Deo servire ex toto corde, et solum Dei beneplacitum habere pro norma credendi et videndi ; hæc aurea servitus, vera libertas, et fortitudo spiritus nobilissima est. En Religionem prudentum ! credibilitatis evidentiam expendere, Deo revelanti captivum subdere intellectum, primæ et summæ veritati firmissimum præstare assensum, et Dominum gloriæ, quo modo cognitus est, ad præscriptum tam rationis, quam Revelationis glorificare.

Igitur orthodoxus ad criteria rationis, ad Theistarum deliria, inter mundi pericula, et hominum scandala tam constans et immotus in fide præfendit meliori jure compellari spiritus fortis ; sed omnis ejus fortitudo in Deo est, sicut fiducia ejus omnis in confessione suæ imbecillitatis ; ejus anxietas et metus in consideratione ruinæ tot a natura et a scientiis instructissimorum virorum ; ejus sapientia in humilitate, in abnegatione sui, in submissione ad Ecclesiam, quæ divino spiritu agitur ; cum noverit oppositam hisce arrogantiam Theisticæ imbecillitatis, insipientiæ ac perditionis causam esse.

SECTIO II.

THEISTÆ VERIUS SUNT ATHEI AC IMPII SECTARIIS AC PAGANIS
FACILE DETERIORES.

§ I. PRÆCOGNITA.

Mirum videri jure possit, quid sit, quod Judæum, Mahumetanum, aut Paganum facilius ducas, quam hodiernum incredulum reduces ad Christum. Nonne enim illis suam superstitionem infantie præjudicia, inveterata consuetudo, exempla majorum, præcepta magistrorum, et propensio ad sensibilia duntaxat et corporea efficacissime ita persuadent, ut ab omni novitate (præsertim quæ humanam rationem exsuperet, et secum ipsa in multis pugnare videatur) maxime abhorreant ? His vero (eo quod una cum primo rationis usu acceperint revelationem, statimque mysteria nostræ fidei amplexi sint ac venerati, Deum Unum in tribus personis, Verbum Incarnatum in sinu Virginis, Deum Hominem pro salute hominum crucifixum, resurre-

ctionem omnis carnis, piorumque præmia et supplicia impiorum sempiternam) necessarium non erat præjudicia depellere, fidem mutare, aut Deum, quem antehac adoraverunt, concremare. Lex quippe Christiana, lex illorum prima, et ad usque transitum ad incredulos unica extitit; proinde multo his facilius erat manere, quam illis fieri Christianos. Nimirum evidens est (quod nonnulli sua a Theismo ad Christianismum opitulante Deo reversi confessione attestantur) Theismum non mentis incredulæ, sed depravati cordis abortum esse; qui cum per effrenem licentiam sentiendi, vivendi, et audendi quilibet adoleverit, excrescat in portentum hominis sine Deo, sine ratione, sine fide, sine honestate, sine humanitate.

§ II. THEMATA.

I. *Theistæ seu Naturalistæ reipsa sunt Athei.*

PROBATIO. Qui aut Deum negat, aut providentiam aliasve divinas perfectiones detrahit Deo: qui ab immortalitate animæ, a pœnarum æternitate aliisque veritatibus, quæ futurorum horrorem ingerunt, mentem omnino avocant, etsi non ore, saltem corde easdem abnegant: qui dubia et dictoria sine numero congerit, ut sibi et aliis persuadeat, nullam esse divinam Religionem: qui demum jus ipsum naturale evertit, veram virtutem, veramque hominis felicitatem; is verus est atheus, non quidem mentis, sed cordis. Verum in his omnibus satis aperte consentiunt Theistæ cum Atheistis, prout ex eorum libris et placitis Theistarum hucusque exhibitum, atque deinceps pluribus demonstrabitur. Nonne enim plerique Naturalistæ cum BOLINGBROCKIO proborum calamitates, prosperam sæpe impiorum sortem, clades publicas, quibus etiam innocentes involvuntur, et quæ sunt hujusmodi plura quotidie in hoc orbe evenientia, pugnare dicunt cum bonitate et justitia Dei? Alii multa etiam in mundo se reperire autumant, quæ cum infinita Dei sapientia minime conveniant. Plures cum EDELMANNO nullam asserunt obligationem naturæ rationalis enasci ex voluntate Dei, sed duntaxat a pœnis Magistratum et jure talionis. Alii felicitatem hominis cum EPICURO ad illam brutorum deprimunt, et pro jure naturæ statuunt instinctum naturæ etiam bestiis communem. Idem EDELMANNUS Deum negat esse justum, nisi tantum in personis judicium. Idem BOLINGBROCKIUS impium esse contendit, Deo bonitatem et justitiam affingere, saltem ideis nostris respondentem; indeque negat, hisce perfectionibus divinis inniti jus naturæ; affirmat autem fanaticos esse omnes, qui hasce perfectiones, quantum fieri licet, in se exprimere conentur. Contra inferni pœnas unanimi omnes sensu ita obstrepunt, ut vel fanatismo illas subjiciant, vel Deum injustitiæ arguant.

Itaque cum Deum sibi effingant Theistæ cæcum, improvidum, incurium et injustum, reipsa cum Atheis negant esse Deum; cum perfectiones divinae, quas utrique negant, sint ipse Deus. Atque hinc est, quod BAYLE, legionis impie antesignanus, summopere in suis scriptis dilaudet virtutes Atheistarum æque ac Theistarum.

II. *Theistæ seu Naturalistæ verius sunt impii.*

PROBATIO. Sicut vix ulli dantur Athei mentis, qui fere omnes corde tantum athei sunt; ita vel nulli vel paucissimi sunt Theistæ, qui ex persuasionementis abjecto Christianismo sectentur Naturalismum. Cordis namque insipientia et malitia est, qua sicut Atheistæ non esse Deum, ita exoptant Theistæ, non esse divinam Religionem, quæ captivat intellectum, cor refrænat, pravosque affectus coerces. Idipsum Theistarum epicurei mores et doctrina, nec non propria confessio abunde testantur: quis enim ignorat, docere MANDEVILLIUM (a quo non dissentit MONTESQUIEU) quod virtus in Monarchiis obtinere non possit; infaustam fore Rempublicam, in qua sola virtus vigeat; vitia ad Reipublicæ felicitatem tam esse necessaria, ut sine illis jaceat laus bellica, plures artes intereant, magna hominum pars egeat, et vita plerisque supersit miserrima? LAMETRIUS per flagitia etiam felices nos fortunatosque hac in vita efficit, flagitiosissime effutiit. Hos vero duces dum sequuntur Theistæ, et dum his illorum et aliis pestilentibus juris naturæ principiis vitam accommodant; inde illa cordis depravatio et morum scurrilitas, quæ uti omnem stimulum conscientie retundit, ita contra frenum omne veræ Religionis recalcitrat. Certus enim sum ex Theistarum respicientium sincera confessione, quod, si Christi fides sola sine operibus fidei ad Christianum nomen sufficeret; si ex mysteriis revelatis nulla morum sanctitas proflueret ad salutem Christiani hominis necessaria: si lex Christi affectibus ac infirmitatibus naturæ plus indulgeret; nullum deinceps fore aut ullum unquam extitisse Theistam. Ast quia adversus carnem et concupiscentias ejus perpetuo decertandum erat, et hæc victoria difficilior visa est, quam captivatio intellectus; arma in Christum vertit cor impium Theistarum.

Cum igitur peccato originis (quæ est Patrum ac Theologorum sententia) plus depravatum sit cor, quam mens hominis; et experientia teste facilius sit credere, quam vivere christiane; legitima est consecutio, quod rebellio contra legem et moralem doctrinam Christi origo sit rebellionis contra fidem, mysteria et dogmata Christi; ac proin magis impii, quam increduli sint Theistæ ac Naturalistæ.

III. *Hodierni increduli pejores sunt sectariis ac hæreticis.*

PROBATIO. Tametsi in eo cum sectariis concordent Theistæ, quod utrique ex abusu rationis hallucinentur; in plerisque tamen horum incredulitas illorum superat pervicaciam. Hæretici quidem in divinam revelationem injurii et in fidem orthodoxam perfidi sunt; sed unum duntaxat alterumve dogma veræ Religionis subvertunt; Theistæ simul omnia. Sectarii adeo non abjiciunt Scripturas divinas, ut eas ceu unicam credendorum normam ad suos sensus detorqueant, parati (ut quidam maligne prædicant) ad ejurandam suam sectam, ut primum ex verbo Dei scripto falsitatis ea convincatur; Theistæ omnem omnino Revelationem seu scriptam seu traditam aspernantur. Hæretici utriusque Testamenti miracula et oracula, Mosen et Prophetas,

Christum et Apostolos in veneratione habent; Theistæ despectui habent omnia, et leges divinas inter opera manuum humanarum, prophetias et prodigia inter eventus fortuitos, commenta et imposturas, doctrinam Evangelicam et Apostolicam, imo effata Christi Dei-Hominis inter Confucii, Mahumetis aut Epicuri fabulas ac deliria abjiciunt. Sectarii Deum adorant et Filium ejus Christum, reverentur providentiam Dei naturalem et supernaturalem, nec omnia Christi sacramenta, nec omnino repudiant Ecclesiam Christi; Theistæ (siquidem Deum credant) non autem credunt Deo revelanti, et solam adorant rationem; Dei Filium exspoliant gloria Redemptoris, sacramenta Christi et sacrificium tanquam superstitiones explodunt, et ceu non ens spernunt ac exsibilant Ecclesiam Christi, Sectarii, quæ sunt juris naturæ, venerantur, ipsamque jurisprudentiam naturalem præcipuo studio a se excultam esse, gloriantur; inter Theistas Anglus ille dicitur, ipsa Decalogi præcepta abrogari posse per Comitia Regni; quin et MORGANUS, CHUBBIUS et LUVIUS per illud Dei imperium de immolando Isaaco totum jus naturæ eversum esse, contendunt. Pudet, quoad omnia recoquere deterrimum cacœthes sacrilegi Theismi, ne identidem fidelium mentes fœtore pessimo inficiantur.

IV. *Ævi nostri increduli paganis adeo deteriores sunt.*

PROBATIO. Pagani (si Polythei) plures adeo Deos et agnoscebant et colebant cultu, qui videbatur ipsis dignus et acceptus suis Numinibus; nostri increduli renunt Deum et Dei Filium colere cultu vere divino; seu interno tam intellectus, quia non credunt revelanti, quam voluntatis, quia non obtemperant præcipienti; seu externo corporis, quia negligunt ac spernunt sacrificia, omnesque ritus, quos vel Christus adornavit, vel Ecclesia Christi. Polytheis ac idololatriis quædam Religio erat veneranda; nostris incredulis nulla prorsus, quia sicut legem, ita Religionem quoque naturalem, quam verbis tantopere extollunt, reipsa evertunt: quid enim aut legi aut Religioni quamvis naturali magis adversum, quam in omnibus frena laxare naturæ corruptæ cupiditatibus; ultimum naturæ rationalis finem solis hujus vitæ quam brevis tam miseræ bonis circumscribere; innatum humano cordi desiderium æternorum non nisi corporea, et cum brutis etiam communi voluptate ac libidine exsatiare; Religionem denique Christianam tam omnibus seculis venerandam non solum perfide repudiare, sed et ludibriis, opprobriis ac blasphemis lacerare?

Pagani (si Athei) equidem paganicam Religionem abjecerunt, sed mille superstitionibus, quas ipsa etiam naturalis ratio respuebat, obfuscata; hodierni increduli contra Christianam decertant castissimam et sanctissimam Religionem, cui sana ratio et a præjudiciis ac vitiiis libera non potest non dare assensum. Pagani Athei Deum non glorificaverunt, quem nullum esse credebant, quin hæc sua impia sensa orbi obtruderent: nam ubi percontabatur CRATES, an Dii delectarentur adorationibus hominum? sapienter reposuit STILPO: « interroga me hoc, quando erimus soli »; ratus, licitum non esse, suos de Divinitatibus sensus parum pudicos in publicum edicere; increduli nostri (uti SCHAFTESBURY cum VOLTAIRE) virtutem ac Religionem ludibriis et irrisionibus exagitandam esse statuunt, ut si inter jocos et san-

nas perstiterit illæsa, pro ejus veritate standum sit; secus, si per satyricum hoc examen auctoritatis suæ detrimentum passa fuerit: quo quid absurdius excogitari possit, haud scio. Atque ita fit, ut increduli per absurdissima dieteria, exitiosissima scripta, perditissimos versus, spurcissimos sales veram Religionem adorantur; quo autem medio Religionem discernendi vere stygio, extrema intentantur non tantum Christianismo, sed omni Religioni, honestati morum, quin et saluti Reipublicæ ac Principum securitati.

Obj. I. Theista seu Naturalista via incedit media Atheismum inter et Christianismum; quam procul ergo abest a Christianis, tam longe distat ab Atheistis: et quamvis Christum non adoret; Deum tamen colit, et quo modo agnoscit, glorificat.

RESP. Verum dicis, incredule, te Christianum non esse, quo honore nominis indignus est perfidus in Christum transfuga ad castra impiorum. Quod dicis, nec Atheum te esse; hoc minime verum. Deum, ais, confiteor existentem et providentem? ore scilicet: nam quia sequelæ, quas ex hac veritate deducit Christianismus, te perterrefaciunt, jam corde negas Deum esse; et quia fixam non habes normam credendi, omnis te circumfert ventus doctrinæ; jam addis, jam detrahis tuæ fidei articulis; jam vero si quis cum BAYLIO callidiores tuæ fidei technas struit, haud gravate aut naturalem quoque abnegas Religionem, aut certe in pyrrhonismum prolapsus ita de omnibus dubitas, ut Deus, homo, mundus, virtus, vitium, hæc et futura vita merum tibi chaos sint. Ubinam autem hoc in labyrintho vera vitæ honestas, ubi amor et timor Numinis, ubi spes futurorum honorum et metus æternorum malorum, ubi æstimatio animi immortalis, ubi sensus libertatis humanæ? Ist hæc omnia vel intrepide negas cum Atheista, vel de iis proterve dubitas cum Pyrrhonista; verissimum ergo, quod dixi ego, Theistas reipsa Atheistas esse ac impios, infidelibus etiam paganis deteriores. Stet namque BAYLE cum suis asseclis ex una, et SOCRATES cum suis sequacibus ex altera parte; evidens erit, illorum impietatem longe antecedere.

Obj. II. Frivolum est, ait BAYLE, errores et vitia quorundam Theistarum Theismo imputare. Vitia hominum sunt, non Religionis. Secus idipsum in Christianismum pari, imo potiori jure detorqueam. Sunt etenim Theistæ et Atheistæ, quorum mores ad honestatem apprime compositi, dum illi plurimum Christianorum ad omnem licentiam projecti sunt.

RESP. Si hæc de ea Religione edixit BAYLE, quæ tum per leges, tum per doctrinam, tum per vindictam vitia et concupiscentias malas refrenat, et delicta quævis damnat atque castigat; verum dixit: sed de Christiana Religione, quæ sola cujusvis flagitii maximum horrorem ingerit, vitium omne vivacissimis coloribus adumbrat, ceu enormem injuriam adversus immensi Numinis majestatem, ceu rebellionem contra divinam legem execratur, ceu summam ingratitude erga summam Dei in homines liberalitatem exprobrat, et ceu sacrilegam fœderis cum Deo initi violationem condemnat; quæ sola sub pedibus impij fauces averni reserat, et ingressum Paradisi æternum occludit impio. Dum contra Theismus in seipso flagitiosus ad omne flagitium viam pandit, reus est omnium facinorum, scandalorum ac turpitudinum, quarum Theistæ se reos faciunt.

Theismus est, qui seditionem Theistis inspiravit adversus legem, quæ ex summa divini Legislatoris auctoritate a vitiis cohibuit: qui abstraxit Theistas a fidei mysteriis, quæ fortissima erant ad virtutem hortamenta: qui nauseam creavit et contemptum præmiorum, quæ suarum legum factores æternum beare Altissimus decreverat: qui metum excussit saluberrimum infaustæ æternitatis: qui hominem brutis exæquavit, exterminans a mente humana sensum et boni et mali, et immortalitatis et libertatis. Si vero nihilominus inter Christianos, quorum sanctissima est lex et Religio, reperire est flagitiosos; sed quorum scelera lex Christiana damnat et vindicat; quid mirum, si Theistarum impietas perfringat repagula omnia honestatis, et latissimam omnibus flagitiis portam aperiatur; cum ad istam rebellionem Theismus ipse arma subministret?

Obj. III. Lex Christiana nihil commendat magis, quam dilectionem proximi; et nihil minus præstant Christiani, qui Theistas passim omnes (quos inter non paucos honestas et virtus commendant) tanquam hominum impiissimos liberrime proscindunt. S. AUGUSTINUS adeo dilaudat opera infidelium; et Christiani deteriores faciunt Theistas paganos, a quorum truculenta in Christianos tyrannide quam longissime absint Theistæ, nemo ac omnium minime Christianus ignorat.

Resp. Mirum! non ita pridem Christianorum vitiis, nunc vero idololatrarum virtutibus suam impietatem exornare adnituntur increduli. Christianorum vitia nec nego, nec excuso; præterquam autem quod Christiana Religio ea non inducat, minus probet, media etiam suggerit agnoscendi, defendendi, expiandi delicta contra legem Christianam perpetrata; quin et vix unquam fit, ut stante adhuc fide Christianus vitiosus naufragium totius honestatis patiat. Dum contra incredulo inde a virtutum christianarum naufragio nulla superest fabula, vi cujus morales etiam virtutes conservet, de vitiis et erroribus in errores et vitia promus ad profundum usque. Laudes, quas idololatrarum laudabilia quædam opera tulerunt ab AUGUSTINO, nec Theistis invideo; et quænam illæ? docet S. Doctor, apparere nonnunquam inter Ethnicos quædam lineamenta honestatis, sed quæ sint extremi veluti ductus Dei imaginis, quam cordis depravati iniquitas delere penitus non potuerit: addit vero, quod vix ullas virtutes veras apud infideles reperias, quas facile omnes saltem vanitas inficiat: addo ego ad mentem omnium Patrum, quod sicut vi Ethnicismi, ita vi Theismi nihil unquam aut honesti aut virtuosi quis operatus sit, aut possit operari, ita ut (quæ est illa Ciceronis in Epicuri et Pyrrhonis doctrinam acerba, sed justa crisis) si vel Epicurei vel Pyrrhonicæ, vel idololatricæ (vel Theistæ) semper ex præscripto suæ pestilentis doctrinæ operarentur, operarentur semper pessime sine ulla justitia, æquitate, liberalitate, amœnitate, et sine ulla specie virtutis, quæ si quando in illis emicat, non tam fructus est Theismi aut Atheismi, sed singularis exceptio ab impietate doctrinæ.

Tyrannis paganorum adeo non obstilit prodigiosis Christianismi progressibus, ut hic inter turpissimas Ethnicorum illusiones et acerrimas persecutiones latius et lætius effloresceret: Theistarum vero, ceu totidem Christiani nominis deprædatorum, calumniis et blasphemis lacerata, ingens sui detrimentum conqueritur ac deplorat vera Christi Religio.

Obj. IV. Plenis modis quævis facinora in Theistas effundunt Christicolæ, quin ea sciant nominare, et cum veritate ac æquitate vel Theismo vel Theistis exprobrare.

Resp. Non Christicolæ, sed pestifera Theistarum scripta hæc suis auctoribus flagitia exprobrant. Quis enim in iis sine horrore legat, præter adulterium vix quicquam luxuriæ esse vetitum, et quamvis aliam libidinem esse indulgendam? quousque ne gentilium quidem Philosophorum progressa est spurcicies; et quod unum satis declarat veram causam theisticæ seditionis adversus puritatem Christianæ Religionis; et in quo Naturalistæ (vel hoc nomine indigni) non solam Christi, sed et naturæ legem prostituunt. Lex est naturæ, quam æterna veritas hominum cordibus inscripsit, ut caro subdita sit spiritui, et concupiscentiis corporeis imperet mens immortalis; igitur si concupiscentiæ altiore voluptate et libidine finem non habeant, recta ratio adstringit hominem ad eas coercendas, ut tametsi damnum proximi magis aggravet delictum, ipsa tamen libido carnalis (illo etiam secluso) ceu repugnans rectæ rationi vitiosa sit et rea criminis; igitur qui libere consentit desideris carnis, naturæ ordinem pervertit, et partem regiam subdit servili, quæ est imbellis corpus.

Eadem regula boni et mali Theistica quid non invehat injustitiæ? exurgat enim passio vehemens; urat acrius rei alienæ cupiditas; suggerat insuper Naturalismus, bona post hanc vitam nulla esse speranda; abjiciatur inter præjudicia metus supremi ac æterni Vindicis: quid demum de bonis proximi sat tutum erit a Theistarum sic dicta æquitate naturali? Gloriantur increduli, se Christi legem projecisse, sed gratia legum naturalium; harum vero malignos interpretes ac infidos executores esse Theistas, eorum libri copiose, sed copiosius eorum mores attestantur.

§ III. COROLLARIA.

Quam sint idololatricæ consimiles Theistæ, ex Apologetico TERTULLIANI Cap. XVII. hisce conficio: quæris, in quo sit malitia idololatrarum? in eo, quod Deum non agnoscant, quem nolunt agnoscere; verum sufficit contra illos vel sola attestatio animæ, quæ tametsi alligata corpori, pessimis immutata principiis, turpissimis enervata affectibus, et detestando idolorum cultu inescata sit; tamen in repentinis casibus Deum et Deum unum invocat: o Deus! Deus videt: Deo commendo: Deus mihi reddet: en igitur testimonium animæ naturaliter Christianæ; ita ille. Theistarum impietas in quo? in eo est, quod negent, Deum esse locutum, et Christum esse divinum auctorem veræ Religionis; sed contra testimonium animæ suæ: huic enim per baptismum impressus hæret character Christianismi, cujus posthac dogmata didicit, motiva penetravit, et fidem tenuit. Undenam ergo animæ Christianæ a Christi fide defectio? indomitæ passionibus eam subjugarunt miserrimæ servituti, ingerendo lethale odium illius legis, quæ frenum est licentiæ ac libidinis; illius Religionis, quæ terret minis et pœnis sontes vindicat sempiternis; illius doctrinæ, quæ non nisi puritatem et sanctitatem inspirat. Verum evigilet aliquando Deo excitante anima ex hoc somno mortis; dispareant tenebræ, quæ hucusque excæcaverant; delegantur inanitiæ, argutiæ,

deliria Theismi, quæ interim fascinaverant; et Religio Christiana confestim sine ullo labore aut nova sui demonstratione reviviscet in anima cum omni sua luce ac splendore: en testimonium animæ Christianæ, nunquam vere ac reipsa incredulæ, eo tempore, quo et sibi et aliis incredula esse videbatur. Dent superi hanc lucem, et æternis involvatur tenebris irreligio!

SECTIO III.

NULLA THEISTARUM AUCTORITAS AD SUAM IRRELIGIONEM CHRISTIANO HOMINI PERSUADENDAM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Duces impiorum atque incredulorum, ut numerum augeant sequacium, mendacissima quadam suæ doctrinæ puritate, suæ vitæ probitate, suæ mortis felicitate incautos irretiunt, quamvis ipsimet in docendo, vivendo et moriendo hominum pessimi atque miserrimi. Doctrinæ suæ a legum naturalium auctoritate arrogat dignitatem: mores suos a naturali honestate commendant, et vitæ exitum a tranquillitate, quæ in morte, sicut libertas in vita, Theistas reddat vere beatos; utpote qui nihil sperent, beatitate naturali honestati naturali debita contenti; et nihil metuant, cum Deus nec velit, nec possit viros honestos a se æternum avulsos crudelissime excarnificare. Splendida verba, sed verba duntaxat, a quibus res et veritas absunt longissime. Libertas ab officiis Christiani hominis, et immunitas a fatis alterius vitæ; hæc fere præcipua sunt capita, in quæ incumbunt omnes machinæ incredulorum. At cui demum ista aut libertas aut immunitas inseruiat; probis? minime: his enim gratum facies, ubi sua ipsis officia, et horum præmia identidem revoces in memoriam; improbis? his porro reserabis januam ad omne scelus patentissimam, ut adeo pro felicitate hominis per Christianismi abolitionem procuranda summam improbitatem, et nullis sat lacrymis deplorandam gentis humanæ perniciem invehant increduli.

His ergo humanæ felicitatis æternæque salutis devastatoribus omnis omni jure deneganda est auctoritas.

§ II. THEMATA.

I. Nulla est auctoritas Theistarum spectatis eorum placitis.

PROBATIO. Qui omnes aut fere singulos evolvit libros, Theisticæ impietatis infames partus, quorum plures ementito prelo et auctore jamdum in fronte stigma gerunt; is cum horrore deprehendet quot ferme lineas, tot pestilentis doctrinæ contagia, conquisito quodam nitore et blandi sermonis aspersa

lenocinio, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius errorum ac vitiorum veneno inficiant: ut fidem labefactent certius, turpissima et rerum et verborum obscenitate severos et pudicos mores per summum scelus corrumpunt: ut pietati extrema inferant dispendia, execrabilem vitæ licentiam suadent mentibus incautorum. Videlicet prolium hujusmodi infantissimarum natale solum ibi est, ubi tot jam annis invaluerat libertas Evangelica, quam nunc etiam pertæsi jugum Christi penitus excutiunt, calcato etiam sacrilego pede Evangelio. Deprehendet is in audacissimis versipellium ludionum scriptis, fallacem philosophiam divinis oraculis, frivolas conjecturas prophetarum vaticiniis, cæca præjudicia miraculorum splendori, fatua paradoxa admirabili Religionis œconomia, effrenem morum doctrinam puritati præceptorum Evangelii, vana criteria tot omnium seculorum integerrimis testibus, dubia et errores pseudosophorum ineluctabili Ecclesiæ auctoritati spurcissime anteponi. Imo deprehendet, possibilitatem, utilitatem, necessitatem et existentiam omnis divinæ Revelationis exhibilari; sanctissimæ fidei nostræ mysteriis infamiæ notam inuri; sugillari divinas Scripturas ceu a fabulis, antilogiis et mendaciis putidas, atque cum omnium scientiarum principiis, cum jure et theologia naturali, rectaque ratione apertissime pugnantes; divinæ Traditionis, quæ ab ore Servatoris et ex afflatu divini Spiritus per Apostolos et Christi sponsam ad nos pervenit, oracula amandari ad fabulas; atque in id omnium Theistarum furias conspirare, ut Christianismus tot seculorum et omnium nationum fide, nec non innumerabilium heroum sanguine stabilitus e mentibus hominum eradatur, discerpatur, proculcetur, amihiletur; cui ex orco revocatus surrogetur Paganismus.

Prætere Theistarum eruditio (justum est judicium doctissimorum in orbe virorum) tota est in Pyrrhonismo, quo clariora quæque inficiuntur: in sesquipedalibus verbis, quæ altum sonent, nihil sensus reddant: in cæca sui demiratione, nec minus cæco despectu aliorum: in carpendis moribus quorumvis Superiorum, nec non in sacra siti rei Ecclesiasticæ: in pessimis artibus exterminandi doctrinam fidei divinæ, depravandi doctrinam morum, suffodiendi legum etiam naturalium genuina placita, totiusque honestatis et virtutum omnium fundamenta evertendi. Nec mirum: nam Celso, Porphyrios, Julianos, Lampridios, Libanios, aliosque id genus Christiani nominis ac veritatis revelatæ infensissimos hostes suos habuere duces et magistros.

De his præclare P. VALSECCI in celebri opere: *dei Fonti dell' Empietà*. Nempe statuta vitiorum omnium impunitate, nemo deinceps erit aut scribax aut dicax in Religionem.

II. Theistarum nulla est auctoritas spectatis eorum moribus.

PROBATIO. Theistarum fere omnium fucati sunt mores, et vita infamis a varia improbitate. Vitia fors æque grassabantur olim, ac hodie; at non tam subdole ac perniciose. Nostris quippe increduli veris etiam criminibus et flagitiis norunt illinire fucum honestatis, eutræpelæ, epikeiæ, et nescio cujus novæ Ethices pigmentum. Equidem coram viris seu dignitate seu virtute

deliria Theismi, quæ interim fascinaverant; et Religio Christiana confestim sine ullo labore aut nova sui demonstratione reviviscet in anima cum omni sua luce ac splendore: en testimonium animæ Christianæ, nunquam vere ac reipsa incredulæ, eo tempore, quo et sibi et aliis incredula esse videbatur. Dent superi hanc lucem, et æternis involvatur tenebris irreligio!

SECTIO III.

NULLA THEISTARUM AUCTORITAS AD SUAM IRRELIGIONEM CHRISTIANO HOMINI PERSUADENDAM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Duces impiorum atque incredulorum, ut numerum augeant sequacium, mendacissima quadam suæ doctrinæ puritate, suæ vitæ probitate, suæ mortis felicitate incautos irretiunt, quamvis ipsimet in docendo, vivendo et moriendo hominum pessimi atque miserrimi. Doctrinæ suæ a legum naturalium auctoritate arrogat dignitatem: mores suos a naturali honestate commendant, et vitæ exitum a tranquillitate, quæ in morte, sicut libertas in vita, Theistas reddat vere beatos; utpote qui nihil sperent, beatitate naturali honestati naturali debita contenti; et nihil metuant, cum Deus nec velit, nec possit viros honestos a se æternum avulsos crudelissime excarnificare. Splendida verba, sed verba duntaxat, a quibus res et veritas absunt longissime. Libertas ab officiis Christiani hominis, et immunitas a fatis alterius vitæ; hæc fere præcipua sunt capita, in quæ incumbunt omnes machinæ incredulorum. At cui demum ista aut libertas aut immunitas inseruiat; probis? minime: his enim gratum facies, ubi sua ipsis officia, et horum præmia identidem revoces in memoriam; improbis? his porro reserabis januam ad omne scelus patentissimam, ut adeo pro felicitate hominis per Christianismi abolitionem procuranda summam improbitatem, et nullis sat lacrymis deplorandam gentis humanæ perniciem invehant increduli.

His ergo humanæ felicitatis æternæque salutis devastatoribus omnis omni jure deneganda est auctoritas.

§ II. THEMATA.

I. Nulla est auctoritas Theistarum spectatis eorum placitis.

PROBATIO. Qui omnes aut fere singulos evolvit libros, Theisticæ impietatis infames partus, quorum plures ementito prelo et auctore jamdum in fronte stigma gerunt; is cum horrore deprehendet quot ferme lineas, tot pestilentis doctrinæ contagia, conquisito quodam nitore et blandi sermonis aspersa

lenocinio, ut quo facilius legentium animos pervaserint, eo altius errorum ac vitiorum veneno inficiant: ut fidem labefactent certius, turpissima et rerum et verborum obscenitate severos et pudicos mores per summum scelus corrumpunt: ut pietati extrema inferant dispendia, execrabilem vitæ licentiam suadent mentibus incautorum. Videlicet prolium hujusmodi infantissimarum natale solum ibi est, ubi tot jam annis invaluerat libertas Evangelica, quam nunc etiam pertæsi jugum Christi penitus excutiunt, calcato etiam sacrilego pede Evangelio. Deprehendet is in audacissimis versipellium ludionum scriptis, fallacem philosophiam divinis oraculis, frivolas conjecturas prophetarum vaticiniis, cæca præjudicia miraculorum splendori, fatua paradoxa admirabili Religionis œconomia, effrenem morum doctrinam puritati præceptorum Evangelii, vana criteria tot omnium seculorum integerrimis testibus, dubia et errores pseudosophorum ineluctabili Ecclesiæ auctoritati spurcissime anteponi. Imo deprehendet, possibilitatem, utilitatem, necessitatem et existentiam omnis divinæ Revelationis exhibilari; sanctissimæ fidei nostræ mysteriis infamiæ notam inuri; sugillari divinas Scripturas ceu a fabulis, antilogiis et mendaciis putidas, atque cum omnium scientiarum principiis, cum jure et theologia naturali, rectaque ratione apertissime pugnantes; divinæ Traditionis, quæ ab ore Servatoris et ex afflatu divini Spiritus per Apostolos et Christi sponsam ad nos pervenit, oracula amandari ad fabulas; atque in id omnium Theistarum furias conspirare, ut Christianismus tot seculorum et omnium nationum fide, nec non innumerabilium heroum sanguine stabilitus e mentibus hominum eradatur, discerpatur, proculcetur, amihiletur; cui ex orco revocatus surrogetur Paganismus.

Præterea Theistarum eruditio (justum est judicium doctissimorum in orbe virorum) tota est in Pyrrhonismo, quo clariora quæque inficiuntur: in sesquipedalibus verbis, quæ altum sonent, nihil sensus reddant: in cæca sui demiratione, nec minus cæco despectu aliorum: in carpendis moribus quorumvis Superiorum, nec non in sacra siti rei Ecclesiasticæ: in pessimis artibus exterminandi doctrinam fidei divinæ, depravandi doctrinam morum, suffodiendi legum etiam naturalium genuina placita, totiusque honestatis et virtutum omnium fundamenta evertendi. Nec mirum: nam Celso, Porphyrios, Julianos, Lampridios, Libanios, aliosque id genus Christiani nominis ac veritatis revelatæ infensissimos hostes suos habuere duces et magistros.

De his præclare P. VALSECCI in celebri opere: *dei Fonti dell' Empietà*. Nempe statuta vitiorum omnium impunitate, nemo deinceps erit aut scribax aut dicax in Religionem.

II. Theistarum nulla est auctoritas spectatis eorum moribus.

PROBATIO. Theistarum fere omnium fucati sunt mores, et vita infamis a varia improbitate. Vitia fors æque grassabantur olim, ac hodie; at non tam subdole ac perniciose. Nostris quippe increduli veris etiam criminibus et flagitiis norunt illinire fucum honestatis, eutræpelæ, epikeiæ, et nescio cujus novæ Ethices pigmentum. Equidem coram viris seu dignitate seu virtute

tam ad risum et indignationem in dies et horas variabilis sit. Exprobrat id inter cæteros in poemate cui titulus *Résignation*, JOUNGIUS Voltairio, ejusque scripta miseris ac putidis scatere contradictionibus, demonstravit auctor libri, *Les Erreurs de Voltaire*, cujus translatio in nostram vernaculam an 1768. emanavit, ut Germaniæ etiam caveretur a pestilentia scriptoris fallacissimi æque ac exitiosissimi. Plures hujus generis scriptores incredulos ceu fere lunaticos expingit SCHERLOKIUS. Quin ausim dicere, affirmari de omnibus ex vero posse, quod GIBSONIUS in littera pastorali narrat de quodam novitatum ac errorum simili architecto, qui suis amicis ingenue declaraverat, se, si videret sententias suas ubique receptas, inter primos fore, qui illis iterum de novo contradiceret.

II. Idem spiritus vertiginis dudum exagitavit ROUSSEAUVIUM, qui quidem in suo Emilio majestatem S. Scripturæ, sanctitatem Evangelii, Christi divinitatem tantopere commendat, ut stupore attonitus exclamet: quam ineffabilis Dei-Hominis inter homines degentis integritas, mansuetudo et demissio! quæ docentis amœnitas ac sublimitas! quæ loquentis ac respondentis sapientia et profunditas! quæ patientis tolerantia, et fortitudo morientis! profecto si mors et vita SOCRATIS sibi venenum porrigenti benedictis, mors et vita CHRISTI inter atrocissima tormenta pro suis crucifixoribus Patrem exorantis, mors et vita Dei est. Jam vero quid aliud a ROUSSEAUVO expectes, quam Christianæ legis tam ipsi sacrosanctæ ac divinæ professionem, atque ad eandem ab aliis emittendam adhortationem; quam Christi et Evangelii summam venerationem, scriptorum vero suorum reprobationem, et scandalorum, queis Christi Religionem opplevit, deprecationem? sed ludio est vaferrimus ac miserrimus, siquidem continuo subdat: nihilominus Evangelium plurima continet incredibilia, quæ rationi adversantur, et quæ, ut prudens quis aut intelligat, aut credat, impossibile est.

III. VOLTAIRII genium et ingenium vivis coloribus adumbravit auctor Helvetus in Libro, *les oracles des nouveaux Philosophes*, his verbis: petis a me, ut tibi D. VOLTAIRIUM tanquam in imagine ostendam: nam cum tibi scriptis tantummodo notum esse dicis? Equidem auctorem nosse, non parvi momenti est. Faciam et hominem te nosse, et qualis mihi videtur, auctorem. Mediocrem staturam excedit corpore: dedit ei natura bilem torridam, maciem et ossa, vultum asperum, exesum, fervidum, vibrantes et malignos oculos. Qui ex ejus scriptis emicant, igniculos gestu et habitu prodit. Lubrico et acri obtutu, sermonis præcipiti torrente ingenii concitati æstum, ac ferme furorem reciprocatur. Tantus ingenii fervor valetudinem hominis, uti acies vaginam rodit. Festivus, jocularis indole, per artem ac specietenus gravis, sine animo bonus, sine justa mora sapiens, sine amicitia blandus, suos, quibuscum agit, facile mulcet ac negligit. Mane Aristarchum præfert, futurus sub noctem Diogenes. Virorum Principum magnitudinem miratur, viros contemnit. Suaviter ac blande cum suis æqualibus, composito ad normam supercilio, agit. Cum te aggreditur, iutio urbanos sales, mox remissum ac frigentem animum adhibet, cum tui contemptu et ludibrio sub finem abiturus. Procerum aulas fastidit et amat. Tenero, sed nulli rei devoto sensu molles voluptates captat et respuit, cupide prensat obvias, quæsitæ nauseat. Scientiis et ratione pollet, ignarus principiorum scientiæ, et ratiociniæ vicissitudines non habet, sed patitur, uti amentes intervalla lucida. Agilis et

Irrequietus mente, sed animo improbus per universum circumagitur universi contemptore animo. Novit doctrinam morum, et admirabili solertia describit et negligit. Celebritati ardentem inhiat, sed magis nummos captat: nativo studio urgetur ad indulgendum genio: pro nummis sedet, vigilat, scribit, nummorum siti ac fame æstuat. Talem hominem vidi. Jam auctorem inspicere:

Poeta natus est: versiculos non elaborat, sed ubertim ac temere lusu profundit. Sunt tamen ejus versus ingeniosi, faciles, festivi, nitidi; et historiam bene scriberet, si veritatem amare posset. Baylium vituperat et exscribit; hujus scriptoris sectator, discipulus, lector, scriptor est. Dixit aliquis, scriptorem, si velit omni affectu et præjudicatis opinionibus vacuum opus edere, nullius Religionis, nullius regionis et patriæ esse debere. Homo noster his dotibus apprime valet. Nemo eum ex suis scriptis natione gallum esse judicet. Uti senex laudator temporis acti, ita Voltaire nonnisi absentia, peregrina laudat, quidquid patrium aspernatur. De cultu Religionis notum est, quod nullam habeat; litterarum, quæ sunt nostri temporis, sat dives est: Politicus, Physicus, Geometra est, si velit; sed hæret in cortice, non tangit nucleum. Delicatum habet sine dubio ac fertile ingenium, quo flores tantum et elegantias carpit. Satyram non bene invenit, male adhibet, bene scribit. In unaquaque re singularis videri vult et est; nullius studii, nullius rei medium tenet.

Hanc vero laudum VOLTAIRII exactissimam epitomen qui legit, num mirari sat possit, esse his temporibus complures, probos cæteroquin, litteratos, criticos, qualesque et videri et esse reipsa volunt, peracutos homines, qui infami huic idolo genua flectant, non sine magno dignitatis suæ probro, et cum non minore aliorum offensa, unum unum Voltairium in ore et in manibus tum habeant ipsi, tum alios etiam habere velint?

SECTIO IV.

ARGUMENTA THEISTARUM TOTIDEM SOPHISMATA VETERUM HÆRETICORUM ET GENTILIIUM PHILOSOPHORUM AB ANTIQUIS PATRIBUS ET APOLOGETIS DUDUM EXPLOSA.

§ I. PRÆCOGNITA.

Putida esse Theistarum scripta, atque multiplici ex capite omni auctoritate destitui, claret ex proxime dictis. Magis etiam probrosa, quin et pestilentissima inde dignoscuntur, quod extritas dudum ex illustrato terrarum orbe insanias et futes querelas iterato obtrudant, cum præter antiquissimam cramben veterum Hæreticorum et Gentilium Sophistarum vix quidquam novi contineant. Enimvero recoquunt ad nauseam pestes fere omnes, quas in veram Religionem dudum evomuerunt CELSUS Epicureus, PORPHYRIUS Platonicius, JULIANUS Apostata, Materialistæ, Fatalistæ, Marcionitæ, Manichæi,

Priscillianistæ, et qui sunt hujus furfuris quisquiliæ ac portenta. Horum impietatem primis jam sæculis represserunt Sancti Patres et Christiani Apologetæ, ac quidem ipsimet ex idololatriæ tenebris ad Evangelii lucem conversi, Justinus, Irenæus, Pantæus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Tertullianus, Origenes, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius... Lubet hic duntaxat exhibere summatim veterum ac recentiorum incredulorum pestiferam conspiracy, ut probrum sit majus Theistarum, quod ceu philosophi sapientes insipientissimorum hominum sint plagiarii.

§ II. THEMATA.

I. *Quæ contra Deum et Dei verbum ogganiunt hodierni increduli, ex antiquitatis qua Ethnicæ, qua Hæreticæ lacunis hauserunt.*

PROBATIO. 1°. Miserrimum [EPICURI de Deo ratiocinium quis sanæ mentis homo non detestatur : vel non vult mundum a malis liberare, et sic non est sanctus ; vel non potest, et sic non est omnipotens ; vel non scit, et sic non est omniscius? Hoc vero recoxit VOLTAIRE in suo Dictionario Philosophico pag. 32. En quam gloriosus Epicuri discipulus celebris ille Magister Theistarum!

2°. Fax omnis seu Epicuri seu Marcionis ægre ferebat Deum providum, VELLEIO Epicureo apud Tullium L. de Nat. Deor. sic exostulante : « imposuistis in cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies et noctes timeremus : quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum »? Theistæ numquid melius de Deo sentiunt? de naturali Providentia ambigue plerique edisserunt, supernaturalem abnegant omnes. Epicuri Lactantius, Marcionis Tertullianus; et sic uterque Theistarum inanias exposit.

3°. Si quando Sancti Patres et Christiani Apologetæ Dei attributa ad humanæ intelligentiæ captum ex perfectionibus creatis arguebant; ad convicia conversi sunt veteres hæretici iisdem exprobrantes : numquid eodem ratiocinii genere Manichæi e malis hujus mundi Deum malum ceu principium omnis mali inferebant? Idem inter incredulos præstitit MENDELSONIUS in libro de Evidentia in Metaphysicis scientiis. Stupor! nonne enim in his præmittitur unitas veri Dei ceu indubitata; et nonnisi de puratæ ab omni imperfectione creata perfectiones Deo attribuuntur?

4°. Negant veteres ac recentiores hæretici, posse Deum concedere, aut saltem ullibi concessisse Præsulibus Ecclesiæ potestatem in conscientias hominum. ROUSSEAU ipsius etiam Dei (quamvis supremus quarumvis nostrarum actionum etiam intimarum Dominus sit) auctoritatem in conscientias non obscure denegat.

5°. Usque ad SERMOZAM (si excipias ejus in plerisque magistrum HOBBIUM) nemo sanus dubitavit de antiquitate Pentateuchi; hanc vero calumniam adoptavit ex quibusdam vanissimis olim hæreticis, præsertim Ptolomæo et Nazaræis apud S. Epiphanium. Imo pernegant hodierni Theistæ omnium SS. Scripturarum divinitatem, itidem imitati Cerinthianos et Ebionitas, qui Evangelia Marci, Lucæ et Joannis, Acta Apostolorum, et Epistolas Pauli;

Severianos, qui Paulum et Actus Apostolicos; Marcionitas, qui Matthæi, Marci et Lucæ Evangelia, Epistolas ad Timotheum, Titum et Hebræos; Manichæos, qui Actus Apostolorum et Vetus Testamentum, ceu libros a malo spiritu conscriptos; Nicolaitas ac Gnosticos, qui Davidis Psalmos ceu humanas cantilenas aspernabantur. Ecce hi? nempe Christiani judaizantes, Paulum, quem adeo legis apostatam compellabant, ferre haud poterant ob negatam vim legalium; minus etiam Acta Apostolorum, in quibus et ipsi et patres ipsorum tot tantorumque criminum rei accusabantur. Severianos eo deduxit necessitas abstinere a nonnullis rebus adiaphoris. Manichæos præter alia textus quidam egerunt præcipites, quod cum serie historica non satis congruerent. Ecce autem illi, scilicet Theistæ? Nimirum damnat Scriptura sacra effrenem Theistarum sentiendi vivendique licentiam.

6°. Theistæ cum EDELMANNO jam Scripturæ stylum arrodunt; sed cum incredulis grammaticis, quos solide confutarunt viri in sacra æque ac profana litteratura summi, Gregorius Naz. et Augustinus, quin et gentilis LONGINUS quidam in libro, de sublimi genere dicendi. Jam fabulas, mendacia et contradictiones eidem affingunt; sed cum Marcionitis et Manichæis, quibus, præcipue ADIMANTO, integrum librum opposuit S. AUGUSTINUS, et geminum deinde adversario Legis et Prophetarum. Jam gratiæ defectum, fatum et personarum acceptionem eidem exprobrant; sed cum Ethnicis et Pelagianis, quos S. ATHANASIUS L. de Incarn., S. AUGUSTINUS L. II. ad Bonif. et Epist. 49. S. CHRYSOSTOMUS L. ad scandala affectos, validissime represserunt. Jam vero turpes etiam amores carpunt, præsertim in Cantico Canticorum; sed cum iis hæreticis, quos THEODORETUS Præf. in Cant. et PHILASTRIUS hæf. 131. referunt, et a quorum blasphemis Origenes, Cyprianus, Basilius, Eusebius, uterque Gregorius, Diodorus, Chrysostomus et alii Salomonis Canticum egregie vindicarunt.

II. *Suam adversus Christum et Ecclesiam Christi rebellionem hodierni increduli resuscitarunt ex protrita dudum antiquorum incredulitate.*

PROBATIO. 1°. EDELMANNUS uti Mosen, ita Christum ceu impostorem blasphemam; verum hoc CELSI pervetustum erat convicium ab Origene exhibitum; mitius tamen in homine ethnico, quam in Theista Christiani nominis deprædatore; verum a PETRO ARETINO hanc didicit blasphemiam, qui Seculi XVI. scriptor ab obscæna et mordaci poesi famosus, auctor creditur detestandi Libri, de tribus Impostoribus, apud Mariu. Marsemum, et Theoph. Spizelium.

2°. Theistæ omnes Christum ceu Legislatorem, vitæ et fidei Magistrum aspernantur, videlicet cum impiis illis hominibus, qui ævo S. AUGUSTINI (ENARR. II. in Ps. 31.) dicebant : « quid mihi præcepturus est Christus? ut bene vivam? jam bene vivo; quid mihi necessarius est Christus? » quos vero S. Doctor ceu omnium vitiorum mancipia exagitat. Apostolos fere pro seductoribus habent Theistæ; sed quam est antiqua crambe ista, de qua jamdum Apostolus meminit 2. Corinth. XII. 16... « Sed esto; ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi? Numquid per aliquem eorum. quos misi ad vos, circumveni vos?... Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus, nonne iisdem vestigiis? »

3°. Genealogiam Christi descriptam a Matthæo et Luca contradictionis arguunt Theistæ, et cum indignatione rejiciunt. Id ipsum et fors tolerabilius fecere Manichæi; sed quorum argutiæ pridem a sanctis Patribus et doctissimis interpretibus dissipatæ sunt.

4°. ROUSSEAU adeo conspirat cum Pharisæis prætendens, miracula Christi ex doctrina esse probanda, non contra. Nam et illos excæcaverat invidia, ut cum cæcum natum Christus sanasset in die sabbati, doctrinam suæ Legis obtenderent contrariam, ex qua tamen de miraculis sit dijudicandum.

5°. Improperant Theistæ, quod secta Christianorum sua initia debeat hominibus duntaxat plebeis, ignobilibus et indoctis. Sed JULIANI Apostatæ hæc sunt dicitia; quam putida, docet S. AUGUSTINUS, cui pro invictissimo Religionis Christianæ argumento est, Religionem tam arduam a duodecim piscatoribus universo orbi persuasam esse; quam falsa, tradit EUSEBIUS, qui viros nobilissimos et illustrissimas feminas recenset plurimas Christi sequaces ævo jamdum Apostolico; de quibus vide Diss. VII. Sect. V.

6°. Theistæ, ut suos hinc inde errores emolliant, ad fucum faciendum imperitis, nonnulla de Christiana Morali iisdem illinere solent. Et quos duces hac in perfidia sectantur Theistæ? præsertim Stoicos.

7°. Ut Christianam Religionem proscindant liberius, Christianorum vitia et plurima et maxima oggerunt increduli. Id ipsum paganis solemne fuit, prout exhibet TERTULLIANI Apologeticus C. I. ejusdemque Liber de uxore.

8°. Increduli Christianis exprobrant suam in fide, in moribus, in ritibus, et in officiis quibusvis simplicitatem, abjectionem, superstitionem, et nescio quæ probra homine indignissima; ac ipsam Religionem Christianam cum suo VOLTAIRIO criminantur ceu causam bellorum et seditionum. Et quænam illa Ethnicorum adversus primos Christi asseclas maledicentia? Theisticæ simillima: apud vos (inquebant infideles ad Christi fideles) nec est honos Cæsareæ majestatis, nec est sacrificium pro Imperatore, sed nonnisi despectus ac derisio tanti nominis tantæque dignitatis: conventus vestri periculosi, seditiosi, flagitiosi sunt: mores et vita vestra adeo non proficua statui ac Reipublicæ, ut sit potius maxime præjudiciosa. Audiant igitur ac sibi capiant dicta et responsa primorum fidelium tum veteres ethnici, tum hodierni increduli: verum dicitis (aiebant illi) quod Imperatorem non appellamus Deum, tum ne mentiamur, tum ne illudamus, quod ipsum vestra ad triumphantem Cæsarem solita acclamatio (memento, quod homo sis,) ratum habet; sed eum ceu summum inter mortales Principem, et in eo concessam a Deo supremam potestatem veneramus. Equidem nec vitulos aut hircos, nec vestris Diis immolamus pro salute Imperatoris; sed unius et veri Dei gratiam, elevatis ad cælum manibus atque inter lacrymas et ex corde, imploramus pro Cæsare. Coetus nostri hoc sui habent initium, medium et finem, precationem pro Imperatore, perceptionem verbi divini, participationem mysteriorum Dei, fraternam charitatem et correctionem, collectionem et dispensationem eleemosynarum. Sanesi nobis, uti vobis, lubitum foret aut licitum, convenire ad vanitatem, ad insanias, ad impudicicias, ad crudelitates; numquid aperta nobis prostarent vestra stadia, spectacula et amphitheatra, quibus ne unus vel semel visus interesse Christianus?

Plura de his suppeditant primi Apologetæ, quos vide. Illam vero maniam VOLTAIRII, qua veram Religionem seditionum et bellorum ream facit (quan-

tumvis per annos mille et ultra intemerata steterit Christi fides et Religio, quin tabulæ historiarum hanc ei labem aspergerent) Cl. NONNOTTE in libro cit., uti cæteras Voltairii aberrationes, festive exposuit.

9°. Denique inter cætera fidei dogmata Deum crucifixum et resurrectionem mortuorum exsibilant increduli. Atque hæc ipsa erant paganorum elisa dudum argumenta contra SS. Martyrum constantiam, quæ exprobrarunt vitæ profusionem propter Deum, qui sit in cruce atque inter latrones mortuus; et ex spe resurrectionis, quæ par sit stultitia, uti refert TERTULLIANUS in Libro, de Resurrectione carnis. Eadem veteres hæretici, Basilidiani, Gnostici et Valentiniiani contra martyrium pro Christo objecerunt; de quo vide TERTULLIANI Scorpiacum, et utrinque solidissima SS. Martyrum responsa ad hæc gentilium ac hæreticorum impropria.

III. *Arma, quæ Naturalistæ pro humana ratione contra fidem divinam decertant, ex castris veterum impiorum surripuerunt.*

PROBATIO. 1°. Hæretici veteres et recentiores sacram Scripturam deprædicant velut certissimam in omnibus apertissimamque vel per se, vel per spiritum privatum. Naturalistæ prætendunt, Scripturam sacram, si qua detur, omnibus et in omnibus clarissimam esse debere; veluti lex naturalis sit omnibus evidentissima per solum lumen rationis. Atque huic se certamini immiscuit cum primis BAYLE, non autem alio fine, quam ut orthodoxorum et heterodoxorum litigantium parte utraque condemnata damnatum suum ipse pyrrhonismum pro Religione inveheret. Verum nonne Scriptura sacra spiritu privato intellecta (fatente Lutero) liber est omnium hæreticorum? et nonne ratio sibi relicta errorum omnium magistra extitit, maxime in negotio Religionis?

2°. Consepultus cum hæresi MANETIS jacuit error Manichæorum (credendum esse nihil, nisi quod ratio demonstrat) quippe confossus a S. AUGUSTINO in Libro, de utilitate credendi; sed resuscitatus a Naturalistis reviviscit in eo, quod sola ratio sit regula et credendorum et agendorum. Suppetias, quas submisit JOANN. CLERICUS injuriosus in S. Augustinum, ac si is in errorem contrarium prolapsus omnem in Religione usum rationis eliminasset, nerveose concisas invenient Theistæ apud Cl. MURATORIUM de ingen. moderat. L. I. c. 5.

3°. Contendunt Theistæ, uti omnes Revelationis hostes, posse et legis naturalis omnia præcepta, et Religionis officia omnia exacte cognosci sola ratione naturali, ac proinde inutilem esse Revelationem. Respondet S. AUGUSTINUS (Enarr. in Psal. XXXI.) sic disputasse ethnicos adversus Christianos: « invenio multos, ait, propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua dicentes: nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor: nam inveniatur in vita mea aliquid, quod reprehendatur; et qui reprehenderit, faciat Christianum. »

4°. Ut ab omni Revelatione divina se exonerent increduli, dubiis dubia superimponunt, ac innumeris quæstionibus sanctæ fidei athletas intricare student. Id ipsum paganis familiare, atque veterum hæreticorum effugium erat; sed (cum nihil roboris et nihil laudis habeat) quam pueris solemne

est, tam inficetum viris esse debet, quorum inertiam, pervicaciam, arrogantiam, insipientiam, simulque diffidentiam causæ et malignitatem animi id genus argumenti manifestat.

5°. ROUSSEAU his utitur armis contra divinam Revelationem : Deus pater est universorum; ergo etiam universalis esse debet ejus Revelatio, quæ tamen paucissimis innotuit, quamvis ad salutem necessaria : Deus justissimus iudex est; ergo condemnare non potest eos, qui Revelationem absque propria culpa ignorarunt. HÆC ROUSSEAU cum suis commilitonibus surripuit ex JULIANO Apostata, apud S. Cyrillum.

6°. VOLTAIRE, *Histoire générale*, c. 5. summopere extollit Sinenses, Indos et Quackeros; item Socratis, Platonis, Aristidis, Titi, Trajani, M. Aurelii et Juliani virtutes tanquam cælorum regno dignas, et sanctissimorum hominum meritis pares; sed de Christo, de primis Christianis, ac de summis etiam Imperatoribus Christi cultoribus, Constantino M. et Carolo M. non nisi fanatica et barbara memorat. Sic quippe factionis Pelagianæ dux Julianus dudum desæviit, gentilium virtutes prædicando ceu veras, nec exignas, nec infrequentes, quin, Augustino teste, meritorias vitæ æternæ; Catholicos omnes Manichæismi, et gravissimorum criminum Sacerdotium æque ac Imperium orthodoxum insimulando.

7°. Inconditus perstrept clamor omnium Theistarum contra Revelationem de pœnarum æternitate, ut quæ a recta ratione penitus abhorreat. Verum personuit hic strepitus a tuba stentorea gentilium Sophistarum et veterum Origenistarum, quorum rebellionem contra vocem et sententiam æterni Numinis pridem oppilavit os vindex veritatis antiquitas, nempe Justinus, Athenagoras, Cyrillus Hieros., Augustinus, Origenes super Cantica, Tertullianus, Theophilus Antioch., Lactantius.

§ III. COROLLARIA.

Vere ergo impii sunt et abominatione digni, quicumque Religionem Jesu Christi vel dictis vel scriptis læcessunt, atque ex animis fidelium fidem tam evidenter divinam evellere conantur, nullo alio nixi fundamento, quam meris sophismatis vanisque subtilitatibus ex paganorum ac hæreticorum veterum armamentario depromptis: fidem, cujus principia sunt insuperabilia, et omni ex parte certissima, ut ne unam quidem christianam veritatem simul omnes increduli (etsi sæpe provocati) in hunc diem potuerint demonstrare falsam: fidem, cui nullum omnino argumentum aut difficultatem hactenus opposuerint omnes increduli, quod non millies solum fuerit ac refutatum a veteribus et recentioribus Apologetis: fidem, cujus professores, ex ipsa incredulorum confessione, nullum unquam periculum subeant, sive de præsentem, sive de futuro: fidem, cujus principia et præscripta secutum neminem unquam pœniteat; cum ab hominum memoria non sit exauditum, Christianum in extremo vitæ articulo suam Religionem abjurasse; certa vero experientia edocuerit, incredulos, alias spiritus fortes, hoc in agone non semel impietatis arma projecisse, victasque veritati Christianæ manus dedisse. Hæc qui rite ponderat, mente captus sit, necessum est, ni vel securum se præstet a contagione hujus temporis, vel pestem jam haustam non illico evomat.

DISSERTATIO XI.

IRRELIGIONIS THEISTICÆ VERÆ CAUSÆ, ET PRÆSIDIA CONTRA ILLAM.

SECTIO I.

QUÆ NON SINT VERÆ CAUSÆ IRRELIGIONIS THEISTICÆ HODIEDUM GRASSANTIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Exurgunt novi in dies CELSI et JULIANI, qui Jesu Christi divinitati palam obstrepunt, oraculorum de ipso editorum majestatem arrodunt, miraculorum de ipso testantium veritatem explodunt, doctrinæ ejus veritatem ac sanctitatem sugillant, totique tam venerandæ Religionis excidium minitantur. Undenam hujus incendii tot myriadam SS. Martyrum cruore dudum extincti feralis flamma? Sunt, qui in suam matrem minus pii Ecclesiæ abusus: sunt, qui erga Theologos orthodoxos parum æqui lites scholasticas: sunt, qui tam imperite, quam maligne Philosophiam adeo eclecticam faces huic incendio subministrare volunt. Inutiles Scholarum rixas, aiunt, exceptim animorum exacerbatio, desperatio pacis, et frigidissimus indifferentismus. Abusus, qui Ecclesiam in dies deturpant magis, petra scandali sunt et offensio Theistarum ineluctabilis, nisi per Synodum generalem mox fiat omnium tum controversiarum suprema decisio, tum abusu extrema inter Catholicos abolitio. Tandem ingemiscunt boni omnes, quod novæ et eclecticæ Philosophiæ genuinus sit partus infelix Naturalismus. Has vero querelas cordati omnes orthodoxi commiseratione ac indignatione dignas esse censent in viris, qui Theistarum patroni, potius quam Ecclesiæ, quæ veræ causæ non sunt, Theistarum rebellionem adscribant; velut in hoc ingeniosi, ut S. Romanæ Ecclesiæ Magistræ ac Matri nostræ labem aliam ex alia afflicent, indeque ceu rugis et maculis plenam spernant Ecclesiam, uti Herodes Christum.

est, tam inficetum viris esse debet, quorum inertiam, pervicaciam, arrogantiam, insipientiam, simulque diffidentiam causæ et malignitatem animi id genus argumenti manifestat.

5°. ROUSSEAU his utitur armis contra divinam Revelationem : Deus pater est universorum; ergo etiam universalis esse debet ejus Revelatio, quæ tamen paucissimis innotuit, quamvis ad salutem necessaria : Deus justissimus iudex est; ergo condemnare non potest eos, qui Revelationem absque propria culpa ignorarunt. HÆC ROUSSEAU cum suis commilitonibus surripuit ex JULIANO Apostata, apud S. Cyrillum.

6°. VOLTAIRE, *Histoire générale*, c. 5. summopere extollit Sinenses, Indos et Quackeros; item Socratis, Platonis, Aristidis, Titi, Trajani, M. Aurelii et Juliani virtutes tanquam cælorum regno dignas, et sanctissimorum hominum meritis pares; sed de Christo, de primis Christianis, ac de summis etiam Imperatoribus Christi cultoribus, Constantino M. et Carolo M. non nisi fanatica et barbara memorat. Sic quippe factionis Pelagianæ dux Julianus dudum desæviit, gentilium virtutes prædicando ceu veras, nec exignas, nec infrequentes, quin, Augustino teste, meritorias vitæ æternæ; Catholicos omnes Manichæismi, et gravissimorum criminum Sacerdotium æque ac Imperium orthodoxum insimulando.

7°. Inconditus perstrepat clamor omnium Theistarum contra Revelationem de pœnarum æternitate, ut quæ a recta ratione penitus abhorreat. Verum personuit hic strepitus a tuba stentorea gentilium Sophistarum et veterum Origenistarum, quorum rebellionem contra vocem et sententiam æterni Numinis pridem oppilavit os vindex veritatis antiquitas, nempe Justinus, Athenagoras, Cyrillus Hieros., Augustinus, Origenes super Cantica, Tertullianus, Theophilus Antioch., Lactantius.

§ III. COROLLARIA.

Vere ergo impii sunt et abominatione digni, quicumque Religionem Jesu Christi vel dictis vel scriptis læcessunt, atque ex animis fidelium fidem tam evidenter divinam evellere conantur, nullo alio nixi fundamento, quam meris sophismatis vanisque subtilitatibus ex paganorum ac hæreticorum veterum armamentario depromptis: fidem, cujus principia sunt insuperabilia, et omni ex parte certissima, ut ne unam quidem christianam veritatem simul omnes increduli (etsi sæpe provocati) in hunc diem potuerint demonstrare falsam: fidem, cui nullum omnino argumentum aut difficultatem hactenus opposuerint omnes increduli, quod non millies solum fuerit ac refutatum a veteribus et recentioribus Apologetis: fidem, cujus professores, ex ipsa incredulorum confessione, nullum unquam periculum subeant, sive de præsentem, sive de futuro: fidem, cujus principia et præscripta secutum neminem unquam pœniteat; cum ab hominum memoria non sit exauditum, Christianum in extremo vitæ articulo suam Religionem abjurasse; certa vero experientia edocuerit, incredulos, alias spiritus fortes, hoc in agone non semel impietatis arma projecisse, victasque veritati Christianæ manus dedisse. Hæc qui rite ponderat, mente captus sit, necessum est, ni vel securum se præstet a contagione hujus temporis, vel pestem jam haustam non illico evomat.

DISSERTATIO XI.

IRRELIGIONIS THEISTICÆ VERÆ CAUSÆ, ET PRÆSIDIA CONTRA ILLAM.

SECTIO I.

QUÆ NON SINT VERÆ CAUSÆ IRRELIGIONIS THEISTICÆ HODIEDUM GRASSANTIS.

§ I. PRÆCOGNITA.

Exurgunt novi in dies CELSI et JULIANI, qui Jesu Christi divinitati palam obstrepunt, oraculorum de ipso editorum majestatem arrodunt, miraculorum de ipso testantium veritatem explodunt, doctrinæ ejus veritatem ac sanctitatem sugillant, totique tam venerandæ Religionis excidium minitantur. Undenam hujus incendii tot myriadam SS. Martyrum cruore dudum extincti feralis flamma? Sunt, qui in suam matrem minus pii Ecclesiæ abusus: sunt, qui erga Theologos orthodoxos parum æqui lites scholasticas: sunt, qui tam imperite, quam maligne Philosophiam adeo eclecticam faces huic incendio subministrare volunt. Inutiles Scholarum rixas, aiunt, exceptim animorum exacerbatio, desperatio pacis, et frigidissimus indifferentismus. Abusus, qui Ecclesiam in dies deturpant magis, petra scandali sunt et offensio Theistarum ineluctabilis, nisi per Synodum generalem mox fiat omnium tum controversiarum suprema decisio, tum abusu extrema inter Catholicos abolitio. Tandem ingemiscunt boni omnes, quod novæ et eclecticæ Philosophiæ genuinus sit partus infelix Naturalismus. Has vero querelas cordati omnes orthodoxi commiseratione ac indignatione dignas esse censent in viris, qui Theistarum patroni, potius quam Ecclesiæ, quæ veræ causæ non sunt, Theistarum rebellionem adscribant; velut in hoc ingeniosi, ut S. Romanæ Ecclesiæ Magistræ ac Matri nostræ labem aliam ex alia afflicent, indeque ceu rugis et maculis plenam spernant Ecclesiam, uti Herodes Christum.

§ II. THEMATA.

II. *Abusus, si qui sunt inter Catholicos, non sunt vera causa Theisticæ irreligionis.*

PROBATIO. Esto, quod ipsi etiam Theistæ nihil minus se velle simulent, quam Religionem evertere; sed eam duntaxat ab anilibus fabulis, superstitionis ritibus et vitiis Ecclesiasticorum (hos enim ceu doctores salutis et rectores animarum cum primis spectant calumniæ incredulorum) liberare præsumant. At simulant, mentiuntur, cavillantur perfidi transfugæ, non ignari, quod abusus hominum sint, non Ecclesiæ aut Religionis, quæ illos nusquam probet, quin potius extirpare conetur; quod a quolibet sanæ ac probæ mentis distinguendum sit inter quosdam excessus aut defectus Ecclesiasticorum, et inter vera dogmata ac saluberrima Ecclesiæ sancita ab universis fidelibus adimplenda. Simplicitatem, ignaviam, vesaniam, fraudes, avaritiam, luxum et tyrannidem proterve imponunt pastoribus et rectoribus fidelium? nempe paleas cribrant, ut triticum proculcent, ac reipsa non intendunt aliud, quam ut per latus pastorum in gregis viscera grassentur, illisque percussis dispergantur oves et pereant. Enumerent impii, si possint, fere innumerabiles Pontifices, Episcopos ac præsides Ecclesiarum, inde ab ortu Christianæ Religionis doctissimos, sanctissimos, integerrimos, zelosissimos, quorum vel unus prævalet universo gregi pseudosophorum. Enumerent, si possint, tot myriades Sanctorum, Martyrum, Confessorum, Virginum in Ecclesia Christiano-Catholica, ad quorum eximiam sanctitatem etiam miraculis præfulgentem fœcata ac steriles infidelium atque incredulorum virtutes umbra, fumus, nihil sunt.

Non igitur castissimæ fidei, quæ summam puritatem sanctitatemque inspirat, imputandi sunt abusus aut vitia quorundam fidelium, quos omnes uti sanctos esse voluit Auctor fidei, ita et liberos, ut esset tam merito locus, quam demerito. Quanquam eos, qui sanctæ fidei pravis moribus contradicunt, vix dignos censeam nomine Christiano ex effatis Apostolicis ad Rom. II. 23. *qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras; nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes: Joann. II. 4. qui dicit, se nosse eum (Jesum Christum justum) et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.* Item 1. Petri II. 11.

II. *Discordiam Catholicorum nequicquam juvant Theistarum perfidiam.*

PROBATIO. Lites sunt inter Catholicos; et ubi non? at Scholarum duntaxat discordiæ sunt, non circa dogmata aut fidei morumve principia; sed circa profundiores difficilioresque quæstiones, in quibus nec sacer textus claret, silent aut discrepant Patres, nec docet Ecclesia; quas proin nec audent contemnere, nec necesse habent adstruere Scholæ Catholicorum. Mirum, quod cum major non sit dissensio, quam inter incredulos (a quibus sicut veritas, ita pax omnis et concordia distant longissime) hæc aut ipsi aut eorum advocati objicere ausint orthodoxis; non ignari, quod nec Sedi Apostolicæ,

nec Ecclesiæ Conciliis visum sit hactenus, omnes Scholarum lites ultimate dirimi aut posse, aut debere; non ignari, quod ubi Doctorum et Scholarum dicta et scripta (sciente nec reclamante Ecclesia) inter se discrepant, omnium animi in id concordent, ut solerti hac discussione decisionis dogmaticæ materies præparetur, et veritas elucescat magis, tandem universis fidelibus proponenda; non ignari, quod appellatio sive a judicio dogmatico Sedis Apostolicæ, sive a sensu Ecclesiæ dispersæ, ad congregatam in Concilio frivola sit, pernicioza, et omni jure nulla; imo quod Concilium generale adversus mala quotidie emergentia non sit medium aut decens divinam providentiam, aut infirmitati humanæ congruum, aut satis accommodum afflictis Ecclesiæ rebus; hodie vero omnium minime necessarium, eo quod contra Appellantes facta dudum sit decisio, universæ Ecclesiæ assensu comprobata; non ignari, quod sicut hæreses fere omnes non tam ex ignorantia aut Scholarum discordia, sed ex pravis affectibus, qua superbia et animi tumentis elatione, qua odio et contemptu legitimi Magistratus, ita ex iisdem putidis fontibus irreligionis impietas promanaverint; optime demum gnari, quod pessime aut Doctorum dissensiones, aut bella quædam intestina ipsi doctrinæ adscribantur, quam si Christiani omnes exacte servarent; quemadmodum primos inter fideles, omnium *cor unum foret, et anima una.*

Si qua aliunde subintrat dissensio inter fideles; eam quidem prædixit Apostolus Act. XX. 29. et 1. Corinth. XI. 9. Attamen pacem ac unitatem iterato inculcat ad Philipp. II. 2. et ad Ephes. IV. 13.; id quod Theistarum Coryphæus in libro, *Traité sur la Tolérance*, ipse asseverat. Imo si persecutio exoritur inter fideles a fidelibus, inimicus homo hoc fecit, non Christi Religio, unitatis, pacis et charitatis studiosissima; quæ adeo illam non probat, ut patientiam interim commendet, et persecutoribus arma justitiæ exhibeat, quæ divinus Auctor veræ Religionis Ecclesiam adversus immorigeros filios obarmavit.

III. *Philosophia eclectica impietatis Theisticæ minime rea est.*

PROBATIO. Recentior Philosophia portam aperuit Naturalismo: quæ injuria pro summis ingeniis; quæ ingratitude pro immensis sumptibus ac studiis; quæ inscitia et vesania malevolorum? nonne discernere oportuit inter illos Philosophastros, qui sine ratione solam rationem adorant, ut quæ dictat Revelatio supra rationem, contra rationem contemnant; qui sine principiis arcana et dictamina naturæ curiosius explorant, ut quæ naturam superant, principia superna projiciant? Atque inter Philosophos verè eclecticos, qui de omnibus ex fœcundissima æque ac cultissima hodierna mentis, sensuum et morum Philosophia optima seligunt; et dum per Mathematicam et Physicam summa atque ima rimantur altius profundiusque; in Ethica uti et in Psychologia et Physio-Theologia de Deo, de Religione, de jure naturæ, de virtute, de anima, de officiis, sine et felicitate hominis veriora et saniora suggerunt principia, contra Atheistarum, Theistarum et Machiavellistarum molimina tyrones philosophos præmuniunt, nec non Theologiæ ac Jurisprudentiæ elementis prævie imbuunt, omne ferunt punctum; illius probe memores: qui non capis mysteria gratiæ, an intelligis mysteria nature?

§ III. COROLLARIA.

Sane hoc Theistarum perflugium aut patrociniū ex abusibus et discordiis Catholicorum non absimile videtur illorum consilio, qui, nescio quæ schismatica, summæ Sedi totique Hierarchiæ Ecclesiasticæ injuriosa ac perniciosa principia spargunt in publicum, ut hac ratione sentire unum omnes faciant. Nam sicut infaustis hisce pacificatoribus ipsi heterodoxi reclamant, hanc neutiquam unionis tam arduæ viam esse, nisi prius in substantialibus, ut vocant, articulis consensio utrinque stabilietur; ita suis Theistæ patronis has dicent gratias; quid juvat immensis sumptibus cogere conventum orbis ad tollendos abusos, et ad finiendas lites per decretorium Ecclesiæ iudicium; cum quod sit aliqua Christi Ecclesia, aliqua Christi Religio, aliquis Christi in terris Vicarius, aliquis aut Magistratus Ecclesiasticus, aut cœtus fidelium divina ordinatione constitutus; nobis nonnisi hominum superstitiosorum somnia sint, atque deliria? Doceant ergo potius illi Ecclesiæ Reformatores sua morum integritate, virtutum exemplis, vitæque sanctitate incredulos; et discant increduli præjudicia depellere, superbiæ modum ponere, domare affectiones, vitia extirpare; cæteri demum fideles debitis muniantur præsiidiis; et vere Religionis non alii erunt, ac universi orbis termini.

SECTIO II.

QUÆ SINT VERÆ CAUSÆ IRRELIGIONIS THEISTICÆ HODIEDUM
DEBACCHANTIS?

§ I. PRÆCOGNITA.

Theismus Socinianismi et Jansenismi æque, ac uterque Lutheraniæ et Calvinianæ defectionis esse partus, multis videtur. Erat Faustus Socinus natus Sienæ anno 1539. ibidem humanioribus et philosophicis disciplinis leviter tinctus, Basileæ per triennium ad Theologiam animum applicuit; inde suos errores per Germaniam, Transylvaniam et Helvetiam circumtulit, imo per Italiam, sed caute ac sublimide. Non tam a iudicii et doctrinæ vi, quam a genii et ingenii vafricie celebris, Tolerantismo viam aperuit. Inde factum, ut Grotium adeo (cujus scripta Sociniano toxico undique infecta deprehendit Illustr. Bossuetus) in suas partes traheret, simulque illos omnes, qui ex heterodoxis, cum Scripturam sacram nec suimet interpretem clarissimam, nec iudicem omnium controversiarum fidei certissimam facile agnoscerent, Ecclesiam vero audire Magistram nollent, ad Socinianam omnium sectarum tolerantiam deflexerunt.

Quis fuerit JANSENIUS, quinam dicantur Janseniani, quæ horum sint ac fuerint consilia, satis decantatum ex tot Bullis Pontificum, Regum decretis, Episcoporum mandatis, Conciliorum sancitis, et doctrina Scholarum. An et qua ratione eorum systema et factio faveat Theismo adversus Christianismum, hic disquirendum est. PSEUDOPHILOSOPHOS nemo non novit, nisi qui putidos fontes impietatis ignorat; libros intelligo falsissimis et spurcissimis contra honestatem veramque Religionem principiis refertos, quos sine fine et sine fronte profundunt Naturales Philosophastri; et in quibus intemperans affectuum licentia, indomita concupiscentiarum ferocia, et impunis vitiorum omnium ingurgitatio, ceu veræ Theismi ac Theisticæ tum impietatis tum irreligionis causæ, ejusdemque illicia et fomenta et incrementa sat clare dignoscuntur.

§ II. THEMATA.

I. Socinianismus inter heterodoxos in dies magis invalescens Theismi verior causa est.

PROBATIO. Sociniani verius increduli quam heterodoxi ipsa Religionis Christianæ fundamenta evertunt; sed ne Christiano nomine prorsus indigni censeantur, doctrinam Christi moralem suam esse doctrinam profitentur. Docet nempe Faustus Socinus, solum Patrem vere ac proprie Deum esse, non item Christum, non item Spiritum sanctum; quorum ille duntaxat homo fuerit peculiaribus donis ornatus, hic vero quædam virtus et efficacia sit. Negat uti peccatum originis, ita necessitatem baptismi, sine quo per solam divini nominis professionem publicam obtineri contendit peccatorum remissionem. Sacramentis admittit vim omnem et efficaciam. Inferni pœnas negat esse æternas, et impios una cum diabolis annihilatum iri asseverat. Demum ut omnem Revelationem reipsa pessumdet, Scripturas divinas subdit criterio rationis humanæ, quæ sola sit illarum interpret et iudex. Qui vero doctrina morum Christiana consistat suffossis ejusdem præcipuis fundamentis, quæ sunt dogmata fidei Christianæ? Inde est, quod Sociniani moralem quoque doctrinam Christi, addendo ac detrahendo quod libet, eousque mutilent, deturpent ac corrumpant, dum naturæ corruptæ ex voto sit accommodata, et gentilem philosophum deceat magis, quam divinum Legislatorem.

Igitur Socinus et ejus asseclæ sunt, qui denegata Christi divinitate, exterminata utriusque fœderis analogia, abnegatis fidei Christianæ placitis, morali doctrina Christi detorta ad Naturalismum, imo ad Paganismum et Mahumetismum, sicut Theistarum prodromi et antesignani; ita bacchantis in Christum rebellionis incentores sunt, quorum infausta propago quam sit metuenda Europæ Christianæ, ipsi Protestantes inter lamenta exponunt.

Vide Libros Socini de Religionis Christ. institutione, de Prælectionibus Theolog. c. 4. de usu et fine Cœnæ Domini, Synopsin Justificationis et Disputationem de Baptismo, atque explicationem Locorum S. Scripturæ.

II. *Jansenismus, uti Socinianismo, ita Theismo maxime affinis jure dicitur.*

PROBATIO. SANCYRANUS et ejus gregales sunt illæ Socinianorum auxiliares copię, ad Theismum et fors Atheismum, si minus aperte, magis tamen callide ac perfide Christianismo surrogandum; nimirum juxta primævum factionis suę institutum, quod tum ex authenticis monumentis, tum ex sequelis in dies luculentioribus comprobatur. Age enim, quid est vera Christi Ecclesia? respondet SANCYRANUS Theolog. famil. lect. VI. «Ecclesia est societas eorum, qui serviunt Deo in lumine et professione verę fidei, atque unione charitatis». Digna sane pessimis artibus notio, cui nec Theistę, minus vero alii Novatores aut Sectarii refragentur: nam quod sit serviendum Deo; hoc Theistę non negant: quod serviendum unione charitatis, hoc est, quod Deus sit diligendus; neque hoc abnuunt Theistę: quod serviendum in lumine et professione verę fidei; et hoc Theistis favet ad sensum SANCYRANI, cui non nisi unus Deus est objectum verę fidei.

Quid porro consilii apud SANCYRANUM, ut fidem mysteriorum nostrorum redderet fallacem ac inutilem, ipsumque Evangelium abrogaret, quin res adverteretur? Scribendos curavit libros; unum, qui doctos depravaret; alium, qui nobiles feminas inescaret; alium, qui plebem corrumpere; denique alium ad pervertendos homines vitę perfectioris. Primum JANSENIO demandatum, ut magna calliditate ac vafritie sapientes et doctos erroneis de gratia placitis imbueret; alterum scripta ARNALDI; tertium FAYDOVII catechismus; postremum liber GERBERONII, et QUESNELLI reflexiones seu observationes Morales in Novum Testamentum exequabantur. Horum omnium testes sunt geminę epistolę Jansenii ad Sancyranum, quę in illarum collectione continenti se ordine consequuntur; testes sunt prope omnes litterę, quas ab exeunte anno 1621, usque ad suum obitum scripsit Jansenius ad Sancyranum de suo Pilmot, de Lite sua, de Sacro Negotio, queis nominibus suum Librum designabat; testes litterę et scripta omnia, quę LUDOVICUS XIV. submitit Patribus Collegii Ludovicęi, postquam jussu Regis Sanctimonialium de Portu Regio aedes subito interceptę, earumque conventus fuit dissipatus. Numquid autem Janseniani rigorem pręferunt, ut nequidem secundum opinionem probabilissimam operari licitum velint? at mordicus tumentur damnatam illam Jansenii primam propositionem: «Aliqua pręcepta Dei hominibus justis etiam volentibus et conantibus secundum pręsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant?» quę si vera sit, quis non intelligit, nihil tam fœdum committi impune et sine reatu posse ob defectum gratię et potentię?

His adde errores ex libris Jansenii et Jansenianorum plenis modiis colligendos; ubi videlicet universo generi humano laudum omnium fundamentum, libertatem adjudicant; ceu novi de schola tyranni, qui homines vere liberos miserę servituti subdant, et in vincula conjiciant: ubi Deum asserunt, legem antiqui fœderis ea mente tulisse, ut Judęi peccata peccatis aggererent, salutisque aditu ceu muro interposito prohiberentur; imo Velus Testamentum magnę Comœdię ausint comparare: ubi non raro et summo opere quidem commendant mores, virtutes, actusque heroicos gentilium: ubi Deum exlubent crudelem, seu imponentem homini pręcepta exequi haud

possit, utpote auxilio gratię necessario destitutus; non exequentem autem æternis cruciatibus plectat; quique homines priusquam pręsciat male acturos, sponte sua æternum reprobet, crimen antevertente supplicio; perinde ac si non reorum pœna iudex, sed tortor hominum cruciatu gauderet: ubi pernegando, Deum carni et cruci pro universorum salute adhæsisse, nituntur eripere Deo constantem omnibus seculis misericordię famam, Christo absolutam numeris omnibus victoriam, et hominibus spem vitę æternę, vitalemque gratiam. Si JANSENIO credimus, maxima pars hominum Christo liberatori nihil debet, cum pro ea liberauda non venerit; et lumine fidei tota vita carentibus, quorum ingens in toto orbe est et fuit numerus, nullam gratiam promeruerit; neque magis pro salute reproborum sanguinem fuderit aut craverit, quam pro salute ipsius diaboli. Et quis ambigat, hæc fuisse ova, a quibus suos Theistę pullos excluderent?

III. *Pseudophilosophia est certissima causa Theisticę irreligionis.*

PROBATIO. Pseudophilosophia est, quę Hobbesii, Schafftesburii, Mandevillii, Lametrii, Rousseauvii, Voltairii, Labeaumellii, Tindalii, et horum similium de Criteriis veri, de Principiis juris naturę, de Regula moralitatis, de Educatione juventutis, de systemate Religionis ac felicitatis inaudita, absona, spuria ingerit principia; quę pręter pestilentem opinionum novitatem infrunitam sentiendi vivendique licentiam orbi propinat; quę audacia incredibili, ad fucum rebas etiam pessimis illinendum, suum commodare nomen cogit Philosophiam; et de qua demum JOANNES WILLMOT Anglus et Comes Roffensis, ab impiorum castris nuper transgressus ad Christum, palam confitetur: «stulta ista et absurda philosophia, qua hodie tam vehementer incantatus est mundus; hæc est, quę me perdidit, magnumque numerum meliorum nationis ingeniorum.»

Nec mirum, si vel delibare lubeat dogmata Pseudosophorum: LAMETRIUS ad machinę sortem dejecit hominem: ROUSSEAU infra bestias homines deprimit: HELVETIO unice vera delectatio est orta ex sensibus, cui consonat BOLLINGBROCKIUS; itidem ROUSSEAUVIO ipse sibi homo ultimus finis est, et sua suprema felicitas; SCHAFFTESBURIUS jocis et satyris veritas exploranda est; HUTCHESONIO et HUMIO moralis, nescio quę perceptio pro regula moralitatis est, fere sicut SCHMAUSIO jus naturę nihil est aliud, quam jus vivendi secundum instinctus naturales (haud monstruosum minus, quam illud Caligulæ: omnia mihi licent); DOVETUS conscientiam adeo negat et legem et lumen naturę: MANDEVILLIUS vitia ad felicitatem reipublicę conducere somniat: LABEAUMELLIUS judicio pueri subjugat veritatem Religionis: MONTESQUIEU climati attemperat quamcumque Religionem. Demum, ne infinitus sit numerus insulsiatatum atque absurditatum, SENESIUS pro recta juventutis institutione vult juvenes a parentibus ac pręceptoribus objici periculis etiam manifestis, ut ab intuitu turpitudinis in vitio ad pulchritudinem in virtute magis alliciantur.

Quid vero juventę pestilentius, injuriosius Deo, et ordinato amori pręjudiciosum magis? hic nempe dictat, ut omnia a nobis scandala et pericula pręsertim graviora propulsemus. Quę temeritas, Dei auxilium (quod uni-

cum in vehementiori tentatione per fugium esse, Plato, Seleucus, Arrianus, alique veteres ex ipsa naturali ratione perspexerant) deprecari prorsus insolitum, ut velut miraculo a casu immunem præstet, in quem lubens temetipsum præcipitas? Numquid exempla trahunt, et juvenes eo fortius, quo sunt affectu in malum proniores, minus experti, rationis necdum climate, ex ætatis vigore vehementiores, et freni sæpius impatientes? Hinc nitide SENECA: «serpunt enim vitia et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent; itaque ut in pestilentia curandum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus.»

De his copiose ac erudite disserentem vide P. ANTON. SCHMITT S. J. in suis Meditationibus Philosophicis Heidelbergæ editis, anno 1768. Quo in opere demonstrat, quod passim eo colliment studia Pseudosophorum, ut fucatis placitis suis ævi nostri genio inserviant, quo honestatis virtutisque reliquias paulatim omnes exterminent. Habemus adeo ROUSSEAUVM fatentem reum, quod scientiarum redintegratio, et præprimis Typographorum copia plus hodiebus obsint bonis moribus et Religioni Christianæ, quam prosunt; id quod comprobatur exemplis antiquitatis, quo scientiis et artibus florentioris, eo a moribus et improbitate deterioris.

§ III. COROLLARIA.

Itaque si ad prædictos tres fontes irreligionis aliæ itidem cause addantur; sive quæ sunt intra nos, videlicet, ex parte intellectus infirmitas, anteoccupatio, præfidentia et pertinacia; ex parte voluntatis vitæ licentia, impunitas delictorum, legum contemptus, odium cujusvis magistratus, cordis pervicacia atque obstinatio. Sive quæ sunt extra nos, nimirum educatio, assuetudo, sors bona et mala, abusus rerum etiam sacerrimarum, pruritus legendi libros utut omni jure prohibitos, et tum Socinianismi, tum Jansenismi, tum Pseudosophiæ veneno turgentis... quid mirum, si cordis depravatio, morum corruptio, fidei naufragium, ac demum impietas et irreligio invalescant? Atque idcirco ipsi æquiores Protestantici Socinianismo, Galli Catholici omnes Jansenismo, et saniores etiam Angli Pseudophilosophiæ suis in terris fere dominantibus fortissime resistunt.

SECTIO III.

DE MEDIIS ET PRÆSIDIIS CONTRA IRRELIGIONEM THEISTICAM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Nullis sat lacrymis deploranda temeritas est ac obstinatio; quod hodie tam multi fidem et salutem, res summi momenti, tam male prodigant; ubi vel utramque discrimini irreligionis Theisticæ ex Theistarum et librorum theisticorum liberrimo usu inconsideratissime obijciunt; vel toto jam pectore haustam impietatem ac irreligionem tenacissime tenendo ac tuendo, et se et alios æternum præcipitent. Nonne enim complures præsertim juvenes (apud quos deficit vel institutio vere Christiana, vel cura parentum et moderatorum vigilantia) æstu juvenili quaquaversum abrepti, legunt primum curiosi, et lingunt et lambunt omnia, quæ ab exteris emporiis advehuntur, ut ex audacissimis versipellium ludionum scriptis addiscant dicacitatem et ferociam adversus Ecclesiam et Ecclesiasticos; tum superbi cariosas ex Anglia, Gallia, Hollandia et Saxonia merces exponunt cum supercilio contra pedanticam, ut aiunt, Christianorum simplicitatem; demum scelestam haustam ex incredulorum fecibus pestem in alios eruant? Nonne horum dietariis et exemplis illecti alii eodem se toxico inebriant; eodem modo sacra omnia spernunt, quia ab aliis sperni vident; eodem modo se tutos reputant, quamvis omnia jura divina et humana violent, quia ab aliis hæc fieri impune sciunt; eodem modo deserviunt in sanctissimam fidem; eodem modo in propriam et alienam salutem debacchantur, quia ab aliis non sine fama fortis spiritus audacissime ac perniciosissime ea perpetrantur?

Paterne monet supremum Caput Ecclesiæ, tum CLEMENS XIII, tum CLEMENS XIV; hortatur et comminatur supremum Caput Imperii JOSEPHUS II, et ad religiosissimi Cæsaris exemplum summi quique Principes obnituntur; Præsules Ecclesiastici suas gemunt vigilias, et curas intendunt omnes. Nec tamen desistit incredulus orbis, in dies ruere in deterius. Addam nihilominus et ego ad illa Sedis Apostolicæ, Cæsareæ majestatis et vigilantissimorum Præsulum sancita, ceu totidem antidota saluberrima æque ac efficacissima; media pro ejuranda irreligione, et ad præcavendam præsidia, quo sit magis inexcusabilis omnis incredulus.

§ II. MEDIA.

I. Ad ejurandam irreligionem Theisticam, inquiret incredulus in veram Religionem, ex qua pendet salus; et quam lex et amor naturalis dictant esse inquirendam. Sed interroget seipsum, utrum per hanc disquisitionem unice

cum in vehementiori tentatione per fugium esse, Plato, Seleucus, Arrianus, alique veteres ex ipsa naturali ratione perspexerant) deprecari prorsus insolitum, ut velut miraculo a casu immunem præstet, in quem lubens temetipsum præcipitas? Numquid exempla trahunt, et juvenes eo fortius, quo sunt affectu in malum proniores, minus experti, rationis necdum climate, ex ætatis vigore vehementiores, et freni sæpius impatientes? Hinc nitide SENECA: «serpunt enim vitia et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent; itaque ut in pestilentia curandum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus.»

De his copiose ac erudite disserentem vide P. ANTON. SCHMITT S. J. in suis Meditationibus Philosophicis Heidelbergæ editis, anno 1768. Quo in opere demonstrat, quod passim eo colliment studia Pseudosophorum, ut fucalis pacitatis suis ævi nostri genio inserviant, quo honestatis virtutisque reliquias paulatim omnes exterminent. Habemus adeo ROUSSEAUVM fatentem reum, quod scientiarum redintegratio, et præprimis Typographorum copia plus hodiebus obsint bonis moribus et Religioni Christianæ, quam prosunt; id quod comprobatur exemplis antiquitatis, quo scientiis et artibus florentioris, eo a moribus et improbitate deterioris.

§ III. COROLLARIA.

Itaque si ad prædictos tres fontes irreligionis aliæ itidem cause addantur; sive quæ sunt intra nos, videlicet, ex parte intellectus infirmitas, anteoccupatio, præfidentia et pertinacia; ex parte voluntatis vitæ licentia, impunitas delictorum, legum contemptus, odium cujusvis magistratus, cordis pervicacia atque obstinatio. Sive quæ sunt extra nos, nimirum educatio, assuetudo, sors bona et mala, abusus rerum etiam sacerrimarum, pruritus legendi libros utut omni jure prohibitos, et tum Socinianismi, tum Jansenismi, tum Pseudosophiæ veneno turgentis... quid mirum, si cordis depravatio, morum corruptio, fidei naufragium, ac demum impietas et irreligio invalescant? Atque idcirco ipsi æquiores Protestantici Socinianismo, Galli Catholici omnes Jansenismo, et saniores etiam Angli Pseudophilosophiæ suis in terris fere dominantibus fortissime resistunt.

SECTIO III.

DE MEDIIS ET PRÆSIDIIS CONTRA IRRELIGIONEM THEISTICAM.

§ I. PRÆCOGNITA.

Nullis sat lacrymis deploranda temeritas est ac obstinatio; quod hodie tam multi fidem et salutem, res summi momenti, tam male prodigant; ubi vel utramque discrimini irreligionis Theisticæ ex Theistarum et librorum theisticorum liberrimo usu inconsideratissime obijciunt; vel toto jam pectore haustam impietatem ac irreligionem tenacissime tenendo ac tuendo, et se et alios æternum præcipitent. Nonne enim complures præsertim juvenes (apud quos deficit vel institutio vere Christiana, vel cura parentum et moderatorum vigilantia) æstu juvenili quaquaversum abrepti, legunt primum curiosi, et lingunt et lambunt omnia, quæ ab exteris emporiis advehuntur, ut ex audacissimis versipellium ludionum scriptis addiscant dicacitatem et ferociam adversus Ecclesiam et Ecclesiasticos; tum superbi cariosas ex Anglia, Gallia, Hollandia et Saxonia merces exponunt cum supercilio contra pedanticam, ut aiunt, Christianorum simplicitatem; demum scelestam haustam ex incredulorum fecibus pestem in alios eruant? Nonne horum dietariis et exemplis illecti alii eodem se toxico inebriant; eodem modo sacra omnia spernunt, quia ab aliis sperni vident; eodem modo se tutos reputant, quamvis omnia jura divina et humana violent, quia ab aliis hæc fieri impune sciunt; eodem modo deserviunt in sanctissimam fidem; eodem modo in propriam et alienam salutem debacchantur, quia ab aliis non sine fama fortis spiritus audacissime ac perniciosissime ea perpetrantur?

Paterne monet supremum Caput Ecclesiæ, tum CLEMENS XIII, tum CLEMENS XIV; hortatur et comminatur supremum Caput Imperii JOSEPHUS II, et ad religiosissimi Cæsaris exemplum summi quique Principes obnituntur; Præsules Ecclesiastici suas gemunt vigilias, et curas intendunt omnes. Nec tamen desistit incredulus orbis, in dies ruere in deterius. Addam nihilominus et ego ad illa Sedis Apostolicæ, Cæsareæ majestatis et vigilantissimorum Præsulum sancita, ceu totidem antidota saluberrima æque ac efficacissima; media pro ejuranda irreligione, et ad præcavendam præsidia, quo sit magis inexcusabilis omnis incredulus.

§ II. MEDIA.

I. Ad ejurandam irreligionem Theisticam, inquiret incredulus in veram Religionem, ex qua pendet salus; et quam lex et amor naturalis dictant esse inquirendam. Sed interroget seipsum, utrum per hanc disquisitionem unice

intendat cognitionem veritatis ac voluntatis divinæ; simul autem cor suum custodiat ab omni tum neutralitate, tum libertate circa Religionem, in quam summa cum reverentia inquirendum est; sic vero inquirentem Deus optimus, ceu pater luminum, nunquam destituit. Certus sum, si characteres, proprietates et prærogativas Ecclesiæ Catholicæ (per quas mysteria et dogmata credibilia facta sunt nimis) accurate perpendat, de convictione veritatis et detestatione falsitatis. Do exemplum: referunt de magno illo CONDEO summi ingenii, virtutis ac scientiæ Principe, quod cum initio ægre ferret Catholicam tam arduam Religionem, ejusque jugum excutere jamdum pararet; sola dein Judæorum dispersione et abiectione rite perpensa confirmatus fuerit in veritate catholica, quam ad mortem usque tenuit exacteque adimplevit.

II. Proponat sua dubia probatis Doctoribus cum fervidis ad Deum precibus, ut se et illos collustret æterna veritas. Narrat in hanc rem Cl. COLLETERUS de quodam sibi olim noto Theista: erat vir candidi alias pectoris, sed qui, hausto ab Anglicanis sectis spiritu incredulitatis, eo in luto diu hærebat. Agente angelo bono, quem nesciebat, Bataviam appulit, inde Cameracum devenit, ac ibi illum toto orbe celebrem FENELONIUM audiit. Dubia quæcumque in Theismi fundo germinant, toto mentis, cordis ac linguæ pruritu proposuit. Oppressus tandem a veritate, nuntium remisit errori, et catholicam fidem amplexus, multo plus tenera et constanti pietate enituit, quam copia et facilitate scribendi. Hunc æmulare, quisquis es Theista; et te haud multo post nostrum fore confidimus.

III. Contendat omni studio, cor emendare suum, ac sincerum fovere propositum agnitæ veritati non obstrepenti, et submittendi se totum divinæ voluntati. Sicut enim veteres Philosophos cordis depravatio in fœdissimos errores præcipitavit; ita nostri etiam temporis Sceptici non tam ex vitio mentis, quam cordis delirant ac cæcutiunt, eo magis detestando, quod lucem, qua illi caruerunt, hi aspernentur. A Deo gratiam efflictim petat, ut convertatur ad cor, et cum illo nupero Scriptore libri (*Mœurs du siècle*), nolit amplius esse incredulus, sed fidelis; ac ut ille respiciens testatum faciat in publico, si publico antehac scandalo Religionem denigraverat.

Hujus auctoris convictionem de veritate, et ingenuam sui erroris confessionem exhibet P. HERMANN. GOLDHAGEN S. J. in *dem nethigen Unterricht in den Religions-Gründen*, pag. 314.

IV. Ante oculos ponat Theista summorum exempla et scripta virorum, quos omnis semper ætas cen summos coluit ac prædicavit, Justini, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Athanasii, utriusque Gregorii, Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, et qui vel unus omnes heroes incredulorum sapientia ac fortitudine spiritus exsuperat, Augustini. Si namque DIOCLES ad ingressum Epicuri in templum attonitus exclamavit: « Quanta festivitas! quale spectaculum! Epicurus (ille scilicet veterum incredulorum antesignanus) Deos agnoscit et veneratur! » Potiori jure, sed in oppositam partem, quisvis Theista in has voces erumpet: si tot et tanti (ad quorum summas naturæ et gratiæ, virtutis et scientiæ prærogativas nihil sum, et nihil valeo) ore, calamo, moribus, laboribus, vigiliis, perpersionibus, sanguine adeo et profusione vitæ Evangelium et fidem Christi tutati sunt, viri sanctissimi, scriptores clarissimi, magistri sapientissimi, Apologetæ fortissimi et invictissimi pugiles;

quidni et ego hucusque filius tenebrarum tantam veritatis Christianæ lucem sequar, et toto corde complectar?

V. Recogitet serio, quod nihil in hac vita, nihil in morte sit, quod beatum reddat incredulum: si enim in sensuum duntaxat oblectamentis et imbelli voluptate conquiescat; certissime nausea et fastidium, sensuum hebetudo, spirituum defectio, corporis languor, jactura famæ, et omnis veræ dispendium amicitiae tandem consequentur. Undenam vero, si adversa vel valetudo vel fortuna premat, solatii quidquam hauriat? a virtute? sed quam effrenis passionum licentia omnem suffocavit in semine? a suavi Dei providentia? sed hujus contemptor et derisor erat: a quiete animi? sed arrodet diu noctuque vermis conscientiae: Quid si ætas ingravescat; nonne hinc inveterata cupido voluptatum exuret, illinc effectum divexabit impotentia eam exsatiandi? Quid si mortis subeat memoria, quam fractæ corporis vires, et iterata circa ipsum funera etiam invito ingerunt? nonne subibit quoque animum amara cogitatio, quod suum hucusque corpus in victimam morti libandam saginaverit? quid si æternitatis inde secuturæ horror invadat, quam sane omnem nulla unquam incredulitas utut spiritu fortis excutiet? quid si dubia consuetæ hactenus impietatis importunissime simul omnia mentem obruant? si vindex conscientia acerrimos jam aculeos exerat? si demum terrificæ mortis instet hora? quid si infaustæ æternitatis cruciatus jamdum præsentiat?

Refert P. VALSECCI, celebris scriptor O. P., a viro illustri se accepisse, quod is Londini moratus ad suum amicum D. Santerremondum inviserit, sed quem cum morte luctantem deprehenderit. Pro veteri ergo amicitia morienti inlclamat: amice! procul dubio cum Deo optimo te rite reconciliaveris? cui moriens incredulus: amice! quomodo possim reconciliari eum Deo, quem dudum perdidisti? quibus verbis immortalis est infelix.

Vide S. LIGORI L. I. *Verità della Fede*, c. 5. P. II. f. 239. Porro quod hi sint exitus incredulorum non infrequentes, exhibet § II. Sect. III. Dissert. X.

VI. His ergo consiliis instructus, atque his fatiis exterritus, humiliet se (dum gratiæ tempus ac veniæ locus est) incredulus sub potenti manu Dei, de qua venit omne donum, quod desursum est, cum primis illud fidei. Agnoscat et fateatur mentis cæcitatem et spiritus infirmitatem; nec erubescat æternam sapientiam, in qua reconditi sunt omnes thesauri scientiarum, cum sapientissimo Regum sic exorare: *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, quoniam homo infirmus sum, et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum. Nam et si quis erit consummatus inter filios hominum; si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur... Cogitationes enim mortalium timide, et incertæ providentiæ nostræ... et difficile æstimamus, quæ in terra sunt... quæ autem in caelis sunt, quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis; et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, et quæ tibi placent, didicerint homines. Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.* Sap. IX. Demum cum sincera ac pia deprecatione suæ erga Christum et Ecclesiam Christi rebellionis, corde ac ore consonet cum Doctore gentium, quod jam nihil scire cupiat, quam Jesum crucifixum, et in nullo gloriari velit, quam in cruce Domini Nostri Jesu Christi.

§ III. PRÆSIDIA.

I. Ad præcavendam irreligionis Theisticæ impietatem, fuge Theistarum libros et consortia juxta illud : *Beatus, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit*; pestilentiae, hoc est, juxta fontem hebræum, derisorum, videlicet Christi, Religionis et Ecclesiae Christi; qua certe nulla pejor est pestilentia. Nam libri eorum et haustæ ex illis pestes mentem exerceant, cor depravant, honestatem everunt, fidem extinguunt, mores corrumpunt, et tuam animæ et suam Reipublicæ salutem deperdunt. Dicendum hic ac sentiendum omnino est (si quando obvenerint Theistarum scripta) quod de libro quodam Ciceronis, *Hortensius*, dixit S. AUGUSTINUS : « nitidus quidem liber est; non tamen placet vel ex eo, quod nihil de Christo habeat. » Si cui autem vel Ecclesia, vel justa coram Deo causa illorum permittat lectionem; is vero etiam noverit suæ integritati contra tot scandala prospicere.

II. Ama et inquire viros atque libros a pietate et doctrina conspicuos, qui nunquam desunt: Viros, qui sunt avitæ fidei et veræ virtutis studiosi atque tenaces, optimarumque artium apparatu instructi, qui verba salutis habent, et vitæ castigatæ exemplis quodvis institutum ornant: Libros, qui fidem stabiliunt, pietatem fovent, mores emendant, vitia exterminant, virtutes commendant, spem augent Christianam, et charitatem inflammant; cujusmodi plures et probatos suggerent viri, quos propriæ pariter ac alienæ salutis cura sive ex officio, sive ex charitate sollicitos tenet. Præprimis autem pro fidei ac morum integritate conservanda facit Ascetarum, Sanctorum Patrum, Catechismi Romani et sacrarum Scripturarum lectio, interpretatio, meditatio juxta illud : *Beatus, cujus in lege Domini voluntas ejus, et qui in lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Dignissima aureo calculo monita sanctissimi Patris CLEMENTIS XIV. accipe ex Ejusdem prima ad Hierarchas orbis Catholici Encyclica : « in gemino hoc luculentissimo veritatis ac virtutis omnis Instrumento (Veteri ac Novo Testamento) continentur quæcumque ad Religionis cultum, ad morum disciplinam recteque vivendi institutionem pertinent. Hinc Mysteriorum altitudinem, hinc pietatis, honestatis, justitiæ, humanitatis officia ediscimus. Quid Deo, quid Ecclesiae, quid patriæ, quid civibus, quid cæteris hominibus debeamus, intelligimus. Unde nullis præclarius, quam his veræ Religionis legibus, civitatum etiam ac societatum jura stabilita esse, agnoscimus. »

III. Ora Deum, audi Ecclesiam Dei, honora Sacerdotium ac Ministros Ecclesie : nam humilis et supplex oratio emeretur gratiam standi in fide, cujus tot hodie arrogantes increduli naufragium patiuntur : Ecclesiam qui audit, Deum audit, cujus illa interpres falli nescia, et custos et magistra est omnis veritatis, quæ ducit ad vitam et salutem : Sacerdotes Deus posuit in Ecclesia ceu doctores salutis, de quorum labiis exquirenda sit lex et veritas; ceu pastores animarum, qui verbo vitæ et pabulo salutis reficiant fideles et pietatem nutriant; ceu rectores conscientiarum, qui oborta circa fidem et pietatem dubia dispellant, abstergant maculas, a peccatis solvant, et pervigilent in omnibus tanquam rationem reddituri pro animabus fidelium. Quanta fuerit

inter Judæos reverentia Sacerdotii, edocent divinæ paginæ; quanta adeo inter Gentes, eadem memorant divinæ litteræ; tum in Genesis c. XLVII., tum in L. I. Esdræ c. VII.; profecto non alia de causa, quam ut pudore suffundant Christianos, si minus honoris deferant veris Sacerdotibus, quam gentes Popis et Sacrificulis, quos quidem hæreditas et generatio profana finxit Sacerdotes; cum illi ex institutione divina in sortem Domini vocati sint.

IV. Æstima et frequenta, sed pie, mysteria fidei, exercitia cultus divini, et pietatis Christianæ officia : pius namque et frequens usus Sacrorum Catholicorum fomentum et argumentum est veræ Religionis, sicut illorum neglectus aut contemptus fatale irreligionis initium est. Nec mirum, si qui toto tempore cultum Dei internum per fidem, spem et charitatem neglexit, externum vero etiam contempsit; qui tamdiu oblitus est comedere panem suum, ac reliquos divinarum gratiarum fontes deseruit; si, inquam, ejus exarescat anima, deficiat oleum honorum operum, extinguatur spiritus fidei, et pro germine veritatis ac pietatis Christianæ tandem exoriantur spinæ incredulitatis atque impietatis. Vera et viva fides est, quæ per dilectionem operatur; quippe juxta S. AUGUSTINUM, « non faciunt bonos et malos mores, nisi boni et mali amores... purga amorem tuum, et aquam fluentem in cloacam converte ad hortum... quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat : ejiciebas enim eas a me vera tu et summa suavitas, ejiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior »! PSALMISTA autem : *delectare, inquit, in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui... gustate et videte, quam suavis est Dominus!*

V. Vince te edomando passiones; ad terrena noli cor apponere; sursum ad cœlestia et æterna mentem eleva. Passionibus indomitis nihil insolentius ac periculosius; vel una sufficit (præsertim ubi exulant sincerus amor veritatis, memoria novissimorum, et desiderium æternorum) ut humana ratio Revelationi ac fidei divinæ præhabeatur, rationi et fidei antependantur voluptas, vindicta, ira, superbia. Exemplo sunt plerique increduli, ac testimonium præbent minime suspectum nonnulli illorum ad nos reversi; ex quorum confessione effrenis cupiditas præcipua causa fuit, ob quam desperent crux Christi et Evangelium, et mysteria fidei omniaque dogmata veræ Religionis de Trinitate personarum, de Incarnatione Verbi, de Redemptione generis humani, de Eucharistia, de inferno figmenta et deliria ipsis viderentur. Videlicet tam individuae comites sunt ex effato Apostolico fides et conscientia, ut qui hanc repellunt, atque ejus stimulos gravissimos identidem criminibus refundunt, circa fidem facile naufragentur. 1. Tim. I. 19.

VI. Perfice te virtutum Christianarum eximio cultu; siquidem perfectum vitæ Christianæ exemplar efficacissimum est medium et in nobis conservandæ, et reparandæ in incredulis veræ fidei. Consecrent fideles suos dies operibus pietatis et dilectionis; corpora sua moderentur ad leges continentiae ac temperantiae; impleant animas suas charitate et gratitudine erga Deum; omnemque in Deo spem et fiduciam reponant; sint demum virtutes Christianæ omnes, totus eorum thesaurus et divitiæ et deliciae et omnia : et certus sum, quod ne unus fidelis sua excidat fide per quascumque machinas incredulorum : imo certus sum, quod sicut sanctissima vitæ Christianæ exempla in primis quondam fidelibus debellarunt tyrannorum rabiem, carnificum furias, totamque superstitionem idololatricam ad pedem crucis pro-

stratam in nihilum redegerunt; ita præfulgens in credentibus morum sanctitas contra Theistas tam potens sit futura, ut sua sponte corruant ævi nostri irreligio et impietas.

§ IV. COROLLARIA.

I. Non igitur superest quidquam, quod suæ porro incredulitati prætexant Theistæ. Si dicant: non possum credere, tum quia mihi deficit debita ad credendum animi præparatio, tum quia viam et media veram profitendi fidem haud scio? Cito respondeo: fac ut possis. Res salva erit, si tandem sincere agnoscas, quod tua ad credendum sufficientia ex Deo sit; si Deum Patrem luminum ardentem exores; si temetipsum vincas passionum refrenatione magis, quam probationum congestionem; si viam et media ad veram fidem addiscas vel ab illis, qui fuerunt nuper tui similes, nunc autem ejurata impietate tui ad fidem et pietatem duces sunt; si interim actiones illorum exteriores in te exprimas, dum interiores necdum valuisti comparare; si, ut internas quoque oblineas, missa facias illa oblectamenta, quæ fidei semenlem suffocant, et non nisi spinas ac tribulos irreligionis proferunt.

Ais: valedicerem illis ocius, si fidem haberem? Aio: ocius fidem habebis, si illis valedicas. Fidem cum ego dare non possim; neque possum experiri, utrum sit verum, quod tu dicis. Tu vero cum removeere possis fidei obstacula; experire, utrum ego verum dixerim. Nam qui a vitis se abstinet, facile credit; sed non potest credere bene, qui vult male vivere; et qui male vivit, facile abiecit fidem, ut sine remorsu peccet. Sed hæc est sapientia carnis, non rationis.

II. Neque justa excusatio est credentibus, si posthac Theistica contagione inficiantur. Dicunt: nec satis internosco Theistas aut Theistarum libros; nec facile in tanta colluvie incredulorum aut hos aut illos evitare valeo. Mirum! homo incredulus vix unquam auditur loqui, nisi dejerans Christum et Christi fidem; nisi deridens pietatem Christianam et omnia sancta, quæ sunt in Ecclesia Christi; nisi quæcumque ratio naturalis non capit, blasphemans, mysteria, dogmata et præcepta Christi; et hunc ex deterrima sentiendi, loquendi et vivendi licentia non internoscas?

Recole dicta de placitis, de moribus, de fati et morte Theistarum, Dissert. X. Sect. III.

VOTA

PRO VERA RELIGIONE.


Quid ergo diutius vos detinet, increduli? optima parens Ecclesia vos dudum exspectat, manus vobis tendit, brachia explicat, viscera et sinum aperit; non pœnas parat nec fulmina cudit, sed gratulabunda occurret, ac rebelles suos, imo rebellionis immemor filios suos charissimos amplexabitur; errantem ovem hilaris ad ovile reducet; perditam drachmam læta inveniet, et prodigum filium, qui perierat, exultabunda recipiet. Votis optimæ Parentis morem gerite; reddite vos Matri et Deo, imo et vobismet ipsis, ut salutem vestram consulatis, quæ non est nisi in vera Religione, hæc autem in sola Christi Ecclesia est, et vera Christi Ecclesia sola est Catholica. Ignoscite, quæso, si dum vestra præcluderem effugia, aliquid forte paulo acrius dictum excidit; malus certe animus non fuit, neque mens sinistra. Testis est enim mihi Deus, quomodo in visceribus Christi vos amem, quantoque vestræ salutis desiderio teneri me sentiam. Hæc mea sunt vota et desideria, ut tandem ex omnibus, saltem qui in Europa sunt fideles, fiat unum ovile et unus pastor.

Quibus votis ut cœlum respondeat, vos quæso fideles, et fidelium pastores omnium maxime obtestor, prædicare, hortari, instruere, et pro virili decertare contra invalescentem hujus seculi irreligionem; sed et precari ac illacrymari cum Ecclesia ad exorandam immensi Numinis clementiam, ut velit deinceps tot animarum stragem avertere, quæ sine numero hac via latissima irreligionis ad sempiternum properant interitum.

Accedamus itaque ad thronum misericordiæ, et dicamus cum fiducia: *Deus virtutum, ostende faciem tuam, et salvi erimus; vineam de Ægypto transtulisti, rejecisti gentes et plantasti eam; plantasti radices ejus et implevit terram. Verum exterminavit eam aper de sylva, et singularis ferus depastus est eam. Deus virtutum, convertere, respice de cœlo et vide et visita vineam istam et perfee eam, quam plantavit dextera tua!* Respice de cœlo et vide fidem patriæ nostræ, quæ tenerrimo ardentissimoque affectu immortales reddit grates tuæ immensæ bonitati pro margarita illa, qua omnium pretiosissima Franconiam nobilitasti; vera, inquam, Religione, integerrime hactenus conservata gloriosissimeque amplificata! Respice ad pretiosum sanguinem SS. Martyrum, quos Franconia Apostolos et Patronos suos reli-

giosissime colit; ut sicut sanguis eorum quondam in terris nostris semen fuit Christianorum; ita hodieum det fructum uberem quot Franconum, tot spirituum vere fortium; qui uti hæredes fidei, sic tantorum Martyrum veri filii stent in fide, pugnent pro fide, patiantur propter fidem, vivant ex fide, moriantur in fide.

O. A. M. D. G.



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONSPECTUS TOMI PRIMI

PARS POSTERIOR.

TRACTATUS DE RELIGIONE.

DISSERTATIO I.

DE DEO.

SECTIO I. — DE DEO EXISTENTE, ET OBJECTO RELIGIONIS.

	Pag.
I. — Si Deus non est, neque Religio est, seu cultus Dei	1
II. — Deum esse, prima, summa, et notissima veritas est	2
III. — Igitur vesania et impietas est, aut non agnoscere, aut non colere Deum	3

SECTIO II. — DE DEO CREANTE, ET AUCTORE RELIGIONIS.

I. — Atheos mundi creatio revincit	4
II. — 1º. Deus, qui solus æternus est, hunc Mundum creavit in tempore	4
2º. Solus Deus hunc Mundum creare potuit et voluit in laudem gloriæ suæ.	5
III. — Summa itaque ingratitude est, hunc Deum non glorificare.	6

SECTIO III. — DE DEO PROVIDENTE, ET FINE RELIGIONIS.


I. — Qui Dei Providentiam negant, negant reipsa esse Deum.	6
II. — 1º. Certissima est veritas hujus de Deo sententiæ: tua, Pater, providentia gubernat omnia	7
2º. Provida Dei gubernatio attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.	8
3º. Argumenta incredulorum contra sapientiam, justitiam et bonitatem divinæ Providentiæ vana sunt omnia et fatua.	9
III. — Adhortatio ad singularem Dei erga hominem Providentiam adorandam et prædicandam	11

SECTIO IV. — DE DEI PROVIDENTIS OECONOMIA CIRCA RELIGIONEM.

I. — Summaria prælibatio de primi Homini statu, creatione, lapsu et reparatione.	12
II. — 1º. Deus satis providit homini de vera Religione in Lege Naturæ.	13
2º. Explicatius in Lege scripta per Mosen veram Religionem edocuit.	14
3º. Plenissime in Lege gratiæ per Filium et Apostolos.	14

giosissime colit; ut sicut sanguis eorum quondam in terris nostris semen fuit Christianorum; ita hodieum det fructum uberem quot Franconum, tot spirituum vere fortium; qui uti hæredes fidei, sic tantorum Martyrum veri filii stent in fide, pugnent pro fide, patiantur propter fidem, vivant ex fide, moriantur in fide.

O. A. M. D. G.



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CONSPECTUS TOMI PRIMI

PARS POSTERIOR.

TRACTATUS DE RELIGIONE.

DISSERTATIO I.

DE DEO.

SECTIO I. — DE DEO EXISTENTE, ET OBJECTO RELIGIONIS.

	Pag.
I. — Si Deus non est, neque Religio est, seu cultus Dei	1
II. — Deum esse, prima, summa, et notissima veritas est	2
III. — Igitur vesania et impietas est, aut non agnoscere, aut non colere Deum	3

SECTIO II. — DE DEO CREANTE, ET AUCTORE RELIGIONIS.

I. — Atheos mundi creatio revincit	4
II. — 1º. Deus, qui solus æternus est, hunc Mundum creavit in tempore	4
2º. Solus Deus hunc Mundum creare potuit et voluit in laudem gloriæ suæ.	5
III. — Summa itaque ingratitude est, hunc Deum non glorificare.	6

SECTIO III. — DE DEO PROVIDENTE, ET FINE RELIGIONIS.

I. — Qui Dei Providentiam negant, negant reipsa esse Deum.	6
II. — 1º. Certissima est veritas hujus de Deo sententiæ: tua, Pater, providentia gubernat omnia	7
2º. Provida Dei gubernatio attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.	8
3º. Argumenta incredulorum contra sapientiam, justitiam et bonitatem divinæ Providentiæ vana sunt omnia et fatua.	9
III. — Adhortatio ad singularem Dei erga hominem Providentiam adorandam et prædicandam	11

SECTIO IV. — DE DEI PROVIDENTIS OECONOMIA CIRCA RELIGIONEM.

I. — Summaria prælibatio de primi Homini statu, creatione, lapsu et reparatione.	12
II. — 1º. Deus satis providit homini de vera Religione in Lege Naturæ.	13
2º. Explicatius in Lege scripta per Mosen veram Religionem edocuit.	14
3º. Plenissime in Lege gratiæ per Filium et Apostolos.	14

DISSERTATIO II.

DE RELIGIONE.

SECTIO I. — NOTIO ET QUIDDITAS RELIGIONIS.

	Pag.
I. — De Religione cum grandi metu et disciplina agendum	17
II. — 1º. Religio est cultus Dei legitimus.	17
2º. Religio exposcit ab homine tam intellectus, quam voluntatis erga Deum obsequia.	18
3º. Religio exigit cultum Dei non solum internum, sed etiam externum.	18

SECTIO II. — UTILITAS RELIGIONIS.

I. — Utilitas et pietas inter se conjunctissimæ	21
II. — 1º. Hominis plurimum interest, sive ad conditionem privatam, sive ad societatem naturalem, esse Religionem.	22
2º. Religio præcipuum fundamentum est status civilis, cui illa optimos et Principes et subditos efformat.	23
III. — Proti scripta incredulorum contra Religionem, et populorum saluti et Principum securitati insidiantur	28

SECTIO III. — NECESSITAS RELIGIONIS.

I. — Societas absque Religione stare non potest.	28
II. — 1º. Sine Religione non est vera honestas, uti perperam prætendunt impii ac increduli.	29
2º. Nec vera probitas consistere potest cum irreligione	29
3º. Absque Religione non est sive imperans, sive subditus quisquam statui vere proficiuus.	31
4º. Increduli sicut pestes Reipublicæ, ita suorummet jurati hostes sunt.	32

DISSERTATIO III.

DE RELIGIONE NATURALI.

SECTIO I. — QUIDDITAS, EXISTENTIA, VERITAS RELIGIONIS NATURALIS.

I. — Increduli reipsa Naturalem etiam Religionem convellunt	36
II. — 1º. Per Religionem Naturalem rite intelligitur Collectio omnium officiorum, sive erga Deum, sive erga seipsum, sive erga alios homines, quæ ex divinæ naturæ, et conditionis humanæ naturali consideratione investigari et concludi possunt.	36
2º. Existit religio Naturalis vera ac vere divina, quam homo exequi tenetur.	37
3º. Existit Lex naturæ nostræ congruens, diffusa in omnes, dictans officia naturæ rationalis, ac præprimis Religionem erga Deum.	37
III. — Rebelles in Legem et Religionem Naturalem ipsis Ethnicis pejores sunt.	38

SECTIO II. — INSUFFICIENTIA RELIGIONIS MERE NATURALIS AD VERAM JUSTITIAM.

	Pag.
I. — Recensentur deliria Voltairii, Marmontellii et aliorum circa Religionem mere Naturalem.	39
II. — 1º. Religio sic dicta Naturalis non est sufficiens ad recte sentiendum	39
2º. Religio sic dicta Naturalis non est sufficiens ad recte vivendum.	40
III. — Deliria incredulorum ab ipsis Gentilibus, maxime a Tullio, confutantur.	44

SECTIO III. — INSUFFICIENTIA RELIGIONIS MERE NATURALIS AD ÆTERNAM SALUTEM.

I. — Gentilium triplex classis discernenda est	44
II. — 1º. Religio sic dicta Naturalis salvare neminem potest.	45
2º. Religio, sive gentilium Philosophorum, sive hodiernorum pseudosophorum, non est vera Religio Naturalis.	46
III. — Frequentissimæ et gravissimæ hallucinationes circa ipsum Jus Naturæ, ejusdemque principia, non sunt evitandæ, seclusa Revelatione.	49

DISSERTATIO IV.

DE RELIGIONE SUPERNATURALI.

SECTIO I. — DE REVELATIONE EXTERNA VERE RELIGIONIS.

I. — Temeritas et malignitas incredulorum adversus Religionem libere revelatam, multiplici ex capite.	51
II. — 1º. Religio debet esse cultus Dei ab ipso Deo hominibus revelatus ac præscriptus	52
2º. Religionem a Deo hominibus revelandam ac præscribendam esse, fere persuasio naturalis est.	52

SECTIO II. — DE POSSIBILITATE AC UTILITATE REVELATIONIS EXTERNÆ.

I. — Revelationis divinæ triplex objectum esse potest.	54
II. — 1º. Revelatio externa cultus divini nullo modo impossibilis est; imo divinis attributis maxime congrua	54
2º. Revelatio externa summe utilis est, ceu clarior, brevior et perfectior via ad bonam vitam, veramque Religionem	55

SECTIO III. — DE NECESSITATE RELIGIONIS REVELATÆ.

I. — Ventilantur criteria Naturalistarum circa fidem et salutem hominum in Lege Naturæ.	60
II. — 1º. Necessaria semper fuit Revelatio externa Religionis, ceu Legis universos obligantis	60
2º. Revelatio externa semper necessaria fuit, ad cognoscendum primi Hominis peccatum, hujus pœnam, et remedium.	61
3º. Revelatio externa cumprimis necessaria est, ad cognoscendum et obtinendum finem hominis ultimum.	63
4º. Revelatio externa, quantum omnibus semper necessaria, tantum fuit omnibus communis	64
III. — Revelationis præcipuæ dotes commendantur pro statu, quem vivimus; sive hominis lapsi indignitas, sive elevati et reparati dignitas spectetur	71

SECTIO IV. — DE EXISTENTIA RELIGIONIS REVELATÆ.

	Pag.
I. — Increduli Deum hominibus locutum esse negant.	72
II. — 1 ^o . Existit divina Revelatio, quæ verbo Dei dicto, scripto, et tradito continetur	72
2 ^o . Sacrarum Scripturarum semper fuit, ac esse debet, summa fides et veneratio.	73
3 ^o . Divinæ Traditiones ejusdem cum sacris Scripturis auctoritatis sunt.	74
III. — Nunquam Revelatio defuit hominibus, sed potius homines Revelationi defuerunt	79

DISSERTATIO V.

DE RELIGIONE PAGANICA.

SECTIO I. — DE ATHEISMO.

I. — Prævia de Atheistarum gente, et illorum patronis disquisitio	81
II. — 1 ^o . Atheismo, siquidem datur, nihil sceleratius in Deum et in homines.	82
2 ^o . Atheistarum, uti summa est impietas, sic et summa vesania.	82

SECTIO II. — DE PYRRHONISMO.

I. — Atheis haud absimiles Sceptici seu Pyrrhonicæ.	85
II. — 1 ^o . Mendacium est absurdissimum, quod Revelationis necessitas sit causa Pyrrhonismi.	86
2 ^o . Pyrrhonismus circa immortalitatem animæ et pœnarum æternitatem, a tota antiquitate exploditur	87
3 ^o . Immortalitas animæ eæ indubitata veritas solidissimis contra Pyrrhonismum argumentis vindicatur	89
4 ^o . Pœnarum æternitas momenti pariter gravissimis fulcitur contra eosdem incredulos.	91

SECTIO III. — DE POLYTHEISMO.

I. — Ortus et progressus idololatriæ exhibetur in epitome.	100
II. — 1 ^o . Polytheismus seu idololatria, vesana ratione objecti, abominanda ratione cultus, impia ratione dogmatum, suamet absurditate opprimitur.	101
2 ^o . Polytheismus eadem fere ratione quondam inter Ethnicos invaluerat, qua hodieum Theismus orbem Christianum invadit.	102
III. — Compendiaria evictio pro unitate veri Numinis, ex omnium, etiam gentilium, sensu.	107

SECTIO IV. — DE MAHUMETISMO.

I. — Referuntur Rousseauvii cum primis et Edelmanni absurdissima sensa de Mahumetismo relate ad Christianismum	107
II. — 1 ^o . Mahumes impostor omnium maximus fuit	108
2 ^o . Mahumetis Alcoranus absurditatum, contradictionum et blasphemiarum plenissimus est.	109
3 ^o . Mahumetis secta omnium falsissima et spurcissima est.	110

SECTIO V. — PAGANORUM ET MAHUMETANORUM TESTIMONIA PRO VERA RELIGIONE.

	Pag.
I. — Voltairium cæterosque perfidos Theistas ipsi refellunt Pagani et Mahumetani.	113
II. — 1 ^o . Non defuerunt, inter Ethnicos, scriptores antiquissimi, testes Revelationis præsertim Mosaicæ	113
2 ^o . Prostant luculentissima gentilium testimonia pro Revelatione etiam Christiana	115
3 ^o . Splendida sunt testimonia Mahumetis et Mahumetanorum pro divinitate utriusque Revelationis, Mosaicæ et Christianæ	116

DISSERTATIO VI.

DE RELIGIONE JUDAICA.

SECTIO I. — RELIGIO JUDAICA QUONDAM VERA, VEREQVE DIVINA.

I. — Exhibetur vafrities Theistarum circa Legem Mosaicam, ut subvertant Christianam	119
II. — 1 ^o . Pentateuchus est genuinum Mosis opus.	120
2 ^o . Moses fuit scriptor omnium primus et fide dignissimus.	121
3 ^o . Moses fuit auctor Pentateuchi Theopneustus, et divina præditus auctoritate.	122
4 ^o . Lex Mosaica, ac proin Religio Judaica, vere fuit divina	123

SECTIO II. — RELIGIO JUDAICA CONTENTA IN LIBRIS V. T. VERE DIVINIS.

I. — Theistarum machinæ contra Vetus Testamentum, ut eo facilius Testamentum Novum suffodiant.	130
II. — 1 ^o . Libri V. T. qui divinitatem Religionis Judaicæ eloquuntur, sunt authentici et divini	131
2 ^o . Doctrinæ in Libris V. T. puritas et sanctitas argumentum est probatissimum divinæ inspirationis.	132
3 ^o . Scriptorum V. T. characteres authentiam ac Theopneustiam V. T. luculentissime commonstrant	133
III. — Theistarum in Vetus Testamentum perfidia simillima est Manichæorum quondam impietati a S. Augustino protritæ	135

SECTIO III. — RELIGIO JUDAICA PER CHRISTUM ABOLITA.

I. — Judæorum de æternitate Legis Mosaicæ persuasio pertinaciter erronea.	136
II. — 1 ^o . Religio Judaica, spectatis seu ceremoniis, seu præceptis, non fuit perfectissima	136
2 ^o . Religio Judaica non fuit ita a Deo instituta, ut esset æterna, et nunquam abroganda	137
3 ^o . Tempus illud, quo Religio Judaica in aliam, Christianam scilicet, mutanda erat, jampridem efluxit	137
III. — Judæi, sive recipiant, sive non recipiant Prophetias de Christo, invicte probant, Messiam advenisse	141

SECTIO IV. — JUDEORUM TESTIMONIA PRO VERITATE CHRISTIANA.

I. — Voltairius cum suis frustra nititur enervare testimonia Judaica pro Christo, et Ecclesia Christi.	141
1. p. 2.	20*

	Pag.
II. — 1 ^o . Ex Libris Judæorum Talmudicis evidens est, non amplius Judaicam, sed Christianam esse divinam Religionem.	142
2 ^o . Ex Libris Judæorum Historicis, præsertim Josephi, apertissime constat Christi divinitas, et veritas Religionis Christianæ.	143
3 ^o . Modernus Judæorum status pro veritate Religionis Christianæ manifestissime eloquitur.	144
III. — Parenesis Apostolica ad Christianos, ut stent fide sua; ne ob incredulitatem inter Christianos invalescentem Deus ad Judæos suam transferat fidem.	147

DISSERTATIO VII.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

SECTIO I. — RELIGIO CHRISTIANA VERE DIVINA, ET QUOAD SUBSTANTIAM ANTIQUISSIMA.

I. — 1 ^o . Exiisse ante septemdecim jam secula Christum, Novæ Legis Auctorem, res est certissima.	149
2 ^o . De Christi in terris triplici officio, Prophetico, Sacerdotali et Regio generatim.	150
II. — 1 ^o . Christus Auctor Religionis Christianæ verus est Deus.	150
2 ^o . Religio a Christo instituta est vera, vereque divina.	151
3 ^o . Religio Christiana, uti vere divina, sic quoad substantiam antiquissima est.	152
III. — Detestanda Theistarum obstinatio est, nolle Verbum Patris, Dei Filium, Legatum Omnipotentis, audire Magistrum veritatis, ac sequi Ducem salutis.	155

SECTIO II. — RELIGIO CHRISTIANA CONSIGNATA IN LIBRIS N. T. VERE DIVINIS.

I. — Præfamen de ingenti Judæorum zelo pro Libris V. T., quo divinitatem N. T. contra seipos attestantur.	155
II. — 1 ^o . Divinitas Librorum N. T. gravissimis argumentis evincitur.	156
2 ^o . Ex Libris N. T. invictissime stabilitur Divinitas Christi, et Christianæ Religionis.	157
III. — Circa authentiam Librorum N. T. fides habenda maximis Doctoribus, SS. Hieronymo et Augustino, præ toto grege Theistarum.	162

SECTIO III. — RELIGIO CHRISTIANA SPLENDIDISSIMIS UBIQUE MIRACULIS CONFIRMATA.

I. — Impia Spinozæ, Voltairii, Tolandi, Pomponatii, Pradesii præjudicia adversus Miracula adnotantur.	163
II. — 1 ^o . Verum Miraculum quid sit ex notione sibi propria.	164
2 ^o . Existunt vera Miracula, præsertim Christi et Apostolorum.	165
3 ^o . Vera miracula a falsis discernendi Regula, quam dedit Moses pro V. T., et Christus pro N. T., certissima est.	166
4 ^o . Vera Miracula veræ Religionis demonstratio sunt divinissima.	167
III. — Theistas Judæis haud absimiles exhibet par, aut peior etiam perfidia, circa fidem Miraculorum.	174

SECTIO IV. — RELIGIO CHRISTIANA A VATICINIIS EXACTISSIME ADIMPLETIS STABILITA.

	Pag.
I. — 1 ^o . Prophetiarum magna semper auctoritas, etiam apud Gentiles, contra Grotium et Socinianos, Episcopium, Simonium, Collinium.	174
2 ^o . Omnes de Messia Prophetiæ certissimo et clarissimo eventu comprobatae in et a Christo.	175
II. — 1 ^o . Vaticinium Christi de sua gloriosa anastasi, testatissimum Religionis Christianæ, ceu divinæ, fundamentum est.	175
2 ^o . Vaticinium Christi de excidio Jerosolymæ, et de eversione Judaicæ Reipublicæ, efficacissimum Christianismi Judaismo surrogati testimonium est.	177
III. — Quam perfide Judæi, tam sacrilege Theistæ non credunt in Christum, quem typi et figuræ omnes, Moses et Prophetæ omnes præsignant ac prædicant.	183

SECTIO V. RELIGIO CHRISTIANA MIRIFICE PER UNIVERSUM PROPAGATA ET CONSERVATA.

I. Si nullis unquam prodigiis inclaruisset Christi Religio, hoc unum grande miraculum sufficeret, ejus tam subita et latissima propagatio, et per tot jam secula conservatio.	184
II. — 1 ^o . Doctrina Religionis Christianæ non nisi per dexteram Omnipotentis ita potuit propagari.	185
2 ^o . Præcones doctrinæ Christianæ non nisi divina virtute orbem terrarum Christo subegerunt.	186
3 ^o . Stabilitas Religionis Christianæ per septemdecim secula et ultra, insigne divinæ Providentiæ prodigium est.	187
III. — Innumerabilium Martyrum incredibilis in fide constantia fortissimum veritatis Christianæ monumentum est.	193

SECTIO VI. — SOLA RELIGIO CHRISTIANA, VERA VEREQUE SALVIFICA RELIGIO.

I. — Indifferentistarum duplex genus est; utroque deterior Beaumellius in suo systemate de exploranda veritate Religionis.	195
II. — 1 ^o . Religio Christiana est unice vera Religio.	195
2 ^o . Religio Christiana est vere ac unice salvifica Religio.	196
III. — Sanctissima æque ac castissima fides nostra non alium habere potuit auctorem, quam Filium Dei.	201

DISSERTATIO VIII.

DE RELIGIONE CHRISTIANO-CATHOLICA.

SECTIO I. — SOLA RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA VERA CHRISTI RELIGIO.

I. — Vere Religionis Christi characteres, proprietates, prerogativæ.	203
II. — 1 ^o . Sola Religio Christiano-Catholica præfert veræ Christi Ecclesie omnes characteres.	204
2 ^o . Sola Religio Christiano-Catholica præfulget veræ Christi Ecclesie proprietatibus.	206
3 ^o . Sola Religio Christiano-Catholica gaudet prerogativis veræ Christi Ecclesie.	208

	Pag.
III. — Potestatem in Energumenos inter prerogativas verae Christi Ecclesiae adnumerant omnes Orthodoxi; nec omnino diffidentur Heterodoxi.	215

SECTIO II. — SOLA RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA MAGISTRA OMNIS VERITATIS.

I. — In omni Republica rite ordinata oportet esse Judicem controversiarum, ipso teste Baylio; quanto magis in Ecclesia Christi, seu Republica sacra per universum diffusa.	216
II. — 1º. Sola Scriptura sacra non est supremus ac sufficiens omnium fidei controversiarum Judex.	217
2º. Spiritus ille privatus Novatorum nequit esse Judex controversiarum fidei.	218
3º. Nec rationi humanae, nec Principi seculari, competit Judicium infallibile in controversiis fidei.	219
4º. Judex fallere nescius, et Magistra omnis veritatis certissima, est Ecclesia Christiano-Catholica.	220

SECTIO III. — SOLA RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA CERTISSIMA DUX AD SALUTEM.

I. — Vera et salvifica Christi Ecclesia est, in qua sunt Vicarius Christi, oves Christi, spiritus Christi, praecepta et consilia Christi atque claves Regni caelorum a Christo.	224
II. — 1º. Religionem Christiano-Catholicam, seu unice salvificam, omnes debent profiteri.	224
2º. Religionem Christiano-Catholicam, praeter omnibus aliis sectis evidenter credibilem, omnes possunt profiteri.	225

SECTIO IV. — RELIGIO CHRISTIANO-CATHOLICA TAM PERFECTA, UT PERFECTOR NON SIT SURROGANDA.

I. — Christianae Legis perfectio et felicitas, praeter illa Legis Mosaicae, breviter at nervose abumbrata.	230
II. — 1º. Religio Christiano-Catholica quoad leges suas perfectissima est.	231
2º. Religio Christiano-Catholica quoad ritus et ceremonias sanctissima est.	231
3º. Religio Christiano-Catholica incitamentis ad virtutem, et mediis ad salutem instructissima est.	232
4º. Religio Christiano-Catholica quoad finem et praemia excellentissima est.	233

DISSERTATIO IX.

DE DESERTORIBUS RELIGIONIS CATHOLICAE.

SECTIO I. — DE VARIIS SECTIS CHRISTIANORUM.

I. — Indoluit animarum hostis; videns destructum per Christi fidem suum idololatriae regnum; ideo haereses et schismata disseminavit contra Catholicam Christi Ecclesiam.	235
II. — 1º. Sectaris seu veteribus seu recentioribus justa deserendi Religionem Catholicam causa non fuit praetensa necessitas reformationis in moribus et ritibus.	236

	Pag.
2º. Minus etiam Sectariorum a Catholica fide defectio fieri debuit ob praetensos Ecclesiae Romanae lapsus et errores in fide.	237
3º. Defectionis a Religione Catholica auctores tales nunquam fuerunt, ut iis fides habenda sit.	237

SECTIO II. — DE LIBERTINIS, INDIFFERENTIBUS, TOLERANTIBUS.

I. — Impiae Juris, Collini, et Tolandi machinae contra unitatem verae Religionis.	242
II. — 1º. Libertas credendi quilibet, imprudens, impudens, ac detestabilis libertas est.	243
2º. Tolerantismus aperte contradicit divinae circa Religionem OEconomiae.	244
3º. Indifferentismus ac Tolerantismus ad Paganismum, quin ad Atheismum viam sternunt.	244

SECTIO III. — DE MACHIAVELLISTIS ET PSEUDO-POLITICIS.

I. — Machiavelli, Hobbesii, Velthusii, Triglandi, Rousseauvii, Baylii et Eugeni Philaletis monstrosae opiniones.	250
II. — 1º. Religio neque a Magistratu humano primitus introducta fuit ad subditos duntaxat coercendos, neque eidem ita subjecta, ut parendum sit vel falsam invehere volenti.	251
2º. Religio climati non est attemperanda, ut potius quaecumque clima Religioni cedere debeat.	252
3º. Religionem accommodare ad motiva humana, et ad terrena duntaxat commoda, summa vesania et impietas est.	252
III. — Ex his conficitur, quod memorati hactenus desertores verae Religionis omnes indigni sint nomine Christiano.	254

DISSERTATIO X.

DE DEPRÆDATORIBUS NOMINIS CATHOLICI.

SECTIO I. — THEISTAE NON SUNT SPIRITUS FORTES, NEC SAPIENTES PHILOSOPHI.

I. — Recensentur famosa capita, et impia dogmata Theistarum.	257
II. — 1º. Theistae non nisi frivole, et ad sui opprobrium, spiritus fortes sese vocitant.	258
2º. Theistae Philosophi sapientis nomen non nisi cum ignominia vere Sapientiae sibi arrogant.	259
III. — Opponitur Theistarum fucatae sapientiae ac fortitudini vera pectoris orthodoxi constantia, veraque sapientia mentis probe Christianae.	262

SECTIO II. — THEISTAE VERIUS SUNT ATHEI AC IMPII, SECTARIIS ET INFIDELIBUS DETERIORES.

I. — Quid causae sit, quod facilius aut Judaeum, aut Mahometanum, aut Paganum ducas, quam aevi nostri incredulum reducas ad Christum.	263
II. — 1º. Theistae seu Naturalistae reipsa sunt Atheistae.	264
2º. Theistae seu Naturalistae verius sunt impii.	265

	Pag.
3º. Hodierni increduli pejores sunt quibusvis Sectariis ac Hæreticis.	265
4º. Increduli hujus seculi etiam Paganis deteriores sunt	266
III.— Quam sint Theistæ consimiles idololatriæ, ex Apologetico Tertulliani conficitur	269

SECTIO III. — NULLA THEISTARUM AUCTORITAS, AD PERSUADENDAM CHRISTIANO HOMINI SUAM IRRELIGIONEM.

I. — Fallacissima versutia incredulorum, ad suos tranquillandos, et sequacium animos magis inescandos	270
II. — 1º. Nulla est auctoritas Theistarum, spectatis eorum placitis.	270
2º. Nulla est auctoritas Theistarum, spectatis eorum moribus.	271
3º. Nulla est auctoritas Theistarum, spectatis eorum fatiis.	273
III.— Theistarum, præsertim Rousseau et Voltaire, genius et ingenium vividis coloribus expingitur.	273

SECTIO IV. — ARGUMENTA THEISTARUM TOTIDEM SOPHISMATA VV. HÆRETICORUM, AC GENTILIVM SOPHISTARUM, AB ANTIQVIS PATRIBVS ET APOLOGETIS DUDVM EXPLOSA.

I. — Falso creditur nova esse incredulorum argumenta].	275
II. — 1º. Quæ contra Deum et Dei verbum ogganniunt hodierni increduli ex antiquitatis, qua Ethnicæ, qua Hæreticæ, lacunis hauserunt.	276
2º. Suam adversus Christum et Christi Ecclesiam rebellionem hodierni increduli resuscitarunt ex protrita dudum antiquorum incredulitate	277
3º. Arma, quæ Naturalistæ pro humana ratione contra divinam fidem decertant, ex castris veterum impiorum surripuerunt.	279
III.— Inde vero impudentia, vesania et impietas incredulorum plenis modis colliguntur	280

DISSERTATIO XI.

DE CAUSIS IRRELIGIONIS ET PRÆSIDIIS CONTRA ILLAM.

SECTIO I. — QUÆ NON SINT VERÆ CAUSÆ IRRELIGIONIS THEISTICÆ HODIEDVM GRASSANTIS.

I. — Mirum, quod sint inter Catholicos non pauci, ferme æquiores erga Theistas, quam erga Ecclesiam, et scholas Catholicorum.	281
II. — 1º. Abusus, si qui sunt inter Catholicos, non sunt vera causa irreligionis.	282
3º. Discordiæ Catholicorum nequiquam juvant Theistarum perfidiam.	282
3º. Philosophia eclectica impietatis Theisticæ minime rea est.	283
III.— Miserum ergo patrocinium Theismi in hisce querelis, nescio quorum aut reformatorum aut pacificatorum; idque ex ipsorum Theistarum sensu	284


SECTIO II. — QUÆ SINT VERÆ CAUSÆ IRRELIGIONIS THEISTICÆ HODIEDVM DEBACCHANTIS.

I. — De Socinii et sequacium doctrina; de Jansenio et factione Janseniana; de Pseudo-Philosophorum impietate præcognita	284
---	-----

	Pag.
II. — 1º. Socinianismus inter Heterodoxos in diès magis invalescens Theismi verior causa est	285
2º. Jansenismus, uti Socinianismo, ita Theismo maxime affinis jure dicitur.	286
3º Pseudo-Philosophia est certissima causa irreligionis Theisticæ	287
III.— Hisce fontibus adde causas incredulitatis tam intra, quam extra nos; et rebellionis Theisticæ totam abyssum penetrabis	288

SECTIO III. — DE MEDIIS, ET PRÆSIDIIS CONTRA IRRELIGIONEM THEISTICAM.

I. — Plane stupendum ac lugendum maxime, quod non obstantibus summorum in utraque Republica Magistratum saluberrimis sancitis, incredulus orbis quotidie ruat in deterius	289
II. — Ut magis reddatur inexcusabilis omnis incredulus; suggeruntur iterato media, ejurato Theismo, veram Religionem profitendi.	289
III.— Cæteri fideles, ad præcavendam Theisticæ impietatis contagionem debitis præsidiis obarmantur	292
IV.— Nulla igitur excusatio est incredulorum, ni convertantur; nulla creditium, si pervertantur	294
Vota pro conversione omnium incredulorum, quos ut recipiat sancta Mater Ecclesia, maternum pandit sinum, et plorat et orat, dum dignetur devias reducere oves Pastor æternus	295



B
J
M
v
t
c